


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
2 B
56


GAB. BARII FRANCICANI.

PRO LINGVA LATINA
LIBRI TRES.


DE AETERNITATE VRBIS
LIBER VNVS.

DE LAVDIBVS ITALIAE.
LIBER VNVS.












MOTV proprio &c. Cum ſicut dilectus filius noſter Gabriel Barius Francicanus nobis exponi fecit, ad communem omnium ſtudioſorum vtilitatem ſua impenſa opus quoddam pro lingua latina, & de æternitate Vrbis, & laudibus Italiæ à ſe compoſitũ hactenus non impreſſum imprimi facere velit, maximumq; ſibi damnum foret, ſi poſtmodum ab alijs imprimatur: Nos motu ſimili et certa ſcientia inhibemus omnibus Chriſti fidelibus vbiq; exiſtentibus præſertim Bibliopolis & librorum impreſſoribus ſub excommunicationis latæ ſententiæ, in terris vero S.R.E. mediate vel immediate ſubiectis etiam ducentorum ducatorum aureorum Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, & amiſſionis librorum pœna toties quoties contrauentum ſuerit ipſo facto et abſq; alia declaratione incurrenda, ne per quinquennium ab impreſſione dicti operis computandum, dictum opus ſine ipſius Gabrielis expreſſa licentia imprimere, vẽdere, ſeu venale habere, aut proponere audeant. Mandantes vniuerſis venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis: Epiſcopis, eorumq; Vicarijs in ſpiritualibus generalibus & in ſtatu temporali, S. R. E. Etiam Legatis & Vicelegatis Sedis Apoſtolicæ, et ipſius ſtatus Gubernatoribus vt quoties ipſius Gabrielis parte ſuerint requiſiti eidem Gabrieli efficacis deffenſionis præſidio aſſiſtentes ad omnem dicti Gabrielis petitionem contra inobedientes & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas etiã ſæpius




aggrauando, & per alia iuris remedia Auctoritate Apostolica exequantur, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, Non obstantibus constitution. & ordination. quibuscunq;. Quia vero difficile admodum esset præsentem Motum proprium ad quælibet loca deferri, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus ipsius transumptis, vel exemplis etiam ipsis operibus impressis plenam & eandem prorsus fidem vbiq; tam in iudicio q̃ extra haberi, quæ præsenti originali haberetur. Et quòd præsentis Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbiq; fidem faciat in iudicio et extra, regula nostra in contrarium non obstante.

Placet & ita Mandamus. I.

GAB. BARIVS FRANCICANVS ANTONIO PERNOTTO EPISCOPO.

S. P. D.



SCRIPSI ego pater amplissime tres libros pro lingua latina. Nam, vt mei laboris rationẽ reddam, cum cernerem latinam ipsam linguam à multis huius ætatis hominibus neglectum iri, & ingenuas disciplinas, necnon diuinam scripturam in plebeium sermonem versam prosanari, atq; ob id plerosq; in multis erroribus versari, eximia charitate accẽso pro latina ipsa lingua scribere mihi certum fuit: quo & eam pro parte mea tuerer, et quorundam præstigijs, quibus iuuentutem capiunt, detectis, veritateq; cognita, iuuenes ad eius studium excitarem, & Latini Græciq; libri, tum maxime sacri suis auctoribus Latinæ inquam Græcæq; Linguæ restituantur. Cæterum non defuerunt vel ex ijs, qui & me, & latinam linguam multum amare videbantur, qui me ab hoc tam honesto instituto deterrere conati sint. quinetiam me, ꝙ apud Romanos & Latinum & Vulgarem sermonem olim, vt nunc vterq; est, extitisse ostensurum fore pollicerer, quasi volantem, vt dicitur, auem sectantem deridebant, cum nihil mihi fuerit potius, ꝗ̃ vt id ostenderem Et cum ipsi ad tam egre-

giũ facinus, tamue necessarium opus, ꝙ in fauorem Latinæ linguæ, his præsertim temporibus, queis adeo negligitur, scribere sim adorsus, cohortari me, et adiuuare debuissent ipsi inquam, qui Latini habebantur, à carcere, vt dicunt, vsq; ad metam non quidem mihi, qui caducus & mortalis sum, sed Latinæ ipsi linguæ, quæ æterna est, pro qua tot sudatos labores obiui non inuitus, aduersati sunt. Et tot incõmodis tot vigilijs, tot laboribus, tot sudoribus non gloriam, quam certe ambiui nunq̃, licet ea sit veræ virtutis fructus, non quæstum, quem nunq̃ sperarui, sed ingentem mihi inuidiam comparabam et contemptũ. Adde ꝙ cũ animus eius, qui in literis aliquid pulchri moliturus est, à curis prorsus vacuus, & studio duntaxat intentus esse debeat, quo meam sustentarem tenuitatem plurimũ mihi quoq; fuit elaborandũ. Accedit ꝙ ob pauperiem librorum quoq; penuria laborabam, quos à meis necessarijs mutuo accipere cogebar. Quæ etsi ea essent, ob quæ animo consternari facile potuisse viderer, tamẽ, quo meũ pensum soluerem, nihilo segnius incœptũ sum prosecutus arbitratus in re tam præclara, tãue necessaria animum abijcere, et ab incœpto desistere turpe esse. Non.n. quorũdam inuidorum calumnia cõmuni bono esse debet impedimento, quãdoquidẽ ex hoc meo labore, qualiscũq; is sit, plurimum emolumenti iuuenibus dimanare perspexeram. Itaq; tandem Dei opt. max. munere opus ipsum cõsumaui, perduxiq; ad vmbilicum. Quod vnà cum libro de æternitate Vrbis, & laudibus Italiæ tam etsi ob studiosorum vtilitatem in mediũ proferre ingenti tenerer

desiderio,tamen Flacci cõsilij nõ immemor,qui nonũ ad annum opus cõprimi iubet longius differre statuerã. Sed Benedictus ægius vir eruditissimus,atq; in omnes officiosissimus,& Ioannes Antonius Bozolinus vir quidẽ ingenio ac iudicio,ac doctrina pditus,vtroq; iure peritus,& mihi singulari necessitudine coniunctus,quibus cũ libros ipsos contuli,me eos citius q̃ volebã,in lucem edere coegerunt. Libros autem pro lingua Latina populo Romano,q eis maxime proprium sit ipsi studere, nuncupaui, Librum vero de æternitate vrbis,quia in eo de imperio potissime agitur,sententia stetit serenissimo Imperatori Carolo,qui nunc tanti imperij clauum feliciter tenet,& prudentissime moderatur,dedicare. Sed librum de laudibus Italiæ sub Hieronymi Veralli Cardinalis nomine, quẽ ob præclaras virtutes suas longe plurimũ obseruo, Vulgaui. Dedi igitur Antonio Augustino viro certe felici ingenio,admirabili iudicio,ac rara prudentia,necnon eruditione Latinisq; literis prædito, vtroq; iure perito, & mo℞ comitate claro,atq; duodecemviro litibus iudicandis et doctissimo & integerrimo, meiq; amantissimo duos ad te libros,quo℞ alterum tibi muneri do,alterũ vt Cæsari meo nomine offeras. quòd si aliquid fortè vitij in his libris inueneris,subeat tibi in mentẽ horatianũ illud.

Verum vbi multa nitent in carmine,non ego paucis
Offendar maculis,quas aut incuria fudit
Aut humana parum cauit natura.

Librum vero, quẽ de antiquitate et situ Calabriæ cõscripsi si mihi certi cuiuspiã mœcenatis nõ defuerit adiu-

mentum primo quoq; tempore in lucem proferam. Nam necesse est vt me in Calabriam, quam et rebus omnibus & viris clarissimã Italiæ partẽ pluribus nominibus merito laudandam esse censui, conferam, vt loca quædam, quorum nomina immutata sunt, vestigem, ne fortè eosdem in errores incidam, in quos incidere nonnulli recentiores rerum scriptores, vtq; regionẽ perlustrem cũ vel singula seriatim ac minutatim scribam eiusq; formam impressurus sim. Vale, et, vt hosce meos labores, quãtilicũq; sint, Cæsari, cũ per otium tibi licuerit, quæ tua est humanitas, cõmẽdare velis, te ẽt atq; ẽt rogo atq; oro.

Quia vero in exemplari additiones quædam in marginibus et in schedulis erant, multa ẽt vel cõmutatis rebus, vel ꝙ mihi superflua videbãtur, liturata erãt, et nec ego sempꝛ adesse potui, et in parũ experientẽ meidi excusorẽ, quædã liturata impressa sunt, multæ additiones omissæ, atq; ẽt quædam cõfusa sunt nã quædam in initio tertij libri sunt, quæ in initio secundi esse debent, quæ hmõi hic ponuntur. Sed in secunda editione, quæ, si vita superest, intra triẽnium erit, & quæ omissa aut confusa sunt & si quid fortè aliud addendũ erit suis locis ponentur, et quæ præter volũtatẽ meam impressa sunt auferẽtur, codexq; castigatior prodibit in lucem.

Hæc desunt.

Pagina. 38. ibi heres, deest, sed certe male parta male dilabuntur. 75. in parenthesi ibi Græci, deest, lingua, et ibi erant, deest, quidã vero vel vita. 83. ibi multa, deest. Quinetiam latia natiua vocabula quædam dura & in=

cultavel a cōi publicoq; sermone et in vrbe et in latio reli quo, qđ vrbē potissime sequebatur, siue ante vrbem condi tam desita obliterataq; sunt vbi Græcis latinitate donatis vti cœptū est, vt deus, vt ego (quis. n. neget latinos populos vocabula habuisse, quæ deum, & ego primā personā significarēt) vt alia quædā, nisi forteq̄uis dixerit hæc latia vocabula esse, & ea Græcos à latio mutuatos fuisse. 88 ibi vanitate, deest in quibusdā folijs, quadā. 95 in initio secūdi libri sic imprimendū est. In superiori libro quirites cur latinarū græcarūq; studia, ingenuæq; disciplinæ à plerisq; negliguntur ostēdimus, licet alia hac de re alibi dicēda restant, ac de rōne docēdi disseruimus, et q̄ latina lingua ab oībus propemodū gentibus vti sua ac sibi patria alacriter sit recepta, et piè ac religiose custodita innuimus, necnō quis olim tuscus sermo fuerit demōstrauimus, vñ perlatè patet tuscos olim lingua, et, vt ostēdam, vel vita barbaros fuisse, & romanorū beneficio ac benignitate latinos romanosq; factos, q̄q; hunc vulgarē sermonē, quo nunc italia vtitur, quibusdā vocabulis exceptis latium natiuū vernaculum, naturalem propriū peculiarē & patrium esse, de quo et alibi plura dicentur. Nunc aūt ad linguā latinam reuertendū est, etc. 95 ibi mutuauisse imprimendum est mutuatos fuisse. 100 ibi scripserint, deest. Cū romani, ait cicero, oīa sapientius q̄ græci inueněrint, et quæ ab alijs acceperint meliora fecerint ac nostri populares doctores oīa stultius inuenerint, & quæ ab alijs acceperunt deteriora reddiderunt. quasi, etc. 104 Io scribendū est Ione. 126 ibi imitatio=

ne,deest,aut inflexione. 130 ibi in m,deest, rursus n in præpositionis sequente n transit in g notus ignotus. 147 ibipermisit,deest,Et infra cum de liberalibus disciplinis abunde disseruisset ait. Cũ.n.artes illæ oẽs liberales partim ad vsum vitæ,partim ad cognitionẽ reꝝ cõtẽplationeq́; discãtur,vsũ eaꝝ assequi difficillimũ est,nisi ei, q ab ipsa pueritia ingeniosissimus instãtissime atq; cõstãtissime operã dederit. 156 ibi populis et, deest, romanã historiam scripturus,& ibi grãmaticũq;, deest, quo latinos auctores legeret. 159 ibi vulgare,deest,et gnari,inquit,latinæ linguæ,non quidem regularis sed vulgaris publicæq;, 164 ibi cannã vocat,deest,canna latinũ verbum est,sed nõ id sonat, de quo hic columella loquitur. 178 ibi locutiũ,deest,nam inquit,vocabuloꝝ natura immu abilis est. 181 ibi barbarie,deest,Nã si cicero,Quintilianus aliiq; in latino,item Aristoteles in græco regulari sermone obsoletis verbis interdum vtendũ esse cẽsent, quo oratio iucundior & grauior fiat, quanto magis in vulgari sermone latiis vocabulis iam nũc romæ,et in reliquo latio aliisq; italiæ regionibus vsitatis,item iis, quæ in regularem sermonẽ relata sunt,vtendum est,negantq; omnino prauæ cõsuetudinis regula vtendũ esse, cum, ait charisius,verboꝝ natura immutabilis sit,sed in latio natiuo sermone emendando adhibendã esse iubent diligentem rõnem,quæ immutari nõ possit. 184 ibi barbaroꝝ nõnulli,imprimendum est,prouincialium nõnulli. 185 ibi loquantur,deest,monet immo iubet quintilianus itẽq; cicero aliiq; ne pueri sermoni assuescãt, qui postea sit de

discēdus 195 ibi sunt enim,deest,vt dixi. 205 .initium tertij libri sic incipiendū est. In secūdo libro Quirites sa tis superq; etc. 206 ibi mutuauisse imprimendū est mu tuatos fuisse. 247 ibi vocabula,deest,quibus loquantur. 249 ibi nouitatem,inde sic imprimendū est, l.etiā craſ= sus latinā linguā ditare. et scriptis græca latina faciēs, & nouis à se excogitatis vocabulis,vt ipsemet apud cice ronem libro primo de oratore fert,vbi. ait. Postea mihi placuit etc. Vsq; ibi,idonea.inde sic, Cicero quoq;, qui, vt retuli etc. Vsq; ibi, dedit,inde sic,& ipsemet Cicero libro de nat.deorū ait.Sunt etc. 261 ibi romanus,deest, qui latinæ linguæ studiosos reuerebatur amplectabatur, & fouebat,& ibi admiratus esset,deest,quorū vocabu= la & elocutiones aspernatus nō esset, cum eorū ingeniū iudicium ac doctrinā approbasset. 269 ibi idest claris, deest,latinis tamen. 293 ibi reddit, deest, et Terentius in adelph, pudore et liberalitate pueros retinere satius esse credo,q̄ metu. 307 ibi velamen,deest, ait Paulus. 328 ibi pro virili,deest,parte. 331 ibi dicit,deest,scor tum quoddā q̄ se vehemētius ad libidinem excitaret Pe trarcha ipsum ab sese prorsus ablegauit. Quòd si publi ca meretrix id egit, viderint qui eum curiose legunt,et, quod detestabilius est,pueris puellisq; legendū tradunt. 340 ibi Cæsarem,deest,procemium. 368 ibi siquidem, deest,vt ad rem redeam. 372 ibi Dig.deest,l.hostes,& ibi precario,deest,quod tamen,inquit,Imperator reuoca re pōt,cum liceat ei mutare volūtatem suam,et ibi scri= bitur,deest,cumq; resp.vna sit,eáq; romana, eius caput

vnum dũtaxat esse necesse est, q̃ est roma romuli progenies, quæ, vt persæpe dictum est, per septingentos perpetuos annos tot laboribus tot periculis: tot vulneribus, tanta suoꝝ cede tantũ imperium adepta est. Quare irridenda est eoꝝ vanitas & iactatio, qui aliter sentiunt. 373 ibi auctoritate. deest, numos percussos et. 375 ibi tribunos; deest eosq; legibus soluebat, & leges condendi potestatem faciebat. 385 ibi procedens, deest, honorius etiam lib. xi. Cod. romam vrbem æternam vocat.

Hæc abundant & ideo omnino tollenda sunt.

Pagina 52 miseri ac stolidi. 58 stolidi ac fanatici. 59 italo noĩe indigni. 69 insolentes. 80 stupidi ac stolidi. 84 atq; insolentiam blaterones temerarij semibarbari. 85 nugaces philosophi barbatenus, 86 qui neue docti neue ingeniosi sunt, plusq̃ barbari fanatici ac stolidi, 87 plusq̃ barbaros. 92 quid enim istis ignauius. 102 insolentes. 119 fructus maturos frutti maturi. 171 roget quis, vsq; 173. vendicant. 193 et. 194 heræ aut illustrem. Et insuper cum castigatoris incuria tũ vero excusoris inscitia codex hic mendis plurimis scatet, nam aut aliqua litera, aut syllaba, aut diphtongus, aut accentus, aut positura seu distinctio aut deest, aut superest. aut est trãsposita, aut vna pro alia posita. Quorũ pleraq; cultro & calamo, vt potui, emendaui.

Hæc è margine tollenda sunt & ponenda intus sic. Pagina 11 ibi præter cætera in quinta synodo Carth. sanx. 32 ibi cõsultum est, vt libro x. et. xi. Cod. liquet, Gord. 33 ibi mathematicos, vt lib. xi. Cod. scribitur.

Vr.33.ibi gymnaſium,vt lib.xi.Cod ſcriptum eſt, 39 ibi,in verrem libro ſexto,42 ibi,ægyptiorum,vt in geſtis Apoſtolorum ſcribitur, 61 ibi Syrus libro xliij. Dig.ait.Et ibi ſæpe in aut.ſe lat.64. ibi in libro.xii. Cod.videre licet 163 ibi Chriſtiana quoddam Pſalmi C.xxxviij.declarans excu.

GAB. BARIVS FRANCICANVS PRO LINGVA LATINA AD S. P. Q. R.

PROOEMIVM.



ON *satis æstimari potest quirites quantum debetur ijs, qui non sibi solis, sed communi mortalium vitæ se natos esse arbitrantes, diu ac sedulo secum agitarunt, vt aliquid, quod generi humano, siue quo corpus foueretur, siue, quod longe præstantius est, quo animus illustraretur, plurimum conferret, inuenirent. Atque tandem qui ingenio alijs polluerunt ingenuas disciplinas (vt eos, qui vulgares artes excuderunt, omittam) quibus vita exculta est humana, & animi, non corpora, exornantur, repererunt. Quibus disciplinis, sapientiaq́; præceptis, atque virtutibus animos suos exornare atq; excolere studuerunt: & posterorum commodis & vtilitatibus inseruientes ac consulentes eas æternitati tradere perquam studiose elaborarunt, & frugi admodum instituendæ & excolendæ humanæ vitæ normam posteris ipsis reliquerunt, quo alios ad bene beateq́; viuendum & adiuuarent institutis, & suis allicerent exemplis. E quorum cœtu ij potissimum vtique omni atque immortali laude digni censendi sunt merito*

atque colendi, qui literarum formas, quibus disciplinæ ipsæ æternitati traderentur, & grammaticam artem excogitarunt: quiue hac Græcam Latinamque linguam vel instituerunt vel expolierunt. *Viri nimirum eruditi, probi, & acuti, ijdem atque prudentes. quorum menti, vt hæc agerent, deum lumina prætulisse crediderim.* *Quibus duabus linguis liberales artes, cæteraque disciplinæ sunt scriptæ, & summorum virorum clara gesta, ac dicta posteritati tradita.* Non tamen inficior quin id *barbaris etiam linguis, licet ineptè, fieri non possit; sed quod nec profectò aliter probè, ac commodè ingenuæ ipsæ disciplinæ, & sapientiæ instituta, item digna memoratu dicta, ac facta illustrium virorum cunctis nationibus communicari potuissent. Fieri enim nullo pacto potest, vt omnes, qui ingenuas ipsas artes, ac disciplinas, & sapientiæ dogmata assequi, ac virorum fortium res egregie, fortiterque gestas, eorumque præclare dicta scire volunt, omnium gentium linguas ediscere, & intelligere valeant, præsertim quod neque vniuscuiusque regionis homines per omnia (sunt enim vel cuiusuis regiunculæ singulis fere oppidis aliqua propria vocabula; cōia vero pleraque alij alio modo enunciant) vniformiter loquantur. Humanæ autem vitæ, ac mentis institutores græci extiterunt &* Romani *disciplinæ, & sapientiæ sectatores.* Barbari *enim instituendæ & excolendæ humanæ vitæ præcepta nequaquam præstare alijs possunt, cum ipsi, quòd sibi innata ferocia sit, & neque ratione, neque humanitate vtantur, inhumano ac ferino*

ritu viuant, præter eos, qui ciuilem viuendi normam à græcis vel à romanis cum disciplinæ, & sapientiæ studiosis, tum præcipua quadam & innata humanitate præditis accipientes aliquando custodierunt. Nam *græci* & Romani *tãtum* (*prætereo hebreos, quibus solis veri dei oracula, atque arcana mysteria prodita sunt, & diuina lex tradita, nunc vero non de diuina, sed de humana, moralique disciplina loquor*) *ad adiuuandos mortales, vitamque instituendam humanam nati esse videntur.* Quibus *quantum barbari debeant, non est hic differendi locus, sed aliud in tempus reyciendum.* Et *quanquam barbarorum quidam ingenuas quasdam artes primi reperisse tradantur,* vt Chaldæi *astronomiam*, & Aegyptij *geometriam; græca tamen, latinaque lingua & hæ, & aliæ disciplinæ scriptæ & celebratæ cunctis nationibus patuerunt.* Itaque *istæ ipsæ duæ linguæ* vnà cum Hebræa, *quæ barbaras omnes linguas, haud secus, ac purissimum aurum scoriam, præcellunt,* non fine Dei opt. max. *nutu ac munere ita ex arte institutę sunt, vt eas omnes gentes pariter, licet earum scriptores alij alijs elegantius scribant, ediscere atque intelligere queant.* quæ *omnes peragrarunt insulas, totoq; ferè orbe peregrinatæ sunt.* Proinde *hæ tres linguæ non modo vtiles sunt mortalibus, sed etiam perquàm necessariæ.* Sunt enim *ita non humanitus, sed diuinitus institutæ.* Non tantum *eas ob res, vt humana placita ac gesta, actaq; monumentis traderentur, sed vt per eas, tanquam per tres idoneos testes, diuina lex, di-*

a leume sporcitia

uinumq; nomen per vniuersum orbem diffunderetur, & à cunctis nationibus Deus verus & æternus agnosceretur & coleretur. qua ratione vel Romanum Imperium haud dubie diuinitus est institutum, vt vniuerso orbi romana pace reddita, auctor pacis imperij viens opera ac ministerio cunctis gentibus innotesceret. Quas linguas qui tollere, aut obnubilare nituntur delirantes iam ac desipientes non solum magna cum ingrati animi nota virtuti reluctari, & communi mortalium vtilitati aduersari, sed Diuino etiam numini resistere videntur. Quia vero huius temporis impudentissimi quique insanientes rudi q̃dam & indocta illa sua natiua loquacitate, quam eandem dementiam appellare licet, Cum nil pulchri delibent, eas respuunt & auersantur, tum maxime latinam linguam, in quam veluti lymphatici debacchantes multa effutiunt & mentiuntur, eamq; ceu superuacaneam destruere connituntur puerilem admodum anilemq; ac rusestem quandam rationem nugarum plenam afferentes: plebeia publicaq; lingua scribendum esse. Iccirco ego quirites latinitatis amator (eam enim merito suo mirifice amo ac colo) nimia charitate deuinctus hanc difficillimam laboris panem, hanc durissimã prouinciam, opus tamen, vt mihi quidem videtur, non iucundum modo, scituq; dignum, sed etiam perquàm necessarium, suscepi quàm libentissimè, vt pro latina ipsa romanaq; lingua quam pro virili parte tueri studeo, scriberem: quo, vtcũq; valeo, latinis meis, quemad nodum quirites ex hoc ipso meo labore accepturi estis, vtilitati forem, quoq; & hor

tarer bonos, vt eius studio & accendantur, & erudiantur liberaliter: & mali in inscitia, insaniaq; sua cōtabescentes excrucientur, torqueanturq; dolore, eorumq; præstigiæ ac doli, quibus præclaram, gloriosamqúe, vt Theodosij verbo vtar, iuuētutem capere studēt, pateāt, & veritas, quæ diu delituit, emergat. Atq; eò magis hac in re enixo studio mihi fuit elaborandum, quòd latinarum, græcarūq; literarum studia à plerisq; nostrorum iuuenum neglecta viderem, cuius rei rōnem aperire omnino permagni interresse censui, vt vos vestros maiores immortalitatis candidatos, qui tot suos saneq̄ insignes labores, tot, inquam, egregia facinora per se perpetuo glorianda æternitate donarunt, æmulantes quid hac in re tam necessaria opus sit consulto ac facto perspiciatis, licet id ex alijs inspici possit. Atque inspectis iam, ac deinde sub latis tam clari muneris impedimētis huiusmodi rei omni studio ac cura prouideatur. Et nostri adolescentes, qui aliquando ocio et, delicijs difluentes rebus inanibus assiderunt, auitam illam adeo admirandam virtutem ac gloriam, quæ in sempiternum æuum posteris testata manet, sectātes, tam honesto & ingenuo labori non parcant, sed vim omnem in literarum studia profundentes acrius & auidius in ea incumbant, quibus docti, prudentes euadant, & sapientes. Quòd si iampridem in literarum studia segniter se gesserunt, certe nunc erat nostris, vt cū maxime, vsq; ex vnguiculis latinæ linguæ incumbendum. Hoc potissime contemplantes nōn decere eos, qui ex diuina fere illa orti sunt progenie siue orientur,

quiue in tam fœlici & per beato solo,qđ tot diuinos pro pè viros genuit, exoriuntur voluptati, & desidiæ vacare, sed generositati & labori honesto. Atque vtique nihil eis affectare conuenit maioribus suis indignum: sed de seipsis, qui animis excelsis, & altis esse solent, magnifice, & gloriose sentire, qui iam ex genere tam illustria principia sumpseıũt & gloriasq; atq; prçclarum illud Aristoteleum dictum apud Ciceronem libro tertio de ora. Semper in pectore atq; in animo habere debẽt. Turpe est mihi tacere cum barbaris.

COgitanti igitur persæpe mihi & animo volũtanti quænam esset causa, cur hac tempestate multi nostrorum hominum, & horum vel ij, qui nobiles aut sunt, aut se esse à cæteroq; populo differre putant, latinas græcasq; litteras, quibus non modo liberales artes. sed ẽt romanum ius, quo humanum gñs regitur, atq; ẽt illa ipsa diuina scriptura; cæteræq; disciplinæ oẽs sunt scriptæ; & rerum gestaꝶ memoria posteris prodita; despiciant atq; abhorreant, & vulgares tãtum literas, verius nugas ac nænias quasdam scoriam auro præferentes, consectentur, tres potissimum causæ succurerunt in mẽtem: quarum prima ex docentium, altera ex discentium, tertia ex pueroꝶ parentum culpa manat. Cæterum hic primo prætereundum oĩno nõ esse existimaui; quòd me minime fugit, multis huius ætatis hoĩbus hũc librum lecturis, qui se ciceronianos esse iactitant, visum iri, me haud rectè latinè loqui: quòd vocabulis, & elocutionibus vtar, qbus Cicero vsus non fuit, quos, ne ob id stumachentur, sed

æquo animo hæc legant, monitos velim. Nam hac de re suo loco copiosè disseremus, atque ratione, & multorum vel quidem certe ipsius ciceronis auctoritate ostendemus omnium bonorũ auctorum verbis, & elocutionibus, ne dum Ciceronis, nobis esse vtendum, communemq́; latini sermonis cõsuetudinem seruandam; hæc initio dicẽda nobis visa fuere, neúe quis putet me in portu impegisse, neúe huiusmodi delicatorum hominum teneræ aures offendant, qui non latini, sed ciceroniani esse volunt, cùm potius latinæ linguæ sint contemptores & destructores: nũc institutum prosequamur. Primam autẽ causam cur latinæ, græcæq́; literæ, disciplinarumq́; studia à multis paruipenduntur ex parentum incuria & auaritia proficisci conspicuum quidem est. Nam cum ipsis quàm maxima cura esse debeat, vt initio peritus, probusq́; preceptor eligat, decentiq́; stipendio conducatur, si eum domum admittere velint, qui vel prima literarum elementa pueros docẽs quoad eius opera esset necessaria pseueret assiduus, lõge secus se hac in re gerunt. Sedenim latini eloquij, artiũq́; omnium initia optima esse debere, vel primas literas eruditionis initia, prima inquam literarum elementa pueris à peritis præceptoribus tradi Quintilianus, & quidem iure, præcipit. Horatius item epist. libro primo idipsum iubet. Qui [illegible] ait. Nunc adbibe puro

Pectore verba puer, nunc te melioribus offer,
quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

Magister autem is est eligendus, qui ante omnia probis moribus sit præditus, sit vel peritus, &

optimam docendi ratione calleat, atq vni huic modo negotio vacet, nec alia prorsus occupatione teneatur, sed in hanc vnam tantum erudiendorum puerorũ curam totus sit intentus; haec prima parentibus cura esse debet. Philippus macedonum rex literarum ac doctrinę non expers, Alexandro filio suo, quintilianus ait, prima literarum elementa tradi ab Aristotele summo eius ætatis philosopho voluit, & ille suscepit hoc officiũ, studia ꝑinitia & à perfectissimo quoq tractari, pertinere ad sũmum arbitratus. Quam rem Gellius quoque, vt parentes commoneret, ne indelegendis liberis suis præceptoribus segnes exiſtãt, vtq; liberos ipsos in disciplinas hortaretur, præterire noluit. Quem Philippum vtinam nostri homines imitarẽtur, cui paterna dilectio ac cura talis ac tantà fuit, vt quumprimum puer alexander sibi natus est, de eius præceptore futuro cogitaret, quem optimum elegit. atq dijs gratiam egit; non perinde quia natus est, quàm pro eo ꝙ eum nasci contigit tanti viri tẽpibus, à quo vel primis literis erudiretur, atq liberalibus disciplinis imbutus euaderet sapiẽs; eruditio enim sapientiam præstat. Nunc ineruditissimi quiq pædagogi à plerisq, q̃bus curæ & diligentiæ non est, vt liberi sui probi & eruditi euadant, in doctorum & peritorum præceptorum locum liberis suis præficiunt. Arbitrantes parentes ipsi non continuo pueros erudito præceptori tradi oportere, sed apud minores aliquãdiu detineri tanq̃ instituendis artibus magis sit apta mediocritas præceptoris, cum ad intellectum atq imitationem facilior, tum ad suscipiendas elemẽtoꝝ

molestias minus superba. Cæterum, ait Quintilianus, melius esse optimis imbui palàm est. Nam magna in eluendis, quæ semel insederint, vitijs difficultas consequitur, cum geminatum onus succedentes premat. Tollerabilis esset culpa si eiusmodi præceptores minus docerent, non peius. Et quidem dedocendi grauius ac prius, quàm docendi. Propter quod Timotheum clarum in arte tibiarum ferunt duplices ab ijs, quos alius instituisset, solitum exigere mercedes, quàm si rudes traderentur. Quibus parentibus, quo pacto vites putari, arbores inseri, domos construi & exornari, equorum pulli ac canes educari debeant, ingens ac solers est studium, curaq́; insidet assidua. Eisque rebus hominem, qui eas probè atq; exactè sciat, magno precio conductum adhibent. At in liberorū suorum animis educandis, quorū gloria ac dignitas cara esse debet, vt animo rei magnitudinem complectantur, prō pudor, & negligenter & temere se gerunt. Nullus enī in delegendis præceptoribus habetur delectus, sed, ut Hippodami verbis vtar illyricū quēpiā aut thracem, barbarum, inquam, & imperitum nullius precij, & vt plurimum amicorum precibus adducti, vt magis amicorum voluntati, si tamen huiusmodi veri amici dicendi sunt, obsequantur, quàm liberorum suorum emolumēto, immo quàm suorum ipsorū familiæ decori ac gloriæ, consulant. Et, vt Varro de liberis educādis ait, maiorem curam hn̄t mar supij, q̄ vitę suę. Cum neq; vitis neq; vinū rēp. administret, sed homo, & hominis animus; fundamentumq́; reipub. in puerorum educatione & eruditione consistit.

Id quod Plato, cæteriq; omnes sapientes prodiderunt. ait quidem ille ipse plato libro primo de leg. iuuenes bene eruditi viri probi euadent. probi aũt facti, tum cætera benè agẽt, tum etiam hostes pugnando vincẽt. Disciplina vtiq; victoriam præstat. Et Cicero, pueri sine doctrina morati, neque ciuitates bene moratæ esse põt. Sed de educatione puerorũ alibi non pauca dicentur. Cæterum pleriq; præceptores, seu eorum loco pædagogos domum admittunt, non tam vt liberos suos latinis, græcisq; literis, & bonis artibus atq; virturibus instituant, quorum vt dixi, sibi cura ferè nulla est, quàm vt eis ceu abiectissimis mancipijs vilissimis in rebus abutantur. Plurisq; faciunt parasitos, assentatores, & scurras, obscuros, indecoros, & perniciosos homines, virtutum omnium osores, puerorum & corporũ & animorum corruptores, quos magno honore prosequentes in mensam excipiunt, item fortunarum suarum negociatores, ac procuratores, quibus fortunæ bona committunt, quam suorum liberorum præceptores, quibus eorum animos bonis artibus atq; virtutibus instituendi prouincia demandatur. Etiam si ij sint periti, ẽt si probis moribus affecti, etiam si seniores, ẽt si sacerdotes (sic enim nũc viuitur, vti sacerdotes, quo sibi vitæ necessaria suppeditent & suam sustentent tenuitatem, id officiũ exerceant. Et qui euangelium populo legere, prædicare, & explanare deberent, comœdias & tragœdias pueris edisserere atq; enodare, & veluti in theatro recitare, & plerumq; pædagogum agere coguntur: & cum patres sacerdotis dignitatem con-

templantes, præter cætera sanxerint, ne Episcopus quo- cunq; in loco sedẽs stare sacerdotẽ patiatur: nũc corâm laicis vel adulteris, blasphemis, homicidis, periuris, & huiusmodi, vel mulierculis aperto capite stare; & inter dum O tempora, O mores eis seruire ac ministrare co- gitur, à quibus interdum, vel potius nimium sæpe illu- ditur & contumelijs afficitur) eosq; ceu abiectos, & nul lius pensi hoĩes aspernãtes mẽsa extrudunt; rarò & cum contẽptu alloquuntur, quasi sua cõsuetudine non dignos: quasi vile quiddã sit bonas literas, ingenuas disciplinas, humanitatem, cæterasq; virtutes docere. Sed cur, ait Cicero in oratore, aut discere turpe est, quod scire hone- stum est, aut cur quod nosse pulcherrimum est, id non gloriosum docere? & paulò post, nemo putet in magna arte & gloriosa; turpe docere alios; id quod ipsi fuerit honestissimum discere. Et qui digni sunt, qui maiori ho- nore habeantur, minus honorantur. quid enim in vita hominum magis vtile, immo quid magis necessarium in ueniri potest, quàm morum informator, & disciplinarũ institutor? & tamen à quibusdam nil eo vilius habetur. Quare nihil est quod miremur, si interim pueri, qui non dum ratione vti norunt, præceptores suos aspernantur, cum ipsos à parentibus suis spretos videant. Quiq; æquo alacriq; animo pueros docere deberent, quo aĩo quaq; solertia sic contemptui habiti eos erudire queant, vide- rint ipsi puerorum parentes. Adeoq; infesti sunt præ- ceptoribus, vt eos subinde mutare cogatur, non ani- maduertentes quàm frequẽs præceptorum mutatio pue-

con. carth. iiii.

rorum animis officiat. Negociatores suos de domesticis rebus diebus singulis magna cura, ac solicitudine percontantur, at præceptores de liberis suis non item, sibi enim curæ non est discant nec ne, aut quid discant: plus desudantes, vti ipsis fortunæ bona, quàm animi dotes comparent. quos comptos potius, pulchros, opimosq; videre volunt, q̃ eruditos probos, & sapientes. quorum lateri ensem & pugionem, capiti cristas, collo torquem accómodant, eisq; in manus citharam, & lyram, & chirotecas vnguentis redolentes, non libros tradunt. Atque eos prius psallere & saltare et cantare, quæ ait Salustius, sunt instrumēta luxuriæ, quas ipsi maximas virtutes esse putant, q̃ grāmatica arte, latineq; eloquio imo q̃ primis literis delectari volūt. Seneca studia cantādi & saltandi obscœna vocat. Extat apud græcos huiusmodi prouerbiū in musicæ vituperium, bonus cantor, bonus cupediarius: quòd idem sit hominis aures delectare cātu, & palatum cupedijs. Non tñ, vt mea fert opinio, Salustius, Seneca, & Græcorum qdam musicā, quæ inter liberales artes annumeratur, improbant: cui vel grāmatices, vt qbusdam placuit, subiecta est, atq; vtranq; quidā pueros docuerūt, & Quintilianus musicam oratori necessariam esse dicit, sed improbum eius vsum condemnāt. Nam non ad mortalium cōmodū, vt Orpheus, et Linus, neq; animi causa, sed corporis tm̄ (sola enī ea inter liberales artes luxuriæ incitamēta, si, qui ea vtunt, paulū à recto deflectūt, ministrare posse videt) literaṝ studijs cōtēptis, lasciuè ea q̃dā vtebātur. Neq; heroū atq; deoṝ laudes, vt olim, canebāt,

non, siderum cursus, vt Virgilianus Iopas. Non nunc veri dei sanctorumq; laudes canunt, vt Dauid sed fœdissimas & spurcissimas cantilenas, & animorũ & corporũ corrupteias. Atq;, vt ad institutũ redeam, ita molliter & licenter pueros educant ipsi parentes, vt qui suopte ingenio ad vitia sunt propensi, iam licentia alti, & literarum virtutumq; expertes indies deteriores & insolentiores, atq; etiamnum impudentiores fiant, & ebrietati & crapulæ, vitijs q; oĩbus se dedant, petulanterq; lasciuiant necesse est, vt nec mirũ si latinas literas, studiaq; bonarum artium oderint. Scitè quidem ac probè Terentius dixit, omnes deteriores sumus licentia; & Plato libro q̃nto de leg audacia parit impudentiam. Et quos parentes ipsi licentia & delicijs quotidie perdere contendunt, putant, à præceptoribus reddi posse meliores. Nimirum pueri si nequiter fuerint educati rectè instituí nequaquam possunt, quinimmo nec quidem præceptoribus suis obtemperant, nam, vt Aristoteles politicorum libro quarto ait, & res ipsa loquitur, pueri propter delicias nec in scholis præceptoribus obediunt. Non sunt suæ voluntati dimittendi pueri, neq; delicijs educandi: nam cum nondum ratione vti, neque bona & mala discernere sciant, facile eorum ingenia à recta honestaqúe disciplina ad luxum, voluptatesqúe, & ad omnia mala patranda, ad quæ suapte natura sunt proni, & ad summam dementiam dilabuntur & corruunt. Atque eiusmodi licentiore deliciosaqúe educatione alitis pueris, præter cætera, eorum ingenia obtusiora & hebetiora sunt.

Atq; ita fit, vt magis parentum negligentia & auaritia quàm natura, ad bonarum artium studia inhabiles reddantur, atq; ita improbi euadant, vt probe ac peritè Quintilianus libro primo scribit, qui ait. Plures reperies & faciles in excogitando, & ad discendum promptos. quippe id est homini naturale, ac sicut aues ad volatum, equi ad cursum, ad sæuitiam feræ, ita nobis propria est mentis agitatio, atq; solertia, vnde origo animi cœlestis creditur, hebetes vero & indociles non magis secũdum naturam homines eduntur, quàm prodigiosa corpora, & mõstris insignia, sed hi pauci admodum. fuerit argumentum, quòd in pueris elucet spes plurimorum, quæ cum emoritur ætate, manifestum est non naturam defecisse, sed curam. Quam obrem si ipsis parentum cura & diligentia non defuerit, & à pueris optimum contingerit sortiri præceptorem intra quintumdecimum annum haud dubio multum in literis proficiẽt, quales permulti extiterunt. C. cæsar, ait Suetonius, á puero, & ab adolescentia & metro & soluta oratione quædã cõposuit. Octauianus augustus, ait idem, duodecimum annum agens auiam iuliam defunctam pro cõcione: & Tiberius Cæsar nouem natus annos defunctum patrẽ pro rostris laudauerũt. Gordianus, ait Capitolinus, puerulus multa & metrica ratione et soluta oratione scripsit. Allius flauus, ait Seneca libro secundo cõtrouersiarum, puer pretextatus notus fuit populo Romano eloquẽtia; declamauit enĩ sæpe. Demosthenem, ait quintilianus libro duodecimo, puerum admodum actiones populares habuisse manifestum

est, Caluus, Cęsar, Pollio multum ante quæstoriam omnes ætatem grauissima iudicia susceperunt, & præstantos egisse quosdam est traditum. Cæsar Augustus duodecim natus annos auiam pro rostris laudauit. Verum tñ nec desunt, qui tametsi probum, peritum, solertem, & expertientem, & qui optimam docendi ratione͂ habeat, sibi habere contingerit præceptore͂, tamen quia liberos suos repente peritos, & eloquentes fieri volunt, legem dant, qua filij sui literas ediscant. Et alius ait, hoc primum filios meos doce. Item alius hoc volo, inquit, istud nolo. Hic eos à Cicerone incipere gestit, ille à Terentio pp eloque͂tiam & elegantiã. Et cum ipsi non modo nullam docendi rationem, sed ne quidem artis grãmaticæ latinarumq; literarum notione͂ habeant, & in sua arte parum aut nihil prorsus sint expertes, in aliena periti & expertes haberi volũt. Cum cuiq; perito in sua arte credendum sit. Nam, ait Horatius, tractant fabrilia fabri. Sed hi eiusmodi sunt, quales illi aduersus quos Taurus philosophus apud Gellium libro primo scienter ac probè edisserat. Qui cum repente pedibus illotis ad philosophos diuertunt à posterioribus incipere gestiunt. Hic à symposio platonis propter Alcibiadæ comessationem, ille à phædro propter Lysiæ orationem. Cum Pytagoras, qui optima in instituendis erudiendisq; iuuenibus ratione vtebatur, præter cætera, suos alumnos prius tacere doce͂s quinquenne silentium eis indixerit. Nec prius eorum ingenia laudauit, quàm ea exactè agnosceret. Multos quoque reperies, vel quidem certe qui latinis grecisq; literis

eruditi habentur, qui & ipsi in aliena arte, quam nunquam exercuerunt, periti & experientes videri volunt. Et *legem dant, qua pueri literas edificant.* Et quod *ipsi experti non sunt id docẽt cæteros: senem illum Phormionem peripateticum græcum hominem imitãtes.* Qui, ut Cicero libro *secundo de oratore fert, cum nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam minimam partem imperatorij officij attigisset, præcepta dare de publico illo munere & de omni re militari* Annibali, *qui tot annos de imperio cum populo* Romano *omnium gentium victore certauit, arroganter ac loquaciter ausus est.* Quem Annibal, *& quidem Ciceronis sententia non iniuria, delirum senem appellauit.* *Atque eò stulti facti sunt, vt dicant pueros latinam linguã atque eloquentiam* ex Cicerone *assequi posse etiam si grammaticis operam non dent.* Et *grammaticam artem vti superuacaneam negligentes nolunt pueros orationis partes cognoscere, vt quid sit poeta, q̃d amo, quid ego, hoc est, quid sit nomen, quid verbum, quid cætera generis eiusdem, quid cuique orationis parti conueniat.* Quasi *superflua & minime necessaria sint hæc.* Cum quintilianus *optimus præceptor non eiusmodi modo, sed literarum affinitates pueros quàm optime scire iubet, vt alibi ostendemus.* *Sunt enim omnino necessaria.* Quare probè Cicero *in oratore ait. omnium magnarum artium, sicut arborumq; altitudo nos delectat, radices, stirpesq́; non item, sed esse illa sine his non possunt. Sedentarias sordidasq́; artes nemo quisquam assequi valet, nisi eis operam non exigui*

temporis

tēporis insumpserit. Neque artifices ipsi, cū eas pueros docēt, earū initia prætermittentes à posterioribus incipiūt. At grāmatica oīum liberaliū artiū fundamēto, cæterisq; liberalibus disciplinis ... astutū eruditi fieri gestiunt. quot pueri eiusmodi sunt (præstāt enim alij alijs ingenio (vt in illis ipsis viuidis pectoribus clara, vegeta, & aspicata ingenia vigeāt vireantq; integris sensibus, quæ parentū incuria et auaritia obtusiora redduunt et hebetiora. Itaq; siue negligētia, siue auaritia, siue vtraq; liberos suos, prō pudor, brutis similes aīantibus adolescere permiūt contra oīum bonorū consiliū, qui multis rōnibus pueros bene educari et erudiri iubent: immo vero cōtra pietatis et humanitatis iura: atque etiam contra diuinam legem. Ita vt huiusmodi homines nequaquam veri parentes dicendi sint, cum parentis officio in pueros ipsos minime fungantur. Et certe, vt non modo se humanæ sapientiæ præceptis, et humanitatis iuri, sed vel diuinæ volūtati resistere atque aduersari, qui suorum filiorum curam negligunt, sentiant, vbique in sacris literis iubentur parentes liberos suos disciplina, et virtutibus, et in timore domini erudire. Qui non tantū puerorū mortalia corpora, quàm diuinas ipsorū aīas cœlo lapsas quæ inmortales & æterne sūt, atq; eo remeaturæ, vnde venerūt, sibi custodiēdas cōmissit. Et ideo parētes ipsi magis aīarū q̄ corporū pulchritudinē inspicere debent. qui vero secus se gerūt, et puerorum aīas ætrno atq; inextinguibili igni in interitū tradunt & se ipsos in furorem iudicij demergunt. Nam quæcunq; filij delinquunt a parentibus requirentur, qui pro ipsorum

animarũ salute curã non agunt eos erudiendo & corrigendo, maiorẽ corporũ, quàm aiarum curam habentes, id qđ heli et filijs eius, alijsq; accidisse liquet. Atq; vtinã Iob sibi proponerẽt imitãdũ, cui paterna synceritas, vehemẽs cura, atq; dilectio ingens pro filijs suis semper fuit, vt benè beateq; viuerent, eos disciplina, & in timore ac dilectione domini instruens. qui plus de animarũ, vt par est, quã corporũ salute solicitus arat. Qui dicebat, ne forte peccauerint filij mei, & Deum in cordibus suis læderent; ita vt viua atq; perfecta illa paterna charitas et dilectio ipsũ cogeret, quo sibi curæ esset, ne filij sui vel cogitatione Deum offenderẽt. Sed quid præterea est quæso quamobrẽ miremur, si huiusmodi mali parentes in senectute à liberis suis deserunt, qui parentũ senectæ baculus, domus anchora, & columẽ familiæ esse deberẽt? cum ipsi liberos ipsos suos pessime educauerint, licentia & delitijs perdiderint, ob negligentiã & auaritiã rudes, ignorantes, & malis moribus affectos adolescere permiserint, eisq; vitæ exemplũ, cũ non benè vixerint, minime præstiterint. Ad hæc oculum huic rei inijcerent huiusmodi hõies, qui liberis suis non animi, sed fortunæ bona comparare annitunt, multos fuisse, esseq; modo, qui licet, sui parentes magnas sibi opes cõparauerint, magnamq; pecuniarũ summam siue in nominibus, quæ iam multa fecerant, siue in numerato relinquerint, tamen quia ob imperitiã bonarũ literarũ ludis vacauere, luxu & delitijs difluere, breui caput diminuerũt, à statuq; discesserunt. Et patrimoniũ omne distrahentes & decoquentes grande æs alienum suum

conflauerunt. Quod dissoluere non valētes, sed versuram semper soluentes ad assem redati sunt & turpiter ac miserabiliter vixerūt. Altera autem causa cur latinarū græcarumq; literarū, disciplinarumq; studia despiciuntur, culpa est discentium. Siquidem puerorū plerique iam parentum in curia, vt exposuimus, delitijs aliti ignauiā desidiamq; amplectuntur et ingenuas artes, cæterasq; disciplinas latinis græcisq; literis celebratas, quæ non nisi magnis laboribus, assiduisq; studijs acquirunt respuunt & stomachātur. Etenim nisi pro virili parte ad studia bonarū artium animū adiunxerint eximio literarū amore flagrātes in eis ipsis studijs proficere non posunt. Id quod probe Cicero tus. quest. libro primo scribit. Honos, inquit alit artes, oēsq; incendunt ad studia gloria. Et quint. libro primo studium discendi voluntate, quæ cogi non potest, cōstat. Et rursus. Mihi ille detur puer, quē laus excitet, quē gloria iuuet, qui victus fleat, hic erit alendus ambitu, hūc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit, in hoc desidiam nūquam verebor. Nempe inuitis, vt dicitur, canibus venādum non est, ac frustra iaciuntur semina, nisi terra quàm optime fuerit subacta. Idipsum Cicero. sæpe desiderat, qui libro secundo de Orat. ait. Subacto mihi ingenio opus est, vt agro non semel arato, sed nouato & iterato, quo meliores fœtus possit & grandiores edere. Subactio autem est vsus, auditio, lectio, literæ. Licet id ad præceptores etiam referendū sit, qui pueros non festenato eruditos reddere gestiāt, sed eos sensim, vt mox dicemus in literis erudire debeant, eis non semel atque iterū modo,

sed sæpius, si oportuerit, id idem planum facientes. Opor*tet igitur pueros, qui probi, eruditi, & sapientes euadere volunt, ingenti literarum amore, ac desiderio teneri: & præceptores suos non minus, q̃ ipsa studia amare, eosq́; parentes suarum mentiũ credere, quos vel timere debẽt. Qui animos suos bonis artibus ac studijs ad humanitatẽ, cæterasq́; virtutes informare atq; instituere habeant: Multum enim, ait Quintilianus, discipulorum in præceptorem suum amor ac pietas confert studio. Nam & libenter audiẽt, & dictis credent, & esse similes cõcupiscent. In ipsos deniq; cœtus scholarum læti et alacres cõuenient emendati non irascentur, laudati gaudebunt, vt sint charissimi studio merebuntur.* Nam *vt illorum officium est docere, sic horum præbere se dociles.* Alioqui *neutrum sine altero sufficit.* Et *sicut hominis ortus ex vtroq;* gignen*tium confertur, & frustra sparseris semina, nisi illa præmollitus fouerit sulcus: ita doctrina atq;* eloquentia *coalescere nequit nisi sociata tradentis accipientisq́; concordia.* Et *enim qui præceptorem suum spernit doctrina dignus non est, neq; eam vnq̃ assequi, nec quidẽ probus esse neq; fieri potest.* Equidem *vix dici põt quanti sunt facien di bonarum artium institutores, ac morũ humanæq́; mentis informatores. quibus discipuli eandem venerationem debent, quam parentibus suis. qualem se debuisse* Seneca *ait præceptoribus suis. qualem* vel exhibuit Achilles Chi*roni præceptori suo, licet is centaurus esset.* De quo Oui*dius libro primo de arte amandi inquit.*

QVI *toties socios, toties perterruit hostes*

Creditur annosum pertimuisse senem
Quas Hector sensurus erat poscente magistro
Verberibus iussas præbuit ille manus.

Quãta bona pcat' Iuuenalis eiusdẽ tãti viri exẽplo ijs qui pceptores suos reuerẽter colũt:q Sat. septima ita scribit,

Dij maiorum vmbris tenuem & sine pondere terram
Spirantesq; crocos, & in vrna perpetuum ver
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco: metuens virgæ iam grandis Achilles
Cantabat patrijs in montibus, & cui non tunc
Eliceret risum citharœdi cauda magistri?

Alexander Magnus honore ingenti Aristotelẽ & Anaximenẽ præceptores suos prosecutus est: Ita vt præter cætera, illius patriũ solũ à philippo patre euersũ instaurarit, illius patriam, quam ruiturus erat, seruaurit incolumem. Senatus Molonem rhetorem Græcum hominem, qp studia Ciceronis acuerit, et summam vim Romanæ eloquentiæ adiuerit, magno honore affecit Q. Fufius Calenus apud Dionem lib. quadragesimosexto se duo milia iugerum agri Leõtini præceptori suo assignasse dicit. M. Aurelius Antoninus Cæsar cognomento philosophus, ait Capitolinus, tãtum honoris magistris suis detulit, vt imagines eoꝝ aureas in larario haberet, ac sepulchra eoꝝ additis hostijs et floribus semper ornaret. Hi et alij eiusmodi et doctrina digni fuerũt, et sẽpiternã laudẽ sũt cõsecuti, qui iã sũmo atqꝫ ãplissimo gñe nati, et disciplias enixo studio ãplexati sũt, et pceptores suos vti genitores vel pone mortẽ et amauerũt multũ et coluerũt. quare et



disciplinis item prudentia & sapientia longe præditi, & probis moribus affecti fuere, Tertiam autem causã cur bonarum literarum studium contemnitur neq; adeo in eis proficitur docentium vitio esse manifestum est. Nam nostra ætate, quod absq; nimio animi angore dicere non possũ, pauci admodũ sunt qui, latinas literas docere sciant. Nullam enim docendi normam modũq; seruare sciunt. Nam pleriq;, cũ parum, aut nil prorsus eruditionis habeant literarum ludum aperiũt, quos doctos ac peritos esse, et quintilianus, & alij oẽs voluerunt, ratioq; ipsa exposcit. qui pueros quàm optime docere sciant. Ipsi præterea pędagogi, qui et ipsi, vt par est, eruditi esse deberent, ne in literarum eruditione mala pro bonis pueros imbuant, licet se ineruditos esse sciant, se tamen eruditos esse mentiuntur. Qui, quintilianus ait, vt aut sint eruditi planè quam primã esse curã velim, aut se non esse eruditos sciant. Nihil enim peius est, ijs qui paulũ vltra primas literas progressi, falsã sibi scientiæ persuasionem induerunt, & cedere præcipiendi peritis indignant, & velut iure quodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus intumescit, imperiosi atq; interim sæuientes stultitiã suam perdocent. Reperies hac ætate pædagogos ac magistellos permultos, qui ne syllabas quidẽ numerando coniungere norunt; ita vt pueri nõ modo tardius, sed etiam peius legere discant, Et quod deterius est, longe celerius quàm opus est hac quoq; in re se gerẽtes, puerulos, qui nec dũ legere sciũt, artis grãmaticæ rudimẽta docent. quid de enunciatione dicam? Quæ, & sunt oĩa deprauata, in barbariẽ

versa est. Nam, vt hac de re pauca dicam, g. literã adiectã secundæ & tertiæ vocali, item i literam cuicũq; vocali adiectam crassissime pronunciãt. Neq; vacui à culpa sunt ij quibus negotium à puerorũ parentibus datur, quo eruditos sibi præceptores traderẽt, qui parum fideliter se gerentes eis tradunt ineruditos. superuacũ esset admonere, nisi his tẽporibus (vt sunt o͡ia deprauata) grãmaticã artem negligi, et pueros ob præceptorũ et pædagogorum ignorantiã nil in literis proficere cernerẽ. qui pædagogi & præceptores imperiti primis grammaticæ artis rudimẽtis ac præceptis, veluti nõ necessarijs omissis, aut leuiter & negligenter attactis. statim ambitiosa quadam festinatione, vt quint. ait, à posterioribus incipiunt. Et dum ostentare discipulos circa speciosiora malunt, cõpẽdio morantur. Nã cum eos (riserit aliquis fortasse hoc præceptun, est enim non tam acutum, quàm necessarium, magisq; monitoris non fatui, quàm eruditi magistri) paulatim nutricum more disciplinæ cibo alere deberent, grãmaticã artẽ tardo incessu dictatis scriptis, vt abusq; tp̃e prisco institutum est & factitatũ, per singulas eius normulas non semel aut iterum tantum, sed quoad opus fuerit, traditis ipsos docentes, quo latinè loqui ediscant, vt à bonis magistris fit, statim eos grãmatica ipsa arte omissa, aut, vt dudum dixi, leuiter & negligenter attacta, latino eloquio elegantes, ac peritos, cũ ipsi sint ignorantes, reddere (quod fieri nequaq̃ potest) gestiunt, epistolarum themata, quibus ornate & eleganter loqui ediscitur, pueris tradentes, cum nondum latinè loqui sciant. Atq; vsq;

adeo ab huiusmodi negligitur ars ipsa grãmatica, quam ne primoribus quidem labijs gustarunt, sed, vt dicitur, vt canis è nilo, vt plerumq; pueris, qui necdum quidem nomina & verba exactè declinare sciũt, quod ipsum Quintilianus potissimum, & quidem iure, expetit, nec nomen cum verbo rite connectere, neq; adiectiuum nomen cum substantiuo copulare, neq; relatiuum cum superiore coniungere, quæ et si minima ipsis videantur, tamen sine eis maxima constare non queunt, & epistolarum themata dant, & graues ac multos auctores exponunt. Non *sufficientes fieri nequaquam posse, vt quis ornatè & eleganter loqui valeat, qui latine loqui nescit.* Id *quod* Cicero *in tertio de oratore libro scribit.* Ne*q; enim, inquit, conamur docere eum dicere, q̃ loqui nesciat, nec sperare qui latine non possit, hunc ornatè esse dicturum.* Et *quidẽ grammaticam ipsam, quæ à multis insulse & inscitè negligitur, Quintilianus nõ modo omnino vtilem esse, sed esse etiam necessariam ita libro primo scribit.* Gr*ammatica nisi oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxeris corruet.* Ne*cessaria pueris, iucunda senibus, dulcis, secretorum comes, & que vel sola omni studiorum genere plus habeat operis, quàm ostentationis.* Et *non Quintilianus modo pueros in literis mollius ali, grammaticãque artẽ quàm optime scire vult, sed ipse quoque* Ci*cero hæc eadẽ præcipit.* Q*ui libro tertio de oratore docet quomodo ex arte latine loqui absq; errore possimus.* Et *ad* Heren. *libro quarto docens quomodo barbarismũ et solœcismum fugere debeamus omnino ad artem gram-*

matică, cuius ipse diligentissimus fuit, nos mittit, sine qua rectè latine loqui nō possumus. Id idē passim scribit Plato, vt alio in loco planius ostendemus. Quid enim aliud est latine loqui, quid latinitas ipsa, nisi grāmatica ars? Magnam insuper molem huiusmodi pædagogi & præceptores teneris adhuc humeris apponunt ferendam; grauissimos & difficillimos auctores, & eos permultos, vel rhetoricorum libros pueris interpretantes, cum aliud sit grāmatici, aliud rhetoris officium, & cū ipsimet eos minime intelligant puerorum animos hisce anfractibus atque inuolucris implicant, vsq; adeo quidem, vt ueras literas nullo pacto assequi queant. Nam, ait Cicero de oratore libro secundo, non potest in eo esse succus diuturnus quod nimis celeriter est maturitatem assecutum. Neq; in legendis auctoribus librorū seriem seruant: nam ipsorum quidam interdum vel potius nimium sæpe pueris, qui nihil dum de Virgilio intellexerunt, statim aut tertium, aut quartum, & interim sextū æneidos interpretantur, tantaq́ue festinatione accelerant, vt pueros, quos vel apud eorum parentes ostentare volunt, prius rethores & poetas reddere gestiant, quàm eos grāmatice loqui doceāt. Quo fit, vt, quoniā artis grāmaticæ et latini eloquij sunt expertes, latinis literis nunq̄ oblectentur, cum earum vim ac voluptatem suauitatemq́; minimum sentiant. quin ēt earum studia, quæ amare maximopere deberēt, oderint. Ididem de Græcis literis accidit. Quod siqui eiusmodi ad studia aliarum liberalium artium, iurisq́; scientiā sese conferunt non adeo, aut nil prorsus in ipsis proficiunt.

quis enim mediocriter prudens ignorat fundamento celeriter & segniter iacto quicquid superedificatum fuerit diu subsistere non posse, sed subito casu ruiturũ? Equidẽ sine humanitatis studijs, sine, inquam literarũ peritia non possunt, quam cupiunt, assequi facultatem. Atq; utinam quintiliano viro sanè docto ac perito, & hac in re admodum experiẽti parerẽt præceptores & pædagogi. Qui permulta, & quidem peritè & accuratè, quæ ad literariam puerorum institutionem spectant, tradidit, docetq; non celeriter ac temerè, sed paulatim in literarum eruditione pueros ali debere. Qui, præter cætera planè multa, atq; adeo pulchra & vtilia libro secundo ait. In pueris oratio perfecta nec exigi nec sperari potest. Ipsi præceptores teneras adhuc mẽtes more nutricum mollius alant, & satiari veluti quodam iucundioris disciplinæ cibo lacteq; patiãtur. Et rursum. Præceptori opus est, cum adhuc rudia tractabit ingenia non statim onerare infirmitatem discentium, sed temperare vires suas, & ad intellectum audientium descendere. Nam vt vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus vel ẽt instillatis cõplentur. Sic animi puerorũ quantum excipere possint videndum est. Item quæ ratio in legendis auctoribus seruanda sit, quiq; primi legendi docens, non singulos quosq; auctores, neq; multos pueris legi debere, sed pro ætatis & captus mẽsura præcipit. Ait enim libro eodẽ. Pueris quæ maxime ingenium alant, atq; animum augeant prælegenda, cæteris, quæ ad eruditionem modo pertinent, longa ætas spatium dabit.

Et libro primo ostendit vsq; à principio institutum esse & factitatum, vt Virgilius, et ex græcis Homerus primo legerentur, quo teneræ mentes non modo quæ diserta sed vel magis quæ honesta sunt discant. Ideoq; ait, optime institutum est, vt ab Homero atq; Virgilio lectio inciperet: quanquam ad intelligendas eo℞ virtutes firmiori iudicio opus esset, sed huic rei super est tempus, nec enim semel legentur. interim & sublimitate heroici Carminis animus assurgit, & ex magnitudine re℞ spiritum ducat, optimis imbuatur. Et rursũ libro decimo. Apud græcos Homerus, sic apud nos Virgilius auspicatissimũ dederit exordium. Et Augustinus non modo Virgiliũ primo pueris prælegi approbat, sed etiam eum mirandũ immodũ cõmẽdans, cur primo ipsis prælegi oporteat scribit, ait enim libro primo de Ciuitate Dei. Nempe Virgilium propterea primũ legunt, vt videlicet Poeta magnus, omniumq; præclarissimus, atq; optimus teneris ebibitus ãnis nõ facile obliuione possit aboleri. quem etiam vulgò doctissimũ, quem sapientissimũ, quẽ ingeniosissimũ poetam appellat. Et Hieronimus in Micheã Virgiliũ ipsum poetã soblimẽ, non Homerum alterũ, vt Lucilius de Eẽnio suspicatur. sed primũ Home℞ apud latinos appellat. Alexander Seuerus Imperator, ait Lampridius, Virgiliũ Platonẽ Poeta℞ vocabat. Licet quint. ipse alibi Æsopi Fabellas, quæ fabulis nutricula℞ proxime soccedunt, puerulis sermone puro et nihil se supramodũ extollente primũ exprimi velit, qua in re præceptoris iudiciũ opus est. Et certe bono℞ poetarum & præcipue Maronis versibus optimã philosophiæ

præcepta traduntur, vnde pueri virtutes edocentur, & absterrētur à vitijs. Adde quòd versibus pueri vox emendatur, & pronunciatio formatur rectius, aureśq; delectantur, et ad iudicandum erudiuntur: præterea pueri os debile ac tenerum balbumq; poeticis lectionibus corrigitur, id quod probe ac peritè Horatius epistolarum libro secundo scribit. Terentium vero aliosq; comicos pueris legi Quintilianus nolit, sed cum maturitas ætatis adest, nec facile corrumpi possunt. Comœdia, inquit, quæ plurimum ad eloquentiam conferre potest, cum per omnes & personas & affectus eat; cum mores in tuto fuerint, inter precipua legenda erit. Et non auctores tantum sed ēt partes operis eligi vult. Nam Horatium, inquit, nolim in quibusdam interpretari. Sed neq; auctores interpretandi rationem, vt tum moris erat docere est dedignatus, vt primo auctoris textus in quotidianum sermonem soluatur, inde in structura lectionis mutatis verbis per secretiorem linguam, latina vocabula, quas græci glossas vocant, eum interpretari. Id quod etiam nunc ab optimis præceptoribus seruatur, à quibus lectio bis terúe repetitur, quo faciliùs ac tenacius in puerorum animos imprimatur. Quos manu, vt par est, docentes, quæ docent in morem nutricum veluti tenuissimas particulas, ac minima mansa in ipsorum ora inserunt. Atque, præter cætera, volunt, vt pueri, auctores, quos ipsis elucidant, scribant, quo verbis singulis glossas latina vocabula, superscribant. Illud autem neunquam asserere ausim, quod quidam parum scienter dicunt, ludi magistros epistolarum

dictata, quæ discipulis traduntur, quibus ornate & eleganter loqui ediscitur non suo ingenio dictare debere sed ea è Ciceronis epistolis petere. Nam turpe quidem est ludi magistris nihil ex se inuenire. Sicut neque declamationum themata ab alijs petenda sunt. Par est autem præceptores aut nouas materias resque effingere, aut eas ex rebus, quæ in diem accidũt, sumere. Ciceronis autẽ stilũ potissime imitentur, verba vero & elocutiones & ex eo, et ex alijs eruãt. Debet enim, ait quintilianus, solers et peritus præceptor discipulorum imprimis ingenia ac naturas sedulo perspicere, atque īgeniorum ipsorum discrimina notare, et quo quenque nã maxime ferat, scire. Nam est in hoc incredibilis quædã varietas, nec pauciores animorum penè quàm corporum formæ. Et ad cuiusque naturam institutio doctoris accomodanda est. Et in his calcaribus, cõtra hos frenis vtatur, exultantes verborum audacia reprimens, cunctantes & quasi verecundantes incitans, vt optimus præceptor Isocrates factitare solebat. Cæterum præceptorum ac pedagogorum pleriqúe nõ ad discipulorum, sed ad suum in docendo cõmodum animos attendunt, vt in auctoribus explicandis, quos pueri percipere nondum valent, ipsi se exerceant & proficiant. Imitanturque malos medicos, qui alieno periculo medendi artem ediscunt: sed nec quidem prius, quàm aut multos perimant, aut certé morbos in longum protrahant. Nonnulli alij, cum animum in discipulos minimum intendant, quæ sciunt haud nempe fidelitier, sed malignè dispensant, quo diutius sua opera esset necessaria.

Qui quidē totū animū in discipulos dirigere deberēt, atq; q̃ maxime optare vniuersa, si possent, in ipsos trāsfundere. Et cum benigna quadam ac syncera familiaritate; volūtate, item omni studio, ac cura, laboris ac tædij æquanimiter patientes suos alumnos ceu filios (est enim bonus præceptor alter parens) informare atq; instruere & bonis literis, & moribus: bonā indolē sæpe hortando erigere: ipsos crebis monitionibus & uerecundia, non contumelijs aut iracundia, emendare ac docere debent. Et nunc laudibus eorū animos afficere, nunc exhortationibus ac monitis ignauiam desidiamq; discutere. Atq; eos modo blande, nonnunq̃ minaciter obiurgantes, non tamen quasi oderint, ingenium pigrum & latens extrahere. Etenim præceptoris diligentia, & quotidiana assiduitas necessaria est, & puerorum memoria exercenda: quæ est omnium bonarum artium receptaculum. Atque, ut Cicero lib. primo de oratore ait, memoria est rerum omnium thesaurus. Quæ excolendo, sicut alia omnia, augetur. Sit præceptor assiduus nulli alij rei vacans, & discipulos vti filios diligat. Atq; ipse per se pueros doceat, non per vicarios, vt plerięq; id ætatis facere assolent. Qui in docendis pueris vicariorum vtiq; ignorantium opera utuntur. Qui pueros non q̃dem doctrinam docēt, cum eam non habeāt sed stultitiam suam atq; ignorantiam. Breuiter tria omnino habere oportet is, qui alios erudire vult, vt ipse eā, quam docere uelit, artem quàm optime teneat: habeatq; quàm optimam docendi rationem, in quo iudiciū vsusq; necessarij sunt, vt sciat quid sit pueritis ætatis, inde quod

vniuscuiusq; ingenium sit, & corporis constitutio: sitq; ei hac in re animus quàm libentissimus ac prōtissimus, et æquo libentiquè animo laborem ac tædium patiatur, quorum altero deficiente nihil prorsus agitur. Ipse præceptor, ait Quintilianus, nec habeat vitia, nec ferat. Cuius sanctitas teneriores aīos ab iniuria custodiat, & ferociores à licentia grauitas deterreat. Nō austeritas eius tristis, non dissoluta sit comitas, ne inde odium, hinc contēptus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono sermo sit. Nam quò sæpius monuerit hoc rarius castigabit. Minime iracundus, nec tamen eoꝝ, quæ emendanda erunt, dissimulator, simplex in docendo, patiens laboris, assiduus potius, quàm immodicus. Verberari autem pueros ob humanas disciplinas assequendas, licet à quibusdam receptum sit, Plato, & eum nostroꝝ multi secuti nolunt. Ait enim ille Reip. libro septimo. Nō decet liberum hominē cum seruitute disciplinā aliquā acquirere: nam nulla animi violenta disciplina est stabilis. Ergo non tanquam coactos pueros indisciplinis, sed quasi ludentes enutrias, vt magis ad quod quisq; natura sit aptus possis cognoscere. Et Varro de liberis educandis ait. Remotissimum ad discendum formido ac nimius timor & oīs perturbatio animi: contra delectatio protelo ad discendum. Et Seneca. generosus animus rectius ducitur, quàm trahitur: nam pudore & monitis redditur melior, Quintilianus etiam libro primo multis rōnibus et exemplis probat pueros ob disciplinas minime verberari debere. Plutarchus quoq; de pueris educādis pueros ad honesta exercitia non plagis aut verbe-

ribus, sed monitis & rationibus adduci oportere ait. Ob malos autem mores, si monitis & consilijs non emendantur, verberandi sunt, & si opus fuerit, assidue. Id quod Salomon iubet, qui dicit virgam pueris tribuere sapientiam. Et Cicero Tus. libro tertio pueros et à parentibus et à magistris, cũ quid deliquerint, & verbis & verberibus castigari oportere dicit. Summo itaq; studio cauendum est, ne pueri ineruditis, vel negligentibus, vel inuidis hominibus docendi tradantur. Sunt enim nõ erudiẽdorum puerorum, sed perdendorum magistri, quos vel potius decepto res ac fœni messores diceres quàm bonarum literarum præceptores. Atq; duo hinc mala emergũt, alterũ quia pueri nihil penitus literarum nãciscuntur, & in ignorãtia adolescũt, alterum quia parentes multa in huiusmodi effundunt. Atq; vtinam vigeret hac tempestate Romanorum illa censoria seueritas, quæ latinarum literarum studia, vt olim, fouẽs ineruditos ludi literarij magistros & pædagogos ab hoc docendi munere abigeret: quẽadmodũ. L. Crassus apud Ciceronem libro tertio de Oratore egit, qui edicto suo imperitos quosdam rhetores coegit in ordinem, atq; interdixit professionis munere, quòd parum id scite administrarent. Videbat enim adolescentium ingenia non acui, sed contra obtundi, corraborariq; impudentiam. Quanq̃ huic illi tanto malo sacrosanctis vigilantissimorum Imperatorum sanctionibus consultum est. Gordianus enim ita
Cod. x. sãxit. Grãmaticos seu oratores decreto ordinis probatos, si non se vtiles studentibus prebent: denuo ab eodem ordine reprobari posse incognitũ non est. Et Iusti. magistros
Cod. x. studiorum

studiorum, doctoresque excellere oportet, moribus primum, deinde facundia. Sed quia in singulis ciuitatibus adesse ipse non possum, iubeo quisquis docere vult non repente ac temere prosiliat ad hoc munus, Sed iudicio ordinis probatus, decreto curialium mereatur optimorum conspirante consensu. Theodosius item optimus Imperator, et religiosissimus Christianus post Maximi tyranni victoriam Romam cum Valentiniano collega, vt libro nono historiæ, cui titulus est tripartita, legitur, triumphaturus ingressus est, ac dum Romæ fuit, multum profuit vrbi alia instituendo, alia vtiliter auferendo, ac præter cætera, percupiens Romanam gloriosam, vt ipse vocat, adolescentiam Romanæ eloquentiæ doctrina, cæterisque liberalibus disciplinis institui, Romanũ gymnasiũ, vbi literarũ studia quàm maxime florere debent, quàmoptime disposuit. Iubetque præter cætera, omnium disciplinarũ peritos ac probos eligi magistros. Id ipsũ Honoriũ eius filium egisse haud dubium credendũ est. Qui in reformãda Vrbe Roma solers fuit. Qui, vt libro decimo historiæ tripartitæ scribitur, initio sui Imperij manomachias, quæ Romæ celebrabãtur, sustulit, quas pridem Constantinus primus sustulerat: Et mathematicos Vrbe Roma pellit. Quare monitos peruelim non solum Romanos, quibus, quia latinus sermo sibi, sicut & omnibus alijs latinis populis, vernaculus est & indigena, turpe est ne scire latine loqui, sed omnes etiam alios, quibus suorum liberorum cura inest, quo bene morati, probi, eruditi euadant atque prudentes, vt aut non imperitos, vt sæpe dixi, et semibarbaros præceptores seu

Cod. xi.

Cod. i.

eorum loco pædagogos quàm minimo aut nullo pretio, à quibus pueri nil aliud, q̃ nihil scire discunt, sed peritos & probos præceptores, & qui veram atq; optimam docendi ratione͂ habeant decenti stipendio conductos domum admittentes liberis suis adhibeant, eosq; non minimi faciant, qui, quousq; eius opera discipuli egerint, perseuerantes sint & assidui: aut, quòd longe vtilius est pueris, more maiorum ad scholas publicas, ac triuiales eos à peritis artis grãmaticæ, & rhetorices præceptoribus erudiendos mittant. Danda est etenim opera q̃ diligentissimè, vt huiusmodi præceptores, & doctrina & moribus approbati eligantur, qui maiori se turba, quàm vt sustinere eam possint, non onerent. Et certe Quintilianus grauis, locuplesq; imprimis auctor, & experie͂s vir, multis rationibus probat, vtilius esse pueros in scholis publicis, vbi plures discipulorum classes sunt, q̃ domi priuatim erudiri. Siquidem in scholis plublicis, præter cætera, eos excitat emulatio, pariq; iugo in studijs omnes annituntur. Multaq; grauia audiunt pueri, quæ etsi plenè percipere non valent, quia maturitas ætatis abest, & eruditioribus præleguntur, tamen sibi adeo cõducit ea audire, auresq; eorum huiusmodi uocibus personare. quodipsum vel Cicero ad Leptam scribens asserit: seq; cupere ait Leptam pueru͂ scriptis libri, cui titulus est orator, delectari, etsi, inquit, abest maturitas ætatis. Iam tn͂ personare aures eius huiusmodi vocibus non est inutile. Ite͂ multa sæpius audiunt, vnde quæ primo non plenè perceperunt, aut memoria exciderunt, eadem denuo intelligendo, ipsorum

animis tenacius affiguntur. Equidem in scholis ipsis discipulorum classes, mea quidem sententia, neque pauciores tribus esse debent, neque plures, summum quatuor. Et certe olim, cum literarum studia longe plurimum florebant, & apud Græcos, & apud Romanos vel principum Ciuitatis liberi in scholis publicis, triuialibusque à peritis preceptoribus & grammatica, & rhetorica arte erudiebantur. Habebāt tamē singuli nobiles domi pædagogos, qui pueros ad scholas ipsas & aliò deducebant. Quod si publicæ vtilitati non consulitur, monerem vt aliquot vicatim, vt puta duodeni aut plures vnà aliquem virū probum, peritum, iudicio præditum, & qui veram atque optimam docendi rationem calleat, decenti stipendio conducant, qui liberos suos & bonis literis, & probis moribus instituat. Enimuero his temporibus adolenscentes ob eas ipsas, quas diximus, causas, quia ob imperitiam litterarum studijs bonarum artium non oblectantur, præter ea, quæ dicta sunt, re uilissima delectātur. Nā libellos quosdam vulgares sonoris quibusdam cantilenis, rebus inanibus, & obscœnitatibus refertos, quia nullo sibi negotio, non doctrina, non studio, non iudicio, non labore, vt eos intelligant, opus est, & ad voluptates facile accēduntur, semper præmanibus habent, quos curiosissimè legunt, qui non solum à studijs bonarum artium, sed à pietate, ac religione legentium animos abducunt. Sed nec tantum harum vilium, & perniciosarum rerum lectoribus, q̄ auctoribus & defensoribus est irascendum. qui libelli omnino quidem è medio tollendi sunt, & igni tradendi, sed

de hoc alibi pluribus. Quoniã autẽ frequẽs hic de pædago go mentio facta est, et quidã, vt est imperiti et audacis vulgi natura, sobrios & eruditos homines, qui pueros bonis literis artibusq; instituũt, æque ac vilissimos homines floccifacientes pædagogos appellant, cum aliud sit pedagogus, aliud præceptor, ostendendum est nõ incongrue quid sit pædagogus. Nimirum pædagogus nõ eum significat, qui pueros bonis literis liberalibusq; disciplinis instituit, quem latini doctorem et præceptorem, græci vero didascalon vocant: sed eum, qui pueros custodit, educat, vltro citroq; deducit & reducit, & sequitur, vnde pædagogeo pueros sequi sonat. Qui pueros ipsos bonis moribus instituit, quem Iuuenalis Satira septima custodem discipulorum vocat. Etiam propalàm est & apud Ciceronem & Quintilianum, aliosq; tum latinos, tum græcos, aliud esse præceptorem, aliud pædagogum. Et certæ Leonides Alexandri Magni pædagogus fuit, qui eum obseruabat, educabat, deducebat, & sequebatur, & mores docebat, Aristoteles vero eius doctor ac præceptor fuit, qui ipsum literas docebat. Et optimus præceptor Isocrates, siue vt alij, Diogenes cum vidisset puerum male moratum in eius pædagogum multa verbera tergo impingit. Quos tamen pædagogos & Quintilianus, & alij eruditos esse voluerunt, qui pueros domi aliqua docerent, & eorum, quæ à præceptoribus in scholis percipiebant (ediscebant enim et ipsi) puerorum animos ad memoriam reuocarent. Hæc de pædagogo dicta sint. Cæterum nec desunt, qui dicant latinas græcasq; literas, liberalesq;

artes, ac disciplinas ad mortaliũ animos cõponendos, rẽq; pub. moderandam nihil conferre, sed mercaturæ duntaxat, opibusq; cumulandis operam nauare oportere, felicitatemq;, ac nobilitatem non in animi dotibus, vt est, sed in fortunæ bonis, rectius quidem ludibrijs, statuentes. Cum diuitiæ, ait Aristoteles rhetoricorum libro secundo, & quidem recte, nil aliud ferè sint, quàm felix amentia. Quæ non modo hominem prudentem, & sapientem, & felicem reddere nequeunt, verumetiam ipsum cupidum, timidum, improbum, & infelicem efficiunt. quid enim stultius, & insolentius in vita mortalium diuite homine, qui bonarum disciplinarum sit imperitus, & à studijs liberalibus abhorret? cum diuitiæ illæ impudicis voluptatibus ac desidiæ paratæ sint, neque in hominum vsum, aut aliquã vitæ vtilitatem erogantur. vnde Plato libro quinto de legibus ait. Valde diuites boni viri esse non possunt, quod si boni non sunt felices quoque non erunt. & libro nono. Ignorantia causa est, quod diuitiæ non recte laudantur, tenent enim tertium bonorum locum. Sunt enim corporis gratia, corpus autem animi gratia. Homo qui felix futurus est non debet diuitias quomodocunq;, sed cum iustitia, & temperantia acquirere. Et libro sexto de republica. quæcunque bona vulgo dicuntur deprauant animum, atq; impediunt, forma, diuitiæ, corporis vires, & genus in ciuitate potens, & cætera generis eiusdem. Sola vtiq; bona quæ honesta, mala tantum quæ turpia extimãda sunt. diuitiæ, potẽtia, nobilitas, cæteraq; extra animum neque bonis neque malis annumerantur.

Quæ cum ex fortuna pẽdeãt crebræ mutationi sunt per uiæ.Cicero item in lælio ait.Quid enim tam absurdum, quàm delectari multis inanibus rebus, vt honore, vt gloria, vt ædificio, vt vestitu, cultuq́; corporis: animo autem virtute prædito, eo, qui vel amare, vel, vt ita dicam, redamare possit, non admodũ delectari? Et rursum eodem in libro. Diuitiæ, bona valetudo, potentia, honores, cum caduca sint & incerta, posita sunt non tam in nostris consiliis, q̃ in fortunæ temeritate. Voluptates vero belluarum. Socrates diuitem indoctũ, aureum macipium vocabat. Et certe diues aut iniquus est, aut iniqui hæres. Ignorantia autem, ait in sophista Plato, est demẽtia quædam animæ, quæ dum ad virtutem nititur, intelligentia ipsa præuaricatur. Animam igitur ignorantem inconcinnam atq; deformem vocare decet; & reip. libro nono. Ignorantia & imprudẽtia vacuitas quædam est habitus animi. Et quidem ignorantiam temeritas comitatur. Est enim ignorantia malorum omnium fons, et origo: Cõtra disciplina ac philosophia, ait Cicero tus. secundo, cum sit cultura animi extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad satus accipiendos, eaq́; mandat his, &, vt ita dicam, serit quæ adulta uberrimos fructus ferunt. Horatius etiam car. libro tertio per studium literarum mẽtem sapientia roborari dicit. Vires autem sine prudentia non solum vanas esse scribit, sed aduersas sibi. Nimirum hominum ingenia vel quidem certe immanium barbarorum studiis bonarum literarum ipsaq́; philosophia deliniuntur, & mitia atq; humana redduntur, haud quidem se-

cis atque lupini aqua. Mercatura quoque, vt vel de ea aliqd dicam, non ingenuorum hominum, remq́; pub. capescentium, sed vulgi est munus: Hippodamus enim Thurius pythagoricus, qui librum de rep. scripsit, remp. ipsam in tres ordines distribuit, consiliarium, auxiliarium, & quaestuarium: duos primos nobiles esse astruit, postremum vero illiberalem. quem secutus est Plato, qui libro quarto de rep. sic ait. In Ciuitate tria genera sunt, quae ipsam continent quaestuarium, auxiliarium, & consulatus. Sed de mercatura et mercatore plura libro vndecimo de leg. vbi, praeter caetera, ait, Vulgus immoderata cupit, et cum mediocriter lucrari liceat, inexpiabili lucri cupiditate vexatur. Quocirca omnia genera hominum, quae in cauponatione, mercatura, diuersorioq́; versantur, calumniae & opprobrio subiacēt. Aristo. ēt pol. libro quarto mercaturam ad plebeios spectare asserit, vbi remp. in octo partes diuidēs inquit. Tertia eorum est qui circa mercaturam versantur; octaua eorum, qui remp. administrant. & Paulo post. Nam in plebe et in nobilitate plures sunt species plebis quidē vna species agricolae, alia artifices, alia negotiatores, qui emendis vendendisq́; rebus intendunt. Nobilitatis vero diuitiae, genus, virtus, disciplina, & his similia. Proinde qui mercaturae dāt operam nobiles esse aut dici nequaquam possunt. Neque quidem ad rem gerendam accedere debent. Non enim à mercatoribus imperitis, ac rudibus, qui ad quaestum & auaritiam appositi sunt, sed à philosophis idest sapientibus ciuitates sunt administrandae. Exclamat Cicero in verrem quod magi- lib. vi.

ſtratus mercator. fit vnde præclara quidē thebanis apud Ariſtotelem politicorum tertio lex fuit, vt nemo habilis eſſet ad honores reipublicæ ſuſcipiendos, niſi per decem annos à mercatura deſtitiſſet. Nobiles autem, ciuitatiſq́ optimates ignorantes eſſe, ſumma eſt turpitudo, quinetiā eorum partes ſunt, vt dictū eſt, ad ſtudia bonarū artium incumbere, cum ob reipublicæ adminiſtrationem, tum vero vt ſanguinis claritati ſcientiæ, ac diſciplinæ præſtantia accedat, qua vna animus illuſtratur. ſed de his Plato in philebo ait. Ignorantia potentum robuſtorumq́; hominum hoſtilis atq; teterrima res eſt. Et Cicero academico ſecūdo. Sunt quidam, qui nolint philoſophia, & latinis, græciſq́ue ſermonibus perſonas graues, ac principes ciuitatis illigari quaſi vero clarorum virorum aut tacitos cōgreſſus eſſe oporteat, aut ludicros ſermones, aut rerū colloquia leuiorum. Hiſtorias inſuper huiuſmodi, qui ingenuas diſciplinas paruifacientes opes tantum amāt, & deſidia & luxu torpent, atq; ſi nil cōmodi aut momenti afferrent mortalibus, negligunt. Neſcientes omnino quāta ſint hominibus vtilitati. Et cū præteritarum rerum omnium ignari eſſe velint, quoad uiuent, non virum agunt ſed puerum, vt probe Cicero in Oratore ſcribit, qui ait. Neſcire autem quid, antequā natus ſis, aciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis niſi cum memoria rerum veterum cum ſuperiorum ætate contexitur. Hiſtoria quidem eſt humano generi non modo vtilis, ſed etiam longe neceſſaria. quæ ad ſapientiam viam per varia præteritarum rerum exempla demonſtrat. Atq; eò

eam ipsam philosophiam vtilitate anteit, quod haec praecepta moralia simplici quadam admonitione facienda modo docet: illa vero iam exemplis comprobata, atque obseruata ab optimis viris, et à prudētibus disputata, quae humanas mētes admodum mouent, prae oculis proponit imitanda: atque ita fit, vt ex historiarum crebra lectione homo quotidie prudentior euadat. Est quidem historia, ait Cicero libro secundo de oratore, testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nūcia venustatis. Quā diuina scriptura aspernata nō est, nimirum vtrunque sacrae paginae instrumentum in quatuor partes digeritur, in historias, leges, prophetias, et moralia praecepta. Licet in historijs ipsis, vt dixi, vel moralia praecepta contineantur. Et praeter caetera, quae ex historijs aucupamur, quì tot & veteris & noui testamenti vaticinia atque oracula completa esse sciremus, ni dei nutu & gentium & christianorum gesta literis essent demandata? Quidā alij sunt, qui nescio qua amētia tenti, atraque bili moti literarum bonarumque artium studijs hostiliter et atrociter detrahunt, in easque temere & insolenter inuehuntur. Bonarum vero artium studiosos, & eos qui suis calumnijs & captionibus non accedunt, conuicijs afficiunt innumeris. Nam inquiunt, nōnulli fuerunt ex ijs, qui huiusmodi studijs operam nauarunt, qui praui euaserunt, quod si qui probi, prudentes, & sapiētes extiterūt, id nō doctrinae literarūque beneficio, sed animo à natura benè instituto attribuūt. Si autē improbi, et facinorosi euaserūt, id nō naturae peruersae, sed literarum studio ascribunt. haec pueriliter nimis ac ridicule effutiūt,

nostri epicurei (Epicurus enim, ait quintilianus libro secundo, disciplinas omnes fugit) qui in literarum studia, ingenuasq; disciplinas in morem lymphaticorum debacchātur. O hoïes cauendos iuuenibus. quid enim istis ignauius? Quasi vero sciæ ipsæ ex se malę perniciosæq; sint mortalibus, & nō potius praua ipsa ingenia, quæ scientijs ipsis abutuntur. qualia illorum ipsorum sunt, qui studia ipsa pessundantes ac conculcantes, totque offucijs atque argutijs iuuenes frustrantes cōnituntur eos à literarum bonarūq; artium studijs auertere ac deterrere, vt liberalibus disciplinis virtutibusq; spretis pecudū ritu vitam per luxum & socordiam, noctu ganeis libidinibusq; & ebrietatibus, interdiu ludis, somno, item cibis & potibus mancipati absummant. Sedenim verum est illud M. Catonis oraculum apud Columellam libro vndecimo, nihil agendo homines male agere discunt; & corpora ita fluxa & resoluta delicijs ac vitijs extabescant. quasi ita geniti à natura simus, vt ad ludū facti esse videa-

Act. vij. mur, & nō ad seueritatem. Cū Moses, vt alios omittam, quem dominus populo suo in Ægyptiaca captiuitate ducem præfecit, omni scientiarum genere ægyptiorum impense eruditus fuerit. Et Danielem babylone Chaldeorū sapientiam didicisse; tum deniq; diuinas attigisse doctri-

Act. xvii. nas Basilius ad adolescentes scribens refert. Paulus A-

pri. cor. xv ratí, Menandri, & Epimenidis ethnicorum poetarum di-

ad titū. cta quædam approbans suis epistolis inserere nō est veritus. Hieronymus Esaiam, quod in sermone disertus, & vrbanæ eloquentiæ studiosus fuerit, commendat, cum

alij quidam prophetæ sermone subrustico scripserint. Idem in præfatione in Iob ait psalmos, lamentationes Ieremiæ, & omnia cantica, item Iob nonnulla metrica ratione & hexametris versibus in morem Flacci, Pindari, Alcæi, & Sapphus editos fuisse. Et certe pleriq; ecclesiæ doctores Romanæ eloquentiæ impendio, ac sedulò, vacauerũt, vt Cyprianus, ut Lactantius, ut Ambrosius, ut Hyeronymus, ut alij multi, ita et apud Græcos. Leges, quas isti deliri maledictis prosequũtur, non solum vanas noxias, et perniciosas non esse, sed esse etiam necessarias uel ex hoc maxime intelligi, potest, quòd Moses, qui primus legislator fuit, suas, immo dei, leges, ipsius dei iussu literis mandauit, quibus boni defenduntur, mali multantur. Lex enim, ait Paulus, iniustis est imposita, non iustis. De medico & medicina, quam isti probris insectant, ita scriptum est in ecclesiastico. Honora medicũ pp necessitatem, etenim illum creauit altissimus, à deo enim est omnis medela. Sed hi hoc p[...]issimum argumento probare conantur literarum studium generi humano necessarium non esse, quòd literæ à natura nõ sint, quòdq; pueri cum alia scire suopte ingenio percupiant, solas literas, & earum studium fugiunt & abhorrent, & nonnisi munusculis allecti, aut metu & uerberibus coacti eas edifcunt. Argumentum utiq; longe friuolum, ac puerile nimis est, & anile: quasi nesciamus pueros, qui nondum sapientiæ fontem gustarint, nec ratione uti, nec bona, & mala discernere nouerint, puerilia tantum sectari suapte natura solitos: & literarum studia nonnisi ab eis, qui uiri

tutibus oblectantur amplecti, & magno assiduoq; labo re acquiri. coguntur autem à pueris, vel munusculis alli ciuntur, vt literis assuescant. quod si ea tantum persequi amplectiq; voluerint, quæ natura gigni consueuerūt, ar tes omnes vel vulgares essent amouendæ. Nullus igitur sit agrorum, arborum, vitiumq; cultus, nullus sit cæmenta rius, non Faber lignarius, non Ferrarius, non su tor & huiusmodi. cum in sacris literis non solum illæ ar tes, & earum artifices, quæ humanæ vitæ sunt omnino ne cessariæ, sed etiam quæ ad cultum ornatumq; tantummo do spectant, vt faber aurarius, item plumarius, & poly mitarius longe commendantur. Sed cur ipsi, qui hæc di cunt, indumento, cibo, domo, cæterisq; rebus, quæ arte fiunt, vtuntur? quod autem quidam ex ijs, qui disciplinis operā nauarunt, praui euaserunt, id non scientijs ipsis vi tio vertendum est, sed malis hominum ingenijs, qui scien tijs ipsis abutūtur. Non ideo tolenda est diuina scriptura, quia multi eam praue interpretantes in multos errores di labuntur, & à vera synceraq; religione deflectunt: non est excidenda lingua, non effodiendi oculi, non amputan dæ manus sunt, quia eis plerumq; abutimur: non ideo nō sunt edificādæ domus, & eas subeundum, quia interdū super habitantes procumbunt: non improbandæ sunt mulieres quod literis vacent, quæ cum natura variæ & mutabiles sint laborant, quo literarum adminiculo constā tes fiant & prudentes. Laudantur à diuo Hieronymo multæ quod essent doctæ; laudatur Iudith quod militem egerit, hostem peremerit. Sed ingens literarum sciētiaq;,

aut alicuius rei inuestigandæ ac perdiscendæ desideriũ improbant: quod si scientiæ ex se malæ sunt, profectò vt cunque attinguntur, erratur: si bonæ cur desiderium criminantur? cum honos artes alat, omnesq; incendantur ad studia gloria. Sed hanc calamitatem, non quidem latinæ linguæ, quæ, vt ostendam, æterna est, licet eius atque eloquentiæ contemptum lamententur, sed iuuenum ob eius ingnorationem, propter præceptorum ignorantiam, & ipsorum iuuenum ignauiam, & parentum incuriam & auaritiam, deplorant Romani eloquij acerrimi defensores Cornelius Tacitus, et Quintilianus: ille quidem in dialogo de oratoribus sic ait (libuit enim hic eorum querelas adscribere, quo ipsorum in latinam linguam affectus vehemens cũctis pateat, & iuuenum tandem aliquando animi ad literarum studia excitentur, eorumq; parentes tot rationibus aliquando moti diligentiorem in filios suos curam habeant, & qui latinam linguam auersantur erubescentes aliquando à tanta peruersitate desistant, quam si non amant, at non odio prosequãtur) Quis enim ignorat, eloquentiam ac cæteras artes desciuisse ab ista vetere gloria non inopia hominum, sed desidia iuuentutis, & negligentia parentum, & inscitia præcipientium, & obliuionis moris antiqui? Quæ mala primum in vrbe nata, mox per Italiam fusa, iam in prouincias manant. Quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, vt in actionibus eorum fex quoque quotidiani sermonis fœda ac pudenda vitia deprehendantur, vt ignorent leges, non teneant Senatusconsulta, ius ciuitatis vltro

derideant. Sapientiæ studium & præcepta prudentium penitus reformident, & in paucissimos sensus & angustas sententias detrudant eloquentiam uelut expulsam regno, ut quæ olim omnium artium domina, pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa & amputata sine apparatu, sine honore, penè dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificijs discatur. Plerique eruditos & sobrios homines, ut infaustos & inutiles uitant, domoq; extrudunt. ignobiles autem, & obscuros, & samniones magno honore domum excipientes cœnis & prandijs inserunt, et pro philosopho cantor, & in locũ oratoris doctor artium ludicrarum accitur. Et bibliothecis sepulchrorum ritu in perpetuum clausis, organa fabricant hydraulica, & lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiæq; & histrionici gestus instrumenta non leuia. Hic vero multis rationibus vtilius esse pueros in scholis, q̃ domi erudiri probans, modo ludi literarij magister sit peritus ac probus & experiens, nec maiori se discipulorum turba, q̃ eam sustinere possit oneret, libro primo ita scribit. Vtinam liberorum nostrorum mores nõ ipsi perderemus. Infantiam statim delicijs soluimus, mollis illa educatio quam indulgentiam uocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit. quid non adultus cõcupiscet, qui in purpuris repit? non dum prima uerba exprimit, iam coccum intelligit, iam conchylium poscit. Ante palatum eorum, quàm mores instituimus. In lecticis crescunt, si terram attigerint è manibus vtrinque sustinentium pendent. Gaudemus siquid

licentius dixerint, verba ne Alexandrinis permittentia delicijs, risu et osculo excipimus, nec mirũ, nos docuimus, ex nobis audierunt, nostras amicas, nostros concupinos vident, omne conuiuium obscœnis canticis strepit, pudenda dictu spectantur. Fit ex ijs consuetudo, deinde natura; discunt hæc miseri anteq̃ sciant vitium esse, inde soluti ac fluentes non accipiunt in scholis mala ista, sed in scholas afferunt. Deflent & hanc iuuenum, ob ignorantiam, calamitatem, ac perniciem & alij periti viri permulti; vel quidem certe prouinciales, latinæ linguæ atq; eloquentiæ amatores. Ait quidem Seneca decl. libro primo. vt possitis æstimare quantum quotidie ingenia decrescant, & nescio qua iniquitate & ad malum pronitate naturæ eloquentia se retro tulerit. Quicquid habet Romana facundia, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem nostris studijs attulerunt, tunc nata sunt, in deterius deinde quotidie data res est, siue luxu temporum (nihil est enĩ tam mortiferum ingenijs, quàm luxuria) siue cum plurimum pulcherrimæ rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia multo honore quæstuq; vigentia, siue fato quodam, cuius maligna perpetuaq; in omnibus rebus lex est, vt ad summum perducta, ad infimum velocius quidem, q̃ ascenderant, relabuntur. Torpent ecce ingenia desidiosæ iuuentutis. Nec vllius honestæ rei labori vigilatur. Somnus, & langor, ac somno & langore turpior malarum rerum industria inuasit animos. Cantandi, saltandiq; nunc obscœna studia effeminatos tenent, & ca

pillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, molitie corporis certare cum feminis, & immundissimis se excolere munditÿs nostrorū adolescentiū specimen est. quis æqualium vestroꝝ, quid dicam satis ingeniosus, satis studiosus immo quis satis vir est? emoliti enervesq; quod nati sunt, inuiti manent, expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes suæ. In hos nec dÿ tantū mali permitant, vt cadat eloquentia, quam nō mirarer nisi animos, in quos se conferat, eligeret. Phocas etiam grāmaticus ait. Adolescentes nostri sæculi non desiderio literarum, nec amore virtutis ad studia se applicant, sed aut necessitate compulsos, aut odore voluptatū per ætatem afflatos execrari magistratus, quorū vt quisq; est diligentior, eo maiori odio premitur, et gymnasiū sapientiæ, quo ad beatam vitā semita demonstratur, uelut teterrimum carcerē detestari. Alios autem, quāuis scire cupiant, omne tamen fructuosi laboris onus detractare: nec assiduis inhærere lectionibus, nec curiosa perscrutatione veteꝝ eruere cōmentarios. qui dum semper assidui nolunt fieri, docti esse non possunt. Adhuc Fulgentius Africanus homo mythologiaꝝ libro primo. Nostri temporis erumnosa miseria non dicendi petit studiū, sed viuendi flet ergastulū nec famæ asistendū poeticæ, sed fami cōsulendū domesticæ. Et Sidonius Apolinaris homo Gallus Epistolaꝝ libro secūdo ad Hesperiū scribēs ait. Illud appone quod increbuit multitudo desidiosorū, vt nisi uel paucissimi quibus meram latialis linguæ proprietatem de triuialiū [illegible] babarismorum uindicaueritis eam breui abolitam defleamus,

mus, interemptamque sic omnes nobilium sermonum purpuræ per incuriam vulgi decolorabuntur. Et libro tertio ad Placidum. Scia, pompa, propietas linguæ latinæ iudicijs ociosorũ maxime spretui est, quorum scurrilitati negligentia comes, hoc volens tantum legere qđ carpat, sic non utitur literis quàm abutitur. Et libro octauo ad Nammariũ. Virtutes artium liberalium sæculis potius priscis sæculorum rector ingenuit. Quæ per ætatem mundi iam senescentis, lassatis seminibus emedullatæ parum aliquid hoc tẽpore in quibuscunq; atq; id in paucis mirandum, ac memorabile ostentant. Festus quoq; pom. & Gellius nonnulla latinæ linguæ vocabula ob docentium inscitiam in alium sensum detorta esse lamentantur. Ait quidem ille. Latinè loqui à latio dictum est, quæ locutio adeo est versa, vt uix vlla pars eius maneat innoxia. Hic vero libro xiii. inquit. Animaduertere est pleraq; verborum latinorum ex ea significatione, in qua nata sunt, desciuisse; vel in aliam longe, vel in proximam, eamq; decessionem factam esse consuetudine & inscitia temerè dicentium, quæ cuiusmodi sint, non didicerint. Omnes demum boni, latiaq; linguæ & eloquentiæ studiosi, vel certe ecclesiastici viri, ipsius latinæ linguæ, ob docentium ignorantiam, corruptelam, & eius, atq; eloquentiæ contemptum, & iuuenum, ob ignorantiam, calamitatẽ & miseriam magnis querelis deplorãt. qui si ab inferis excitarẽtur, & huius ætatis iuuenes bonasq; literarũ studia præ desidia contemnentes, & vulgarium librorum ludicrarum rerum, & obscœnitatum,

& barbariei refertorum bibliothecas fabricantes cernerent, quantis credis clamoribus romanos arguerent & obiurgarent, qui huiuscemodi vanitatis, & ignorantiæ, ac barbariei patroni ac studiosi esse videntur? quos Valla latinæ linguæ studiosissimus, & patronus accerrimus latinam linguam à plerisq; contemptam esse conquerens, precatur, ne patiantur eam opprimi & profanari. Et alibi iurisperitos, verius imperitos, sui nostriq; temporis Gothos & Vādalos appellat, & quidem iure, q latinæ linguæ, & eloquentiæ ignari gothicè magis, q̃ latinè locuti sint, loquāturq;. Cum prisci iureconsulti latinè & eleganter scripserint. Et cum, inquit, veteres linguæ suæ græcam miscerent, isti admiscent gothicam. Quæ barbara vocabula quidam temerarij ex loguleiorum scriptis eruentes & excerpentes, & latinis admiscētes quasi in aceruum congessere. Cumq; id exactissimè animaduertere nostri deberent homines rebusq; suis consulere, in peius ruunt, feruntur q; ad deteriora. Proinde vix equidem queo admodum non mirari, nimioq; mœrore non angi ac confici (quis enim literarum, quis publici boni amator à lachrymis temperet?) q̃nquidem haud scio vñ tanta quorundam importuna temeritas, ne dicam insaniam, eruperit. Qui eò inscitiæ atq; audaciæ peruenere, eorum venia dixerim, vt latinæ, romanaq; linguæ inuidentes aduersus eam temerario quodam ausu, haud nempe secus ac barbari quondam sæuientes aduersus Romanum imperium, conspirarent. Et eam non latij & romæ atq; Italiæ modo, sed totius propemodū orbis romaniq;

imperij decus, & exterarum linguarum internuntium quendam, atque interpretem demoliri, atque extinguere neruis omnibus conantur. Quæ, malum, tanta istorum dementia, ac peruersitas? Cum ipsi potius eam vindicare tueriq; debeant. O cæcitatem detestandam. O fœdam et insulsam dementiam, omnes romanis gloriam inuident. Barbarorum alij aduersus romanam fidem, atque ecclesiam, vt eam funditus perderent, sed nequicquam sanè, conspirarunt: alij contra Romanum imperium, vt ipsum itidem funditus delerent, coniurarunt. Nunc hi plebeij doctores plusq̃ barbari, noui academici, at non Platonici quidem (fremant omnes licet dicam quæ sentio) sed ignorantiæ, inertiæ, & uanitatis magistri, quid enim aliud docent? qui & ipsi, quantum cogitatione attigi complectiq; pôt, non inscitia modo, qua plurimum valent sed liuore etiam atque odio in latinam romanamq; linguã bene multas pueriles nænias, & lacinio sas ineptias confingunt, atque effutiunt, aduersus eam insolenter insurrexerunt. Atque ita in eam debachantes calamum strinxerunt, vt eius candorem atque nitorem non obfuscare modo, sed eam radicitus, vt dixi, perdere contendant quo quid tam tetrius? quid tam aspernandum? quid denium homine indignius? Et quidem cum latinam linguam contemnunt, nil aliud agunt miseri, quàm vt ipsi vti igna ri, atque deliri, & amentes contemnantur. Licet se eam non contemnere dicant, sed diligere diligere autem? im mo vero nil aliud stupidi moliuntur, quàm eam, vt semel atque iterum dixi, funditus perdere, vt ne vestigium

quidē eius vllum appareat. Per eos enim non stat, quo minus splēdor, ac nitor latini sermonis obsolescat. Nam non modo ipsi suas ineptias, quas, casso labore cōpilant, plebeio sermone scribunt, aliosq; vt se sequantur, hortantur, sed etiam latinos libros in eum ipsū plebeium sermonem exprimunt, quod q̄ sit absurdum suo loco dicemus, Arbitrantes fore, vt, latina lingua vel vulgari latia lingua obliteratis, totā linguarum gloriam in se trasserant. seq; adeo stolidi sunt, delitescere putant in tam frigida, tam ieiuna calumnia. Non animaduertentes miseri, ac stolidi, quòd qui latinam linguam tollere contendunt, quasi lucem rebus humanis eripere volunt, et noctem quandā offundere, qui omnino contemnendi sunt. Contemnendi autem? imo vero etiam cōmuni odio habendi. Quia vero huiusmodi hominum animis tanta est ignorantiæ effusa caligo, vt quid sit latina lingua nō intelligant. Ideo ostēdendum prius est quæ sit latinæ lingue excellentia, quātus latinorum scriptorum vel prouincialium in eam affectus, licet is pauloante aliquantulus sit ostensus. Et ꝙ ab omnibus propè gentibus vti sua, ac patria sit recepta. quodq; omnes eius studiosi & amantes à maioribus suis eam auctam, ditatamq; esse gratulantur. et ipsi, vt quisꝗ per se valuit, ipsam locupletare conati sint. vt ex his magis cognoscatur quanta insania perciti sint, qui eā aspernantur, ac tollere ānituntur. inde pauca aduersus vulgares doctores, qui aranearum telas texunt, dicemus. postea multis & rationibus, & auctoritatibus ostendemus apud Romanos latiosq; populos sicut apud græcos, & lati-

num, & vulgarem sermonem fuisse tum reliqua omnia, quæ ad latinam linguam attinent, prosequemur. quam latinam linguam velut numen quoddam auspicatissimū cœlitus lapsum non Itali solum, sed cunctæ propemodū gentes sicuti suum proprium ac patrium sermonem non libentius modo, sed honorificentius etiam, atq; auidius, quàm Græcum receperunt, venerati q; sunt. Eamq; omni ambrosia, ac nectare suauiorem gemmisq; & auro pretiosiorem esse existimantes, vel hostes ipsi Romani Imperij sanctè ac piè, religioseq; semper custodierunt. Cum latinus, Romanusq; sermo vnus sit, & simplex, ac facilis, & purus, politus, vel elegans, atq; venustus. Græcus vero multiplex est, & perdifficilis: & in quinque linguas, veluti in tot in rep. factiones, scinditur. quem diuus Hieronymus turbinem nuncupat. Sed nec quidem illi ipsi græci hac de re silere voluerūt. Siquidem latinā linguam græca potiorem faciliorem q; iudicarunt. Vnde Theodoritus græcus homo testimonio eorū græcorū, qui vtraque lingua eruditi erant, latinam linguam græcæ antecellere ait. qui in libro de natura hominis ita scribit Apud Romanos profectò & poetæ, & oratores, & historici viguerūt vtq; illi aiunt, qui in vtraq; lingua versati sunt, multo prudētiora sunt Romanorū q̃ græcorum auctorum inuenta, multoq; breuiores sententiæ. Neq; hoc idcirco à me dictum existimari velim, q; græcorū idioma deterendo attenuem, cuius & ipse aliquo modo sum particeps neque quo secus ac debeo, altrici meæ præmia nutritionis persoluā. Sed quo tumentiores eorum

buccas deprimã, superciliaq; deijciam, qui nimio plus græco idiomate gloriantur. Doceãq; non debere illos irridere linguam, ac persequi, quę traditione veritatis eniteat, neq; ijs efferre sermonibus, qui fuco quidem artis exculti sunt, omni autem veritate sunt cassi, sed contra potius admirari veritatis magistros indoctos illos quidem comere, ac variare sermones suos eloquentiæ venustate, puram tamen veritatis pulchritudinem ostendentes, minimeq; indigos qui extrinsecus petitis ascititysq; floribus excolat. quũ græcũ sermonem omnes latini scriptores peregrinũ appellãt, latinũ vero suum sibiq; patrium esse fatẽtur. Quare diuus Augustinus Africanus homo confes. libroprimo Græcam ipsam linguam peregrinam appellãs perdificilem esse, vt est certe, dicit: Latinam vero vernatus suam vocat, eamq; facilem esse, vt est quidem scribit, licet Hipponi *& natus sit, & educatus, ait itaq;. Quid autem erat causæ cur Græcas literas oderam, quibus puerulus imbuebar, nec nũc quidẽ mihi satis exploratum est. Adamaueram enim latinas, non quas primi magistri, sed quas docent qui grãmatici vocantur. Nã illas primas literas, vbi legere & scribere et numerare discit, non minus onerosas pœnalesq; habebã, quàm omnes græcas Et paulopost. Cur ego Græcam grãmaticam oderam talia cantitãtem? Nam &* Homerus *peritus texere tales fabellas & dulcissime vanus est, mihi tamen amarus erat puero, credo etiam græcis pueris* Virgilius *ita sit, cũ sic discere coguntur, vt ego illum, videlicet difficultas omnino ediscendæ peregrinæ linguæ, quasi felle aspergebat*

omnes suauitates græcas fabulosarum narrationum, Nulla enim verba illa noueram, & sæuis terroribus ac pœnis, vt noscerem, instabatur mihi vehementer. Nam latina aliquando infans vtiq; nulla noueram, & tamen aduertẽdo didici sine vllo metu atq; cruciatu intrer blãdimẽta etiam nutricum, & ioca aridentium, & letitias alludentium. Didici vero sine pœnali onere vrgentium. Et si scioli quidam Augustini verba, quæ quidem aperta sũt, nequaq̃ recte intelligãt. Qui nil aliud his verbis ostendere vult, quàm vtriusq; linguæ discrimen, græcæ difficultatem, eamq; sibi peregrinam esse, et latinæ facilitatem, et eam sibi patriam. Atqui ab Africanis nutricibus iam puerulus Africanus existens nequaquam eas latinas literas ediscere poterat, quas grammatici docent, hoc est grãmaticas, vt scioli ipsi inteligunt, cũ ea ætas id minime pateretur, Neq; mulierculæ illæ paupuerculæ Africanæ nutrices eas docere poterãt, quæ nec legere nec scribere latinè sciebant. Præsertim etiam cum ipsemet dicat, quod infans latina nulla nouerat, quodq; primas latinas literas legere & scribere & numerare, quas primi magistri pueros docent maiori se difficultate didicisse, quàm omnes græcas, idq; non à nutricibus, sed à magistris. Verũ ob latinæ linguæ, vt retuli facilitatem, sibi eã inter blandimenta nutricum ferè, ioca, et lætitias discere videbatur, id quod non erat de græca lingua. Item q; his, quæ subnectam, liquidius patebit diuum Augustinũ Græcam linguam peregrinam, latinã vero suam, sicut & cæteri omnes latini scriptores, appellasse, eamq; sibi patriã

duxisse. Licet enim id maximum ac præcipuum argumentum sit innumerabiles propè scriptores vel prouinciales affectu in latinam linguam se latinos esse voluisse, non græcos, q̄ latinè, non græcè scripserint. cum eorum plerique græca lingua apprimè eruditi essent. Tamen quo magis nostræ ætatis plebeij doctorculi latinæ linguæ osores erubescant, qui eam non suam, non sibi patriam, ut illi, sed sibi auiam & peregrinam esse dicunt. Et eius studiosi atque amantes gaudeāt, q̄ ab omnibus latina ipsa lingua gratè ac piè fuerit recepta, sua ipsorū auctorum quorundam verba ad id potissimum dicta hic inserere libuit, quibus & se latinos esse ostendunt, & gloriantur et latinam linguam suam ac patriam, latinos scriptores, quos & uenerantur, suos appellant. Non solum ob latinæ linguæ claritatem, facilitatem, & puritatem, sed etiam ob Romanorum probitatem, cæterasque virtutes omnes, & latinorum scriptorum fidem & grauitatem. Quare Tertullianus Africanus homo rerum argumenta se nusquam gentium fideliora quàm in Italia inueniri dicit. Et fulgentius mythologiarum libro secūdo ait. sicut nihil latina gratiosius veritate, ita nihil græca falsitate deterius. Et Seneca in libro de breui uita. Latinæ linguæ potētia, græciæ gratia: Ait itaque Augustinus ipse libro septimo de ciuitate dei. Merito Porphyrio aduersatus est Varro noster. Et libro octauo gratulatur admodum quòd latini philosophicas artes è græca lingua in latinum eloquium transferentes, nobiliores ac clariores effecerint, ait enī. Nam & Græci, quorum lingua in gentibus præeminet,

artes philosophicas magna prædicatione celebrarunt et latini permoti earum vel excellentia, vel gloria, vel gratia ipsas libentius didicerunt. atque in nostrum eloquium transferendo nobiliores, clarioresque fecerunt. Ibidem Hermæ Ægiptij verba sicut in nostram linguam interpretata sunt, ponamus. Et libro nono; Duæ sunt setentiæ philosophorum de his animi motibus, quos græci πάθη nostri aũt quidam, sicut Cicero, perturbationes, quidam. etc. Et libro duodecimo. Ab eo quod est esse vocatur essentia, nouo quidẽ nomine, quo vsi veteres non sunt latini sermonis auctores, sed iam nostris temporibus vsitato, ne deesset etiam linguæ nostræ, quod græci appellant vsiam. Et libro quintodecimo. Non enim admittũt qđ magis hic esse poterit error interpretum, quã in ea lingua esse falsum, vñ in nostram, per græcam scriptura ipsa translata est. Et in Ioannem latinæ linguæ auctores veneratus ait. Sicut autem definierũt antiqui latinæ linguæ clarissimi auctores gloria est frequẽs de aliquo fama cũ laude. Et libro primo de musica se græcis uocabulis non vsurum dicit nisi necessitate cogeret, ait eñ. Analogia græcum nomen est, nostri quidam proportionem vocauerunt, quo nomine vtamur, si placet, non eñ libenter nisi necessitate græca vocabula in latino sermone vsurpauerim. Et libro secundo; Sed quia non sunt contemnenda vetusta vocabula, nec facile à consuetudine recedendum, nisi quæ rationi aduersantur, vtendum est his nominibus pedum, quæ græci instituerunt, & nostri iam vtuntur pro latinis. Et ad Pascentiũ de homũsio

vocabulo loquens ait. Respondebatur à nobis, quia nos latinè loqueremur, & illud græcum esset. Et paulopost lingua nostra, græca non est intepretandũ est quid sit homusion. Et de trinitate libro septimo. Non aliter in sermone nostro id est latino essentia, q̃ substantia solet intelligi. Et libro quartodecimo. Linguæ quæ appellantur gentium, quarum nostra lingua latina est. Et contra Iulianum libro primo. An ideo cõtemnendos putas, quia occidentales ecclesiæ sunt omnes nec vllus in eis est cõnumeratus à nobis oriẽtis episcopus? Quid ergo faciemus, cũ illi Græci sint, nos Latini? En quoties Augustinus homo Africanus latinam linguam suam, latinos scriptores suos appellat, se q; latinum hominem esse & fatetur et gloriatur? Idq; plerisq; alijs in locis facit. Et ad Hieronymũ scribens gloriatur iubilatq; q̃ sacra scriptura ipsius Hieronymi labore in latina lingua fuerit adiuta. Tua, inquit, doctrina in nomine & adiutorio domini tantum in latina lingua ecclesiasticæ literæ adiutæ sunt, quantum vnquam potuerunt. Et ad Dioscorũ scribens gestit gaudio, quod Carthagini perinde vt Romæ latinorum literarum studia florerent, vbi sic ait. Duę tantum vrbes latinarũ literarum artifices sunt Roma & Carthago. Et libro secundo de doctrina Christiana latinam linguã Italam vocat, & eã q; ob eius excellentiam & claritatem alijs, et quidem merito, præfert. Quam nostri populares doctores stolidi & fanatici aspernantes non suam, sed peregrinam: vt dixi, appellant, ait igitur. In interpretationibus Itala lingua cæteris præferatur: nam est verborum tenacior cum perspi-

cuitate sentẽtiæ. quid nũc est O populares doctores italo nomine indigni qua propter tantum donum, tantum decus, tãtam gloriam aspernamini? quam omnes gentes amplexi sunt quàmlibentissime suamq́; dixerunt. Cur scoriam auro præfertis? Cur glandibus porcorum more, cum triticeum panem, et eum optimum habeatis, saturari vultis? que tanta vobis dementia? Fulgentius item Africanus & ipse homo mythologiarum libro primo ait. Neptunum græci possidona nuncupant, quod nos latinè facientem imaginem dicimus. Huiusmodi locutionibus passim vtitur, quibus se latinũ esse fatetur, & græcã linguã sibi peregrinã esse. Et Terẽtianus itidem homo Africanus de syllabis ad filium et generum scribens ait. Et simul quàm multa græcis nostra nõ respõdeant. Itẽ.

Inserit si quando græca sermo noster nominá,

Graia verba in vsum sermo noster suscipit.

Demũ persæpe latinã linguã suã appellans ait, Lingua nostra, literæ nostræ, sermo noster, noster Maro, nostri poetæ. Itẽ Lactãtius Africanus et ipse homo In libro de ira dei ait. Syllabas plurimi & maximi auctores tradiderunt, Græcorum Aristarchus & Apolodorus, nostrorum vero varro & fenestella. Victorinus itidem Africanus homo de homusio vocabulo recipiendo loquens ait. Græci vsian vel hypostasin, nos vno nomine latinè substantiam dicimus, & paulòpost de eisdem vocabulis loquẽs lætatur nobis vocabula non deesse inquiens. Ecce habemus, & latinè nomina. Et columella libro sexto latinos scriptores Romanos homines cõmendat, quod de re rustica

scribentes humano gñi prodesse studuerint: quos suos, vt sunt, vocat inq̃t enĩ Magonẽ & Amilcarẽ secuti videntur græciæ gẽtis non obscuri scriptores Mnaseas, atq; Paxamus. Tam demũ nostri gñis, postq̃ à bellis otium fuit, q̃si quoddã tributũ victui hũano cõferre dedignati nõ sunt, vt M. Ambiuius, Menas licinius, tum ẽt C. Marius. Et libro vndecimo Spinam, quam græci vocant Cynosbaton, nos sentem canis appellamus. Itẽ Seneca epistolarũ libro octauo ait. Quid proderit facilitas tua? Cũ ecce id nullo modo latinè exprimere possim? propter quod linguæ nostræ cõuicium feci: magis damnabis angustias romanas, si scieris vnam syllabam esse, quam imitari non possim. Et libro decimo octauo. Cleantis versus mihi in nostrum sermonem mutare permittitur. Et libro vigesimo. Coguntur nostri verba torquere: & vnam syllabam expetendo interponere, quam sermo noster inseri non sinit. Sæpe ẽt dicit. Cicero noster, Virgilius noster. Et naturalium questionum libro secundo. Hanc nostri circũstantiã, græci autem peristasim appellant. Et libro quinto Subsolanus apud nos dicitur, græci illum æpheliotem, ab oriente hyberno eurus exit, quem nostri vocauerant vulturnum: sed & eurus iam ciuitate donatus est: & nostro sermoni tanq̃ alienus interuenit. Et controuersiarum libro secundo gaudet admodum latinos græcis inferiores non esse: qui ait. Nescio an græcis nostri cessuri sint. Quinetiã & Seneca ipse, & Columella, & Fulgentius, aliiq;, vt ostendimus, longe queruntur latinam ipsam linguam à desidiosis iuuenibus negligi. Item Vlpianus

hō ſyrus ait. Publicas vias dicimus, quas græci vias re- gias, noſtri prætorias, alij cōſulares vias appellāt. Iuſti- nianus cæſar licet gente græcus, tamen non ſolum quia Romanus īperator erat, ſed ēt affectu in latinā linguam Sæpe ſe latinū romanūq; hoīem, & latinā linguā ſuam appellat. Exultat gaudio ingēti diuus Hieronymus ob la tinum ſermonem ad Damaſum ſcribens, ſeq; romanum hoīem fatetur, qui in diuinis literis benemultū elaborauit vt eas latino eloquio latinis ſuis emendatiores traderet, latinos ipſos ſuos cohortans, vt editionem ſuam recipiant queritaturq; de eis, qui eam aſpernantur. ait enim in apologia aduerſus Rufinum. Putabam me bene mereri de latinis meis, & noſtrorum ad diſcendum animos con citare, ꝙ et græci verſum de latino poſt tātos interpretes non faſtidiūt. Et rurſum Aquilam & ſymmachum, & Theodotionē curioſe legūt, quātomagis latini mei grati eſſe deberent, ꝙ exultantem græciam cernerēt aliquid à ſe mutuari. Et ad Paulā & Euſtochiū de græcis querens ait. Multi orientales græco turbine latinā volunt cōfūde re puritatē. quid credis diceret modo tātus vir lātinæ lin guæ ſtudioſiſſimus, ſi in terris ageret, & iſtorum temeri tatē, atq; inſaniā cerneret, q latinā linguā nō cōfundere, ſed, ꝙ ſæpe q̄ſti ſumus, radicitus pdere cōnitūt ſuaq; ſcri pta, quæ tātis laboribus, et vigilijs lucubrauit, ī vulgi ſer monē à temerarijs, et auaris lucriōibus expreſſa videret? Nicolaus itē romanus pont. huius noīs primus de eis ipſis græcis q̄ritur ꝙ latinā linguā corūpere conatēt. Plinius cæcilius nouocomēſis epiſtolaꝝ lib. quar. latinū ſermonē

ff. xliij.

in aut.

patrium appellans ait · *Accidit hoc primum imbecillitate ingenij, deinde inopia, vel potius, vt Laertius ait, hac egestate patrij sermonis:* Et Horatius Appulus *siue lucanus eundem latinum sermonem patrium nuncupans bene gestit gaudio* ꝙ Ennius *vnà cum* Catone *sermonem ipsum locupletauit, quos imitatus & ipse eum ditare conatus est.* Ait *quidem in poetica*· Cũ *lingua* Catonis *& enni sermonem patrium ditauerit, & noua rerum nomina protulerit. Quid plura? omnes latinæ linguæ studiosi, et amatores mirandũ imodũ gratant̃ latinã ipsã linguam à suis maioribus auctam esse, & exornatam, ac per totum orbẽ terrarum diffusam* · *Qui & ipsi, vt quisq; potuit, eam augere & exornare studuerunt, & vocabulis, & elocutionibus, & sententijs* · *mirificeq́; gaudent siquid etiam noui reperissent, quod ad metricam rationem attineret.* Ac *longe queruntur de his, qui latinam linguam flocipendunt* Siquidem *illi ipsi, apud quos pars virilis gloriæ fuit, sibiq́; iudicium non abfuit, latinam linguam merito suo semper amauerunt iuxta ac gẽmas, seq́; eius studio animo præsenti iam inde à pueris deuinxerunt.* At *hi nostri noui populares doctores, quia vilibus se rebus applicuerunt, & magna ac multo maxima parte iudicij carent, non solum eam despicatam habent, conculcant, proterunt, vitant peius peste & angue, sed ei ruinam, vt non semel dixi, intentant.* Sed *suo ipsorum capiti sit.* Exilit, *ingenti gaudio* Iuuenalis, *vt quid singuli hac de re dixerint, scribam, ꝙ latinus sermo ab omnibus, ferè populis, vt patrius sit receptus, quodq; vbiq́; terrarum*

propè suo sæculo latinarũ literarũ studia et priuata et publica essent. Et certe pannonij, Assyrij, Afri, Galli, Britani & demum omnes ferè gentes, vel illi ipsi græci latinis literis incumbebant. Multi enim græci, ait Seneca controuersiarũ libro quinto, nõ contenti vnius linguæ eloquẽtia græcè & latinè declamauerunt. Ita et pleriq; latini, latinè & græcè declamabant. Et quidem, præter cæteros, Dionysius Halicarnaseus latinas literas didicit, & Plutarchus, qui, vt ipse in Demosthene ait, latinum sermonẽ negligebat, sero eũ prouectioriq; ætate discere cœpit Et, vt Aug. ait græcis pueris Virgilius primus è latinis legebat. Ait quidẽ Iuuẽalis ipse sat. quintadecima (passim enim auctorum, qui hic à me allegantur, verba adscribere statui, vt & lectores me vera dixisse sciant, & hic habeant, quæ dico, nec alibi quærere sibi necesse sit, vtq; intelligant quo affectu auctores ipsi in latinã linguã fuere, quantũq; desipiant atq; insaniãt, qui eam auersãtur.

Nunc totus graias, nostrasq; habet orbis Athenas
Gallia causidicos docuit facunda Britannos
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.

Et sat. septima, & in Gallia & in Africa oratoriam artem latinè floruisse scribit, vbi patroni causarũ magnis præmijs afficiebantur. Idem Suetonius in libro de illustribus grãmaticis gestiens gaudio scribit, vbi ait. In prouincias quoq; grãmatica penetrauerat, ac nonnulli de doctissimis doctoribus peregrè docuerunt, maxime in Gallia togata. inter quos Octauius Teucer, & Sisceñnius Iacchus, & Oppius Cares. Et nõ viri modo, sed & mulieres

quoq; latinas literas alacriter & studiosè discebant. Zenobia enim Syriæ regina, vt alias prætercam, Spartianus tradit, puellas nimis raras, filios latinè loqui iusserat, adeo vt græcè vel difficile, vel raro loquerentur. Ipsa latinis sermonibus non vsquequaq; ignara, sed vt loqueretur pudore cohibita. Constantinopoli, vt alias & Thraciæ & græciæ vrbes omittam, latinarũ literarũ studia et
Cod. xii publica et priuata erãt, vt in codice videre licet. Et certe Priscianus ille latinas literas publicè est professus. Elaborauit Romana grauitas atq; maiestas, quo latina lingua vnà cũ Imperio per totũ orbem terrarum diffunderetur. Hortabantur enim Romani & cogebant vel prouinciales, vt & Romæ, & in prouincijs latinè loqui assuescerent, qua de re Val. Max. libro secundo ita scribit. Romani maiestatem suam retinentes id magna cum perseuerantia custodiebant, ne græcis vnq̃ nisi latinè responsa darent, quinetiam ipsa linguæ volubililate, qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant, non in vrbe tantum nostra, sed etiam in græcia, et Asia, quo scilicet latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Gestit etiamnum & ferrè effertur lætitia immodica Plinius, immo vero ille ipse Cæsar orbis moderator latinam linguam Ciceronis labore vnà cum Imperio toto terrarum orbe esse diffusam. qui libro septimo ita scribit. Ciceronem facundiæ literarum latinarum parentem Cæsaris sententia omnium triumphorum lauream adeptum maiorem, quanto plus est, ingenij Romani terminos, in tantum promouisse quàm imperij.

perij de quo, vt modicum quid de eo dicam, Augustinus vehementer latina lingua gaudens ita fert in magistro (non solum enim ethnici, sed nostri quoque doctores latina lingua oppidò gaudentes Ciceronem, & Virgiliũ duo latinæ linguæ lumina verbis extulerunt) quid in latina lingua excellentius Cicerone inueniri potest? Cuius os aureum appellat Hieronymus in amos. Queritur Seneca latinæ linguæ amantissimus, quod bellorũ ciuiliũ tumultu latinã Romanãq; eloquentiã ab illo ipso Cicerone eloquentiæ fonte imbibere non potuerit: qui declamationum libro primo sic ait. Nec Ciceronem quidem ætas mihi eripuerat, sed bellorum ciuilium furor, qui tunc totum orbẽ peruagabatur: quiõ intra coloniã meã me cõtinuit: alioquin in illo atriolo, in quo duos grandes prætextatos ait secum declamare, audisse potui: & illud ingenium, quod solum populus Romanus par Imperio suo habuit, cognoscere: & quod vulgò de alio dici solet, sed de illo propriè debet, potui viuam vocem audire. qui Cicero ingenii in Romanos, latinosq; amore motus modis omnibus Romanis ipsis latinisq; prodesse studebat: qui passim et præsertim libro primo, & secundo Tus. dicit se philosophiam latinis literis illustrare. & libro secundo de diuinatione enumeratis libris, quos ad eam diem de philosophia scripserat, addit, Ad reliqua acri tendebamus animo, sic parati vt nisi quæ causa grauior obstitisset, nullum philosophiæ locum esse pateremur: qui non latinis literis illustratus pateret. Quod enim munus reip. afferre maius meliusúe possumus, quàm si docemus, atque erudimus iuuentutem?

His præsertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapsa est, vt omnium opibus refrenanda, atque coercenda sit. Magnificum illud etiam Romanisque hominibus gloriosum, vt græcis de philosophia literis non egeant. Gratias agit immortales patri Statius, quod se latinas literas docuerit. Elaborauit Cæsar, vt latinum sermonem emendaret. qui, ait in bruto Cicero, rationem adhibens consuetudinem vitiosam & corruptam pura & incorrupta consuetudine emendat. Gloriatur Virgilius geor. secundo quod primus apud latinos carmine de re rustica Hesiodum imitatus scripsisset. Gratulatur item Horatius epistolarum libro primo quod primus apud latinos iambo pede sit vsus, quodque primus è latinis lyricum carmen scripserit, ait quidem.

Libera per vacuum posui vestigia princeps
Non liena meo pressi pede. Qui sibi fidet
Dux reget examen, parios ego primus iambos
Ostendi latio, numeros animosque secutus Archilochi.

Et Paulopost. (dicen.

Nunc ego non alio dictũ prius ore latinis vulgaui fi-

Rursum mirificè gaudet Horatius ipse epistolarum libro secundo à liuij poetæ æuo ad suam vsque memoriam permultos latinos poetas extitisse græcis non inferiores. Vbi Ennium Homero, Afranium Menãdro, & Plautum Epicharmo conferens inquit.

Siqua Græcorum sunt antiquissima quæque
Scripta, vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina, non est quod multa loquamur.

Nihil intra est oleam; nihil extra est in nuce duri.
Venimus ad summum fortunæ pingimus, atque
Psallimus, & luctamur Achiuis doctius unctis.

Et Paulopost.

Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus
Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro,
Plautus ad exemplar siculi properare Epicharmi.
Vincere Cæcilius grauitate, Terentius arte.
Hos edisçit, & hos arcto stipata theatro
Spectat Roma potens. Habet hos, numeratque poetas
Ad nostrum tempus liui scriptoris ab euo.

Et in poetica gratulatur admodum quod latini poetæ omni metri genere scripserint, eosque plurimum commendat, & si durè, & antiquè scripserint, & in castigãdis suis scriptis extiterint segnes, ait quidem.

Nil intentatum nostri reliquere poetæ.
Nec minimum meruere decus, vestigia græca
Ausi deserere, & celebrare domestica facta.
Vel qui pretextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret, clarisúe potentius armis
Quam lingua latium, si non offenderet vnum
Quenque poetarum lymæ labor & mora.

Et epistolarum libro secundo gestit nimium lætitia quòd latinam linguam iam vehemens, ac recens vsus vetusto purior, & cultior ditauerit, & exornauerit. Supplosis nanque vetustis sordidis, & asperis latinis vocabulis speciosiora tantum, ac clariora a latinæ linguæ auctoribus deligebãtur, aliaque cum delectu tamen, inuentes

bantur, nouabanturq; inquit enim

At qui legitimum cupit fecisse poema
Cum tabulis animum censoris sumet honesti
Audebit quæcunq; parum splendoris habebunt
Et sine pondere erunt, & honore indigna ferentur
Verba mouere loco: quamuis inuita recedant,
Et versentur adhuc intra penetralia vestæ
Obscurata diu populo bonus eruet, atq;
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum
quæ priscis memorata Catonibus, atq; cethegis:
Nunc situs informis premit & deserta vetustas
Adsciscet noua, quæ genitor produxerit vsus
Vehemens, & liquidus, puroq; simillimus amni
Fundet opes latiumq; beabit diuite lingua,
Luxuriantia compescet, nimis aspera sano
Leuabit cultu & virtute carentia tolet:
Ludentis speciem dabit.

Hortaturq; Augustum vt bibliothecam latinam instruat libris. Laborauit Cicero, laborauit Horatius, laborauit Cæsar, laborauerunt & alij quàmplurimi, quo latinam linguam locupletarent. & exornarent, hortanturq; alios, vt eam amplectentur, & excolant. Non modico dolore conficitur Ouidius latinæ linguæ studiosissimus. quòd in sarmatiæ partibus in exilio constitutus latina uerba obliuioni ferè mādauerit sibiq; ignosci petit si forte qd inconcinnū, & in arte grāmatica absonum protulerit, ait enī lib. tertio de tristib. sub libri persona.

Si qua uidebuntur casu non dicta latine

In qua scribebat barbara terra fuit. Et lib. quinto.
Ipse ego romanus uates (ignoscite musæ)
Sarmatico cogor plurima more loqui
Et pudet, & fateor, iam desuetudine longa
Vix subeunt ipsi verba latina loqui. Et paulopost.
Ipse mihi videor dedidicisse latinè
Nam didici geticè sarmaticeq; loqui.

Ibidem Getas ipsos stolidos appellat, quales sunt hodie è nostris plerīq;, q verba latina non intelligentes, ea deridebant, & detestabantur. Quis enim neget stolidos esse & vecordes, atq insolentes, barbaro sq;, qui latinam linguam aspernantur? Merito quidem Iuuenalis latinæ linguæ contemptores, mures, idest imperitos, rusticos, & barbaros appellat, qui sat: tertia de opicis loquens, qui latina scripta, latinamq; linguam pilifacientes irridebant, ait. Et diuina opici rodebant carmina mures. quid diceret modo tot clarissimi auctores latinæ linguæ, atq eloquentiæ studiosissimi, quid Romani illi veteres, si ab inferis excitarentur, & huius ætatis plebeios doctores viderent, qui latinam ipsam linguā non contemnunt modo, sed, vt sæpius dixi, destruere modis omnibus moliuntur? Quibus credis eos conuicijs afficerent? quot flagris eos cedentes roma, è lati oq;, & Italia sua pellerent? Enimuero deplorat nimium latinitas tam vastam rei literariæ cladem, atq iacturam: quæ tot egregia veterum pereruditorum scriptorum monumenta mutilauit, innumerosq; propè alios doctrina absolutos, scriptores immortali memoria dignos totos eripuit, atque absorbuit.

Et quanquam non defuerint è latinis, qui græca eloquentia allecti græcè scripserint, vt Sex. Niger. L. cincius. Qu. Fabius. L. Arũcius. Iulius bassus. Helianus. A. albinus. quem cato apud gelliũ lib. xi. q res romanas græcè scripserit, repræhẽdit. Cicero tñ nõ modo ipse græcè scribere noluit, sed latinè, ea oratione excepta, quam in græcia apud græcos habuit, & libello de consulatu suo, verum etiam vehementer insimulat eos qui latina scripta aspernantur, eosq; nomini Romano inimicos esse cẽset quales tusci semper extitere. Qui, ut Gellius libro quarto tradit, inimico, atq hostili in populum Romanum animo semper fuere. Quare haud mirum sanè si latinam linguam repudiant & detestantur. eamq; funditus perdere nituntur præsertim etiam, quòd, vt Theophrastus apud Leonicum ait, Tusci ipsi in serijs rebus natura indociles sunt, & inepti, in conuiuijs autem, ludicrisq; rebus, ac circa dicteria, cauillorumq; procacitates ingeniosi adquæ eiusmodi ingenia innumerato natura habent. quibus romani Sannionibus, et histrionibus vtebantur. Cum enim romani pestilentia grauiter affligerentur senatus, ut populum bellicosum ludis leuaret, ludos decreuit. & histriones ex tuscia acciuit, cum huic rei natura sint aptissimi. Qui, ludiones ait Liuius libro septimo, ex hetruria acciti sine carmine vllo, sine imitandorum carminum actu ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more tusco dabant cuius rei meminit etiam Cor. tacitus lib. q̃rtodecimo. Turpe autem est, ait Cicero, ne scire latinè loqui. Qui quidem, vt dixi, maximopere, & enixum ela-

boravit, quo latinam linguam ditaret, & excoleret, vt in libro de fato; & alibi passim ipse scribit· qui & in oratore inquit. Sed ego, qui multũ tribuerim latinis meis vel vt hortarer alios, vel quod amarem meos. Et de fin. libro primo de latina scripta aspernantibus conquerens ait. Erunt etiam, & hi quidem eruditi græcis literis, contemnentes latinas· qui se dicant in græcis legendis operam malle consumere. Et post pauca. His igitur est difficilius satis facere·qui se latina scripta dicunt contemnere. In quibus hoc primum est, in quo admirer, cur in grauissimis rebus non delectet eos patrius sermo·cum ijdem fabellas latinas ad verbum de græcis expressas non inuiti legant. Quis enim tam inimicus penè nomini romano est, qui Ennij Medeam, aut Antiopam Pacuuij spernat, aut reijciat? qui se ijsdem Euripidis fabulis delectari dicat, latinas literas oderit? Et mox. quòd si græci leguntur à græcis ijsdem de rebus alia ratione compositis, quid est, cur nostri à nostris non leguntur? Et Academico primo, & alibi, vt ostendi, sæpe se laborasse ait, vt philosophiam etiam latinis literis illustraret·vbi queritur quòd è nostris nonnulli latinos philosophos legere noluissent. Et in Bruto queritur, animoq; angitur, quod græci oratores legebantur, & Cato omittebatur· idq; nostrorum inscitiæ attribuit, ait enim sic. Catonis luminibus obstruxit hæc posteriorũ quasi exagerata altius oratio. Sed & in nostris inscitia est, quòd hi ipsi, qui in græcis antiquitate delectantur, eaq; subtilitate, quam atticam appellant, hanc in catone non nouerunt quidem, Hyperidis volunt esse.

& lysiæ laudo, sed cur nolunt Catonis? Attico genere dicendi se gaudere dicunt sapienter id quidem, atq; vtinam imitarentur, nec ossa solum, sed etiam sanguinem, gratum est tamen quod volunt, cur igitur Lysias, & Hyperides amatur cum penitus ignoretur Cato? Ibidem arguit eos qui Scauri orationes, & vitam non legissent, cum Cyri vitam, & disciplinam legerent. & libro eodem. Ipsum latinè loqui est illud quidem, vt paulo ante dixi, in magna laude ponẽdum, sed non tam sua sponte, quàm quòd est à plerisq; neglectum non enim tam præclarum est scire latinè, quàm turpe nescire, neq; tam id mihi oratoris boni, quàm ciuis Romani proprium videtur. Ibidẽ. Itaq; cum ad hanc elegantiam verborũ latinorum, quæ etiam si orator non sis, & sis ingenuus ciuis Romanus, tamen necessaria est. Vides igitur quantis querelis queritur Cicero de his, qui latina scripta contemnunt? quotq; rationibus, ac monitis hortatur omnes & excitat, tum maxime Romanos ciues, quorum est maxime proprium latinis literis operam nauare? Claudius Cæsar, ait Suetonius, splendidum virum græciæque principem, verum latini sermonis ignarum nõ modo albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Idem, ait Dion. libro quinquagèsimoctauo, hominem quendam Lycium vnum è Lyciis legatis, & iam ciuem Romanum factum latina lingua interrogauit quidpiam, cui non intelligenti quod ipse dixisset, ciuitatem ademit, dixitq; eum, qui non haberet huius linguæ scientiam, non opportere ciuem Romanum esse Quòd si Imperator turpe esse duxit,

& quidem iure, Lycium hominem Romana ciuitate donatum latinas literas nesciisse, ob quam causam eum ciuitate ipsa indignum censens priuauit, quid dicendum est de Romano homine non ciuitate donato, sed nato, & nobili, ac patritio? Hinc iure quidem optimo Valla solos & verè Quirites appellat eos, qui latinis literis præditi sint, & Romanæ, latiæq; linguæ cultores, cæteros vero inquilinos. Iuuenalis etiam Sat. quinta latinam linguam fastidientes, & græcas tantum sectantes arguens inquit. Omnia græcè, cum sit turpe magis nostris nescire latinè. Itemq; Horatius sermonum libro primo argués eos, qui græcis potius, quàm latinis literis delectabantur, à Romulo se correptum, atq; increpitum simulat, quòd Iuuenis græcos versiculos lusisset. quòd si Cicero, Horatius, Iuuenalis, aliiq; latinæ linguæ amantissimi tantis querelis queruntur de his, qui latinis scriptis, latinaq; lingua contemptis, græca tãtum sectabantur, eosq; valde reprehendunt. quibus probris, si ab inferis excitarentur, hos afficerent. qui latina ipsa lingua contempta vulgares tantum nænias componunt, & legunt, & latinam ipsam linguam prò nihilo habentes, stirpitus perdere contendunt? Quam Cicero ipse, præter cæteros, vt aliàs dixi, longe plurimum enixus est, vt ditaret, & exornaret, neùe græcis inferiores essemus, neùe græcis egeremus institutis. Quamquam scioli quidam duo hæc verba, patrium sermonem, perperam & insciè intelligunt, non perpendentes latinnum sermonem non ab Italis modo, sed ab omnibus propemodum

gentibus,vt ostendi, vt suum proprium, ac sibi patrium fuisse receptum. Sedenim neq; Cicero,neq; Ennius, quē Tertullianus Romanum poetam,vt est appellat,neq; Pacuuius,de quibus supra Cicero ipse fatus est, ac questus de eis, qui horum.aliorúq; latinorum scriptorum scripta contēnebāt,neq; etiam Horatius,neq; Plinus Cæcilius,qui latinū sermonem patriū nuncupant,neq; Persius,& Ouidius qui se Romanos poetas, vt sunt certe,appellant, latini natione aut Romani fuerunt,non enim Romæ,aut in latio sūt nati.Item neq; Seneca,Columella,Iuuenalis, Lactantius,Terentianus,Victorinus,Hieronymus,Augustinus, alijq; per multi et Itali,et prouinciales,qui se latinos esse et fatentur,et gloriant',et alios latinos scriptores,suos appellāt,latini aut Romani patria fuerunt.sicut neq; oēs, qui græcè scripserūt,græci patria, quod Planius ostēdemus,fuerunt.neq; cum Horatius in poetica dicat latinos poetas,quos alibi Romanos,vt sunt,vocat, celebrasse domestica facta, eorum quisq; suæ domus, ac patriæ, in qua est ortus,gesta scripsit. sed omnes Romana gesta scripserunt.quæ tamen omnibus latinis poetis,atq; scriptoribus domestica dicuntur & patria. Omnes quidem, qui latinè scpserunt,scribuntq; barbari esse desinūt, & latini Romaniq; fiunt. vnde Virgilius Geor. libro secundo ait Ascræūq; cano Romana per oppida carmen.idest per vrbes gentesq; latinas. Augustinus quoq; libro tertio de Baptismo omnes latinos scriptores, latinas gentes vt sunt certe,appellat. profectò,inquit, issem in eādem Cypriani sententiam,nisi me ad diligentiorem considera

tionem reuocaret tãta auctoritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinæ, vel fortasse doctiores, per tot gentes latinas, græcas, barbaras, & ipsam hebræam. Et quamuis hic Augustinus latinam, græcam, & hebræam linguas regulares, & exarte institutas intelligat, omnes tamen gẽtes, græcis, hebræis, et latinis, hoc est Italis exceptis (Itali enim qui antea, præter latios ipsos et præter calabros qui erant græci, barbari erant, Romanorum beneficio, & benignitate latini, Romaniq; facti sunt) barbaræ sunt non solum propter efferos mores sed etiam quia difficulter, asperè, ac durè loquuntur, & crassè. Et quidem ex Dionysij Halicarnasei verbis constát tuscos, opicos marsos, Sabinos, Vmbros, Ligures, aliosq; Italiæ populos dissimili inter se lingua, atq; à latia Romanaq; diuersa, item disparibus moribus fuisse. Vnde lõge longeq; mira tur, & his, & transpadanis in vrbem susceptis, non eam in barbariem versam fuisse. Sed de tusco sermone mox plura. Itaq; qui in quotidiano communiq; loquendi vsu latijs, aut græcis vocabulis non vtuntur, aut ea ipsa latia, græcaq; vocabula incomptè, mutilè, asperè, difficulter, & crassè enuntiant, aut literis, vel syllabis immutatis, aut additis, aut detractis, aut transpositis, aut latiorum vocabulorum significatu prauè detorto haud dubium certè barbarè loquuntur. Vt multi Italiæ populi, vt Flaminienses, vt Æmilienses, vt Traspadani. Qui omnia ferè latia vocabula in consonantes terminantes durè, & ineptè enuntiant, postremam vocalem, aut syllabam abycientes. l, literam protractione linguæ appulsæ dentibus illepidè

efferunt ,g, vero adiectam secundæ, & tertiæ vocali, item,i, literam adiectam cuicunque vocali crassissimè, & illepidissimè, vel quidem certe in latino literario sermone proferunt. Multas literas immutant, & transponūt. Multa quoque barbara vocabula à transalpinis illata habent. Tusci etiam, qui non ornatus causa, vt quidam inscite putant, quamuis non modo ornatus vllus non esset, sed summa barbaries, sed natura ipsa ob linguæ duritiam, difficultatem, & asperitatem, præter id, quòd domi multis adhuc suis vetustis barbaris vocabulis vtuntur, è latijs Romanisque; vocabulis literas, aut syllabas immutant, addunt & detrahunt: atque latias ipsas literas aut paucas, aut nullas propè latio Romanoque; more efferūt, sed ineptissimè, et illepidissimè vt putà, aut crassè, aut asperè, aut hiulcè, aut vastè. Nā vt pauca de hac re dicā, l, literā linguæ pro tractione dētibus appulsæ adeo illepidè et ineptè enuntiant, g, literā adiectam secūdæ & tertiæ vocali, itē, i, literā adiectā alteri cuicūque vocali crassissime proferūt., r, literā raro exprimūt, s, literā subiectam, i, in calce dictionis nequeūt enūciare, sed eius loco, g, proferūt, c, vero, & , g, et, K, et, q, literas adiectas primæ, quartæ, et quintæ vocali asperè, et vastè veluti trochæis è pulmone vocē abducentes efferūt. Demū nullā latinā literam cōmodius, ac libentius enuntiant, quàm quartā vocalē. quā vsque eò amant, vt oēs ferè alias vocales in ipsam insulsè, et ineptè vertant. Multas etiā literas è latijs vocabulis ob linguæ duritiā transponunt: nam, vt exemplo vno vtar, procuratores porculatores quasi porcorū latores dicūt. Aretini, alijque;

multi tuſciæ populi, præter cætera, in vulgari ipſo latio ſermone primá vocalẽ in ſecundã vertũt, ita vt latia ipſa vocabula, latiè nihil prorſus ſignificent, vt pro vacca vecce, pro capra, cepre, pro pane pene, q̃ obſcenũ eſt. Rurſũ, vt ad rem redeã, Si latius, Romanuſq; natiuus, indigena, vernaculus, cõmunis, publicus, quotidianus, familiaris, domeſticus, vulgaris, popularis q́; ſermo vt his cĩbus vocabulis, quæ idẽ ſignificant, vtar, eſt latinis populis, Romaniſ q́; patrius, cur non etiã ſibi patrius eſt latinus grãmaticus, literalis, regularis, et exarte inſtitutus quiè medio, ideſt à natiuo vernaculo, domeſtico, familiari, quotidiano, populari, cõmuni, & publico loquẽdi vſu, vt ſuo loco planius, dicemus eſt ortus? Eſt igitur latinis populis, ac Romanis latinus grãmaticus, literarius, & regularis ſermo patrius quidem, & natius, proprius, peculiaris, indigena, atq; vernaculus: at non publicus, nõ quotidianus, nõ plebeius, non popularis, non vulgaris, non cõmunis oĩbus, vt nebulones, & ſemidocti intelligunt, ſed à natiuo, indigena, domeſtico, populari, cõmuni, et publico ortus, atq; arte inſtitutus. Ars enim innata nõ eſt, ſed excogitata, quæ labore, & tempore acquiritur, de qua ſuo loco dicemus.

QVem latinum literarium ſermonem Apuleius ſine præceptore, ſicut Rufinus Italus græcas literas, maximo tñ labore ſe didiciſſe libro primo ait. Et quidẽ qui olim è noſtris latinas literas iã quãpridem bellicis negotijs propè intermiſſas, & per id tp̃s repetitas faſtidiebant, græcas tñ iũ lõge florẽtes diſcebãt, quibus apprimè erãt eruditi, inde vero oẽs propè totis animi affectibus in latinas

literas incumbebant. Atq; ita quidem veteres illi Romani se in omni studiorum genere excolebant, vt ne in re quidem militari quisquam, nisi idem in literis præstans esse videretur. Omnium equidem liberalium artium disciplinæ potiunde studio, virtutesq; omnes assequendi desiderio nimio tenebantur Romani ipsi, quibus animos suos exornare, & remp. administrare, Imperiumq; propagare possent. Nec alio modo tantopere creuit res Romana. Ocium nimirum, cæteraq; luxuriæ instrumenta velut testrum et letale virus fugiebant. Alios præterea et reipsa, & scriptis, verbisq; ad æmulationem sui & cohortabantur & excitabant. Pythagoras quoq; ille vir sapientissimus, virtutum omnium specimen, philosophorum facile princeps cum in Italiam concessisset, et ad Crotonem vrbem tum opulentam diuertisset, eamq; ob recentem cladem, quam crotoniatæ à locrensibus acceperant in luxũ, & inertiam lapsam cõ perisset auctoritate, sapientiaq; sua ad vsum frugalitatis reuocauit, ciuitatum casus, ac ruinas luxu, & inertia veluti peste quadam, ac contagio perditarum enumerans. Ad quem scilicet audiendum Crotoniatæ vnà cum liberis, & coniugibus cõmuni quodam auditorio q̃ maximo extructo ingenti veneratione confluebant. Siue, vt alij, matronæ seorsũ à viris virtutes omnes docebat. Viros vero, præter cætera, vel modestiã docebat, & ad literarum studium & adhortabatur impendio, & incedebat. Sic eos in optimam frugem conuertit. Quo subsecutum est, vt innumeri propè & ex ea vrbe, & ex alijs Italiæ Ciuitatibus & viri, & mulieres

doctissimi, ac sapientissimi euaserint. qui cum ad alia, tum vero ad leges ferendas, ciuitatesq; iuste administrandas idonei erant. Numa ille secundus Romanorum Rex Crotonem petyt, vt ab illo ipso Pythagora philosophiæ præcepta edisceret, quis postea tantam vrbem iuste ac sancte moderaret. Felix quidē, ait Plato reip. libro quinto, est illa ciuitas, quam administrat sapiens. De quo Cicero ad Q. fratrem libro primo ait. Ille quidem princeps ingenij, & doctrinæ Plato tum deniq; fore beatas resp. putauit, si aut docti, & sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerēt omne suum studium in doctrina, & sapientia collocassent. Hæc Platonis sententia, ait Capitolinus, semper in ore M. Aurelij Antonini Imperatoris, cognomento Philosophi fuit. Omnes demum sapientes homines literarum latinarum, græcarumq; studium summis laudibus commendarunt, tum maxime è nostris Cicero, qui, vt ostendi, passim omnes præsertim Romanos, ad latinarum literarum studium multis rationibus adhortatur. At nostri noui populares academici molles, languidi, & eneruati vulgari quadam prudentia sapiētiaq; oscitante prædití, non philosophi, sed misosophi qui, vulgarem auram à vulgo rudi, inerti, & vano inanibus vocis captare student, non item. sed vanitatem, & ignauiā luxuriæ instrumenta, bonarumq; literarū atq; artium inscitiā egregias, præclarasq; indoles perdocēt. quid enim facerent aliud? qui auditores, ac sectatores suos, dent veniam meæ loquendi libertati, dimidio reddunt stultiores, quàm accipiunt. Ex eis enim nihil aliud possunt discere,

nisi ignorantiam literarum. Non suspicientes stupidi, ac stolidi se ciuitatibus calamitates parere, exitiumq; fore. quandoquidem adolescentes, qui vt professus sum, sua sponte ad ocium voluptatesq; sunt procliui, iam ætate improuidi horum præstigijs, & captionibus circumuenti (odio enim quodam incitatissimo in latinam linguam flagrantes, vt sæpius dictum est, disciplinas plebeia, vulgariq; lingua scribendas esse dicunt) latinarum græcarumq; literarum studijs, quæ labore solertia, diutinaq; vigilantia acquiruntur, veluti non necessarijs reiectis, mertiæ, & luxui vacant, vt iam ita ociosi torpeant, & crapulam edormiant, et ciuitates, quæ nonnisi à benè moratis, & sapiétibus hominibus sût administrãdæ, labefectétur necesse est. Et præter hæc, vrbẽ, quæ nil Pelegrinũ nil rusticũ, nil horridũ, nil putidũ, nil barbarũ reddolere debet, totamq; Italiã, serenitati. vt aiunt, nubẽ inducentes, barbarie refferserunt, & stellis, vt Horatius ait, nebulam sparserunt candidis, nonnullis vocabulis suis barbaris, lacunosis, putidis, et insolentibus, aut aliunde desumptis, illatis. & è Romano latioq; natiuo, quotidiano sermone literis aut syllabis detractis, aut immutatis, aut transpositis, aut additis. Atq; in hanc insaniam prolapsi sunt, vt dicant se aliam linguam, at vulgarem, at plebeiam, at demum barbaram, Romana latiaq; voce excepta, qua suas nænias scribunt, inuenisse. O homines bone frugi, O homines optimos maximos, O felicem ætatem, quæ tales ac tantos industrios, ac studiosos meruit habere doctores, tolerandum nobis est maxime. Quorum ora nonnisi sordida, deterrima,

deterrima, putida, lacunosa, rustica, et barbara vocabula, quæ ex imparissimis lacunis exhauriũt, Romanis, latijsq; exceptis, scaturiunt enunciatio, quæ Romana, latiaq; nõ est, dura, aspera, putida, vasta, hiulca, crassa est & barbara. Atq; ex latijs vocabulis ita primam, secundã, et tertiam vocalem, in quartã, & quintam, & e diuerso immutant, vt latia ipsa vocabula, aut nihil prorsus latiè, vt dixi, significent, aut in contrarium omnino sensum trahantur. Nã, vt pauca exempli gratia dicam, pro nato noto, pro aperio operio, pro audio odio dicunt, vt, inquiunt, vulgaris sermo à latinitate abscedat, quasi noto, operio, & odio latina vocabula non sint. Reperiant obsecro nouas literarum formas, verius nouas insanias, quibus modum imponere nequeunt. Qui præter cætera, vanum, et imperitum vulgus docent vanissimum illud, ac teterrimum adulationis vitium, quo sui libri sunt referti, cum sint eruditissimi adulatores. Literæ etiam, quas plebeio sermone cudunt, quas epistolarũ latinarũ vice sibi mutuò mittunt, et loquela, & adulatione barbarica plenæ sunt. Demũ quicquid loquũtur, quicquid scribũt barbaricã adulationẽ redolet. Atq; eò stulti facti sũt, vt romana latiaq; natiua vocabula, vel ea, quæ in regularẽ sermonem sunt relata, in vulgari sermone efferri rusticũ quid, et inurbanũ esse arbitrent. Quasi Romanus, latiusq; natiuus, quotidianus, atq; etiam latinus regularis sermo rusticus sit, & Romani illi perquàm nobilissimi, illepidè, & inurbanè, ac rusticè loquerentur. Quòd si cicero ab illis proprijs latijs vocabulis in artem relatis, quæ ab alijs obscœna, ac

turpia censebantur, abstinendum, & quidem iure, noluit, sed proprijs potius, vt nata sunt, et non alienis vtendum, quanto magis alia omnia propria, et natiua latia vocabula et quæ in artem relata sunt, & alia non donata latinitate, vt nata sunt, & id, ad quod nata sunt, significantia in quotidiano, & publico sermone sunt enunciāda. Atq; ideo ipsi plebeij doctores ciuiliter se, & vrbanè loqui putant, quia durè, putidè, vastè, hiulcè, asperè, & crassè loquuntur, tum ornatè & eleganter cum adulatoriè, ac barbarè. Et cum quid sit rectè vulgarè latinè, latio inquam more, loqui penitus ignorent, suauius, dulcius, emendatius, & magis latiè loquuntur latij rustici, ac mulieres quàm ipsi. Licet, vt sunt natura peruicaces, & stolidi, latiam Romanamq; enunciationem irrident. Et quanto putidius, sordidius, corruptius, impurius, durius, asperius, crassius, vastius, hiulcius, & magis barbarè quis loquitur, eò inter suos populares maiori laude prosequebitur, ampliorią; quæstu dignus existimatur, & obuijs vt aiunt vlnis, atq; osculo ab ipsis excipitur: ac si peregrina barbaraq; vox clarior esset Romana latiaq;, siue latia vocabula ad res exprimendas non suppeterent. Quòd si fortè aliquod nobis vocabulum deesset, illud quidem non à barbaris, sed à græcis esset mutuandum, vt à maioribus nostris actum est. Nam & ipsi græci à nobis nonnunquam, vt Quintilianus ait, vocabula mutuantur. Quandoquidem multa græca vocabula à latinæ linguæ auctoribus in latinam linguam relata in vsu sunt communis, quotidiani, publiciq; sermonis, vt aer, vt dialogus, vt

comœdia, vt grammatica, vt philosophia, vt alia multa: Ita & quædam barbara (pauca enim barbara vocabula & ea vix decem in latinam linguam asciuere) vt fagum, vt lancea. Ita & vocabula quædam à latinis auctoribus facta: Ita et apud græcos latia vocabula à græcis auctoribus in suam regularem, grāmaticamq; linguam relata, in vsum vulgaris publiciq;, & quotidiani sermonis prodierunt, Asserere præterea audent nostri populares doctores se nescio quas diphthongos ex, i, vel, v, & altera vocali instituisse, cum diphthongi rationem penitus ignorent. Nā in diphthongis, i, et, u, semper subijciuntur, sunt enim omnino subiunctiuæ vocales, et in diphthongis latinis, i, non admittitur. Rursum in diphthongis græcis aut postrema tantum vocalis profertur, aut vtraq;, aut neutra, sed alia. In latinis vero nouissima vocalis effertur, aut vtraq; Igitur siue vocalem, siue diphthongum, gl, adieceris, siue alterā diphthongi vocalem, siue vtrāq; enuncies nunquam, l, linguæ protractione appulsæ dentibus enuntiari debet. Si quidem quamcunq; vocalem aut diphthongum, g, cæterisq; mutis cum liquidis adieceris ita sonant in quotidiano, vulgariq; sermone, ac in latino regulari, vt bla, bra, cla, cra, dla, dra, fla, fra, gla, gra, pla, pra, tla, tra. Quare syllabæ, literaq; omnes ita in vulgari sermone proferri debent sicut in latino, nō enim suum sonum amittunt. I, autem & u, consonantiū vice fungūtur (dicunt enim plebeij doctores, qui ne literas quidem copulare norunt, in his vocibus glio, glao, i, & , u, consonantes esse) cum vera consonans deest, vt

in principio dictionis, & inter duas vocales. Cumq; , vt dixi, & ipsi, & alij Itali è barbaris Romanorum *benefi- cio, & benignitate facti sint latini, ac* Romani, *nunc in tantam arrogantiam, atq; insolentiam prolapsi sunt, vt* Romanos *ipsos eloquij, virtutumq; omnium magi- stros, totamq;* Italiam *barbarè loqui docere audeant.* Noluntq; Romanos, *latiosq; populos latio suo patrio natiuo, quotidiano, vulgari, vernaculo, & naturali sermone loqui, sed barbaro. Atq; in enuntiandis latijs vocabulis temeritatem, amentiamq; suam sequi. Et mu- tilè crassè, hiulcè, vastè, et asperè, literis, aut syllabis addi tis, aut immutatis, aut detractis, aut transpositis ea pro- ferre sicunt ipsi ob linguæ duritiem, & asperitatem ea proferunt. quasi verò fons riuulos, et lacunas, & do- minus mancipia consectari debet, & non potius riuuli fontem, & serui dominum. Et cum non tanti fuerit sapi- ens græcia, non maliciosa Africa, non cætera barbaries veteres illos* Romanos *habere deceptos. nunc inuenti sũt isti, qui quicquid ipsis natura ipsa absonum est, & ineptũ, alijs vti pulchrum & decorum quidpiam suadent. quasi etiam post Gothorum in vrbem irruptionem, quo tempo re, vt rabulæ isti argutantur,* Romani *vulgari sermone loqui cæperunt, iam tot annos, vt puta centum quinqua- gintaquatuor supra mille,* Romani *ipsi loqui nescissent.* Quos *isti blaterones, temerarij, semibarbari nunc rectè & vrbanè, vt ipsi putant, loqui docere audent.* Inuentiq; *sunt insulsi hi qui cornicum, vt dicitur, oculos confixerint.* Atq; , *vt etiam aiunt, mus* Mineruã *docet.* Doceant, *quæso*

græcos non græcè loqui, sed sarmaticè, doceant sarmatas nõ sarmaticè loqui, sed dalmaticè, et vt semel dicã, inuertãt ac perturbent eis magistri confusionis. Nã nil aliud miseri agere sciunt, nisi vim iniectare naturæ, & eam ab instituto cursu retorquere, ac cœlo terram, & terræ cœlũ miscerere. Quid est enim causæ, quare in Romanis latijsq; vocabulis enunciandis aliorum legi, verius temeritati & insaniæ subijciamur? Enuncient alij vocabula sua more suo, Romana autem, latiaq; vocabula latio, Romanoq; more sunt proferẽda. Vtq; nugaces ipsi vulgares academici, philosophi barbatenus, suis mẽdacijs, ac præstigijs imponant alijs, quæ fallaciæ admodum vanum, & imperitum vulgus delectant, eisq; suggerant eo modo, idest inepiè et barbarè loquendum et enuntiandum esse, quo ipsi natura ob linguæ duritiem asperitatem & difficultatem enuntiant, dicunt ꝙ eædem latiæ literæ, ac syllabæ secus in quotidiano publicoq; sermone efferri debeant, atq; in regulari, quodq; quo vulgaris sermo à latinitate abscedit, eo melior ac nobilior est, cui vanæ & fallaci opinioni, verius insaniæ, nonnulli astipulantur. O nouos populares philosophos omnino ieiunos vsquequaq; ab ineptijs præsidium quærentes, qui volũt quod quo longius quid abscedit à summo, eò fit nobilius, cum non intelligant quid sit latinitas, neque quid sit vulgaritas. O, inquam, philosophos non quidem academicos, sed scepticos, pyrrhoniosq;, qui volunt, quod quo longius quid & à natura &, ab arte abscedit, eò fit clarius. quid ergo si neque naturam, neque artem

admittunt? Nam sic loqui (vtar hoc exemplo (deu e nudu natura est latinis populis, sic vero, Deus est nudus, ars est, isti neúe hoc neúe illud volunt. quasi etiam lingua getica, vel sarmatica, aut quæuis alia barbara lingua felicior, ac clarior sit itala. quæ, vt semel atq; iterum dixi, Romanorum *beneficio & benignitate* Romana *latiaq; facta est, atq; eo magis imperitum vulgus, ac leuiter eruditos supplantant, q doctorum & ingeniosorũ hominum nomen induerũt: ita vt alij non amplius rationem quærãt, cum habeant auctores: at quales tamdem auctores? qui neúe docti, neúe ingeniosi sunt: quod ipsum quàm sit ipsis periculosum* Cicero *docet, qui libro primo de natura deorum ait.* Non *enim tam auctores in disputando, q̃ rationis momenta quærenda sunt: quinetiam obest plerũq; ijs, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur: desinunt enim suum iudicium adhibere, id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vidẽt.* Et *cum tot clarissimi auctores* Itali, *vt* Cato, *vt* V*arro, vt* Virgilius, *vt* Plinius, *vt alij multi* I*taliam suam: vt etiam pleriq; prouinciales, vel illi ipsi græci magnis, & quidem merito, extulerint laudibus: &* Romani *magnis honoribus, atq; ornamentis eam exornauerint, et decorauerint, ab eaq; barbariem omnem summo studio profligauerint, nunc hi plebeij doctores plusq̃ barbari fanatici, ac stolidi* Italo *nomine indigni eam barbarie rursus inficere nituntur.* Contra quos, *& quidem iure optimo,* Scipio *ille* Æmilianus *vir certe facile præstantissimus, uirtutum omnium exemplar,* Romanoq; *nomine dignus, &* Italiæ

suæ studiosissimus imo pectore ingemens proclamauit. Taceant, inquit, quibus Italia nouerca est non mater. Dimiratur Dionysius Halicarnaseus Romanorum constantia urbem ex tanta barbarorum colluuie in barbaram uersam non esse. Nunc O tempora O mores inuenti sũt è nostris temerarij quidã semibarbari, quinetiam plusq̃ barbari, qui vrbem ipsam, totamq; Italiam barbarie resarcirent, & temerarent. O si temporibus istis ille ipse Scipio, aut Cato ille censorinus, aut L. Crassus, aut Camillus, aut alius quispiam veterum illorum Romanorum ab inferis excitaretur, aut vnus aliquis horum similis exurgeret: qui hos temerarios plusq̃ barbaros, non Italiæ filios, sed priuignos, ac spurios non Roma modo è latioq;, sed à cuncta quoq; Italia ipsa sua probris à se affectos, ac flagris multatos grauitate ac maiestate illa sua propelleret, et in vltimas orbis oras ablegaret. Pleriq; etiã Italiæ principũ, quos regulos appellare decet, quia bonarum literarum penitus sunt expertes, & grauitatis, quam omnibus in rebus, tum in disciplinæ præstantia seruare deberent, Italiciq; nominis immemores, huiuscemodi vulgaris vanitatis, & barbariei sunt patroni. Atq; apud se amanibus & asecretis eos habent, non qui doctè latinè loqui & scribere sciant, sed qui magis putidè, corruptè, crassè, & demum adulatoriè, ac barbarè in uulgari sermone loquuntur et enuntiant. Cum ipsi potius barbariem hanc, & uanitatem ab Italia arcere deberẽt. queritur Cicero, queritur & Varro, queruntur & alij Romæ suæ studiosi, q̃ multi inquinatè loquentes urbem ingressi natiuum

vulgarem Romanum, latiumq́; sermonem polluissent, Cum isti non Italiæ filij, sed priuigni, sed spurij non desis- stant, vt sæpe dixi, ipsum iam toti Italiæ à Romanis com municatum, fœdare & corrumpere. Siquidem hic vulga ris sermo, quo nunc Italia vtitur, quibusdam barbaris vo cabulis exceptis, Romanus, latiusq́; natius, vernaculus na turalis, patrius, & proprius est, à quo literarius, & regu laris, grammaticusq́; Romanus latinusq́; sermo, vt di- ctum est, atq; dicetur vberius, ac planius, vt ars à natura, manauit. Qui sermo vulgaris à Romanis toti Italiæ suæ, vt retuli, impertitus est. qui dulcis est, & suauis, mitis, et lautus. Enunciatio lenis, & facilis, nil prosus barbariei continēs, quem vel ipsi græci, vt ostendam, laudauerunt. Et si Tusci ex oībus Italię populis soli iactātiā et vanita te quadā, audatia refragante tm̄ sibi arrogēt, vt eū suū vendicent. O vocem audacissimam, O temeritatem non ferendam. quis ista effucientes non nauseat? Nō stoma- chetur? Non eos desipere, & delirare dicat? Omnium quidem ineptiarum, quæ innumerabiles sunt, nulla hac maior inueniri potest. Quòd si hic vulgaris sermo, quo nunc Italia vtitur, Romanus, latiusq́; natiuus, patrius, naturalis, proprius, & peculiaris non est, neq; Liuius An- dronicus, Ennius, Pacuuius, Næuius, Lucretius, Plautus, Terentius, Cato, Varro, Cicero, Sallustius, Cæsar, Virgi- lius Propertius, Horatius, Ouidius T. Liuius, Columella; cæteriq́;, quos si recensere voluerimus dies nobis defi- ceret, latina, Romanaq́; lingua scripserunt. Ostendant igitur nebulones ipsi, si valent, qua lingua scripserunt,

Tusca fortasse? Et certe si vulgaris hic sermo, quo nunc nos Itali vtimur, Tuscus est, consequens haud dubie est memoratos auctores, aliosq́;, qui latinè scripsisse dicuntur, Tusca lingua scripsisse. Cum hæc vocabula, quibus in cõmuni, quotidiano, vulgariq́; sermone vtimur, in his auctoribus reperiãtur, vt panis, vinũ, aqua, mel, piscis, caro, lignũ, terra, cœlũ, mare, amo, lego dormio, curro, subito, semper, heri, et cætera id genus. Sed dimittãt, quæso quæ Romæ, et latiũ sũt tum in moribus, tum in sermonibus, & viderint quid aliud sibi superesit, quàm barbarũ. sed vsq; eò vulgares ipsi doctores gesticulis, rebusq́; inanibus assidentes bene multa ridiculè et stultè effutiũt, vt molestũ sit eorũ ãnumerare nænias, atq; figmẽta quæ cũ cosso labore cõpilant, putant quasi flosculis vernẽt vndiq; Cũ rõnes oẽs quas afferunt, nõ modo ignorantiũ, leuiũq́; hominũ sint, sed prestigiatorũ, qui suis acetabulis, ac caliculis astantiũ oculos præstringunt Nimirum næniæ eiusmodi, quas hi vulgi doctores, ipsius vulgi auribus inserutentes, et ei, præclaræq; iuuentuti imponẽtes in apertũ prc ferũt, cuicunq́; perito, probo, et prudenti viro videntur pro nihilo, quibus cium bonorũ consensu nihil peius cõtemnendũ est, et irridendum. Siquidem, si hanc in rem oculũ inijcere velint, non solum eas legentes operã oẽm ludunt. sed quàmplurimũ eas legerint, tam citissimũ ignorãtes, et vani fiẽt. Aiunt enim vulgarem ipsã linguã ob quã stolidi tantũ insaniunt, ex latina corrupta natam, quam matrem suam, natiuam, & propriam dicunt. Latinã vero regularem, quam, inquiunt, Romani olim vnà cũ lactè ipso à

genitrice, ac nutrice imbibebant, auiã, et peregrinam. quã obrem, aiunt, sicut plus matrem, q̃ auiam amare tenentur ita plus vulgarem linguam, q̃ latinam colere debent, O nimiam istorum charitatem omnibus prædicandam, maiori amore matrem suam. quàm auiam vt debent certè, prosequntur. Sed obserua obsecro generationis seriem. Latina lingua peperit (irrideamus interim hoꝝ insitiã, atq; insaniã, digna est enim, vt irrideatur) et peperit vulgarem vanitatem atq; ignorantiam, quæ à matre sua longe plurimum degenerauit. Hæc rursus, nescio quo leuitatis flatu grauidata peperit, sed quid quæso parere potuit? vtiq;, vt ipsimet fatentur, filios vanos & ignorantes. Dicunt enim iam vulgarem linguam matrẽ suam esse, seq; eius filios. Rursum si vulgaris hæc lingua è latina est nata, quomodo est tusca? Credendum est quidem latinam linguam, quæ à latio, vt mox enodatius dicetur, nomen est sortita, in latio domo sua peperisse. Nisi fortè dixerint, q à socru sua, vel à viro suo conuicijs lacessita aufugit è latio, & Tyberi amni transnato in Tusciam profecta ibi hanc vulgarem linguam peperit. Sed si vulgaris hæc lingua è latina à Gothis corrupta est (etenim ita quoq; dicunt) vt est latinæ filia? Nisi hic quoque dixerint, eam matris, idest latinæ, vtero cæso vi à Gothis tractam. quæ cæsa potius esset appellãda, aut Gothica quàm Tusca. Opinor latinum regularem, grãmaticumq; sermonem barbarorum furori, et immanitati subijci, & hastæ, aut sicæ acie dilaniari posse. Sed fac ita esse, vt latina lingua barbarico furori, & framearum sicarumq; icti bus

subijci possit. & Romani natura ipsa ita dicerent, Deus est nudus (vtar hac locutione, quia vtrumque vocabulum nostri populares doctores corruperunt) & Gothi stricta sica, arrepta ingenti impetu framea, incussoq; latinæ lin guæ ictu hanc locutionem Deus est nudus, in hunc sermo nem corruperint, vt horum vocabulo vtar, Deu e nudu age obsecro O plebeie doctor quis magis barbarus? quis immanior? quis truculentior? Quis stolidior? quis insa nior te, qui ita dicendũ esse doces. Iddio e ignudo? quis sermo corruptior? quis non dicet hos plebeios doctores delirare, & quid dicant prorsus ignorare? Nam modo dicunt barbaros latinam linguam corrupisse, modo vulga rem sermonem à latino regulari sermone abesse debere. Itemque si vulgaris hæc lingua Tusca est, cum Tuscia vna & ea permodica Italiæ regio sit, quomodo alijs Italiæ populis est materna, & natiua? Erit igitur omnibus Italis, præter Tuscos, peregrina. Quòd si peregrina lin gua, vt suo ipsorum vocabulo vtar, sibi scribere libet, cur potius plebeia, & inculta, & vt semel atque iterum ac sæ pius dixi, barbara, Romana, latiaq; voce excepta, q̃ lati na et græca? quid dicitis o nescij, sed quid ego nescios ap pello? Alij ex ipsis dicunt hanc vulgarem linguam iccir co Tuscã dici, quòd Petrarcha, qui hac lingua suas can tilenas et turpes amores scripsit Tuscus fuit. Optima qui dem & hæc ratio, & hominè docto, at magno inge nio, iudicioq; prædito digna. Mirum cur nõ dicant, Per sium Tusca lingua scripsisse, quia Tuscus fuit. O ignorã tiam singularem. O dementiam insanabilem. O ingeo

nia robore & saxo obtusiora, & hebetiora. Quid enim istis ignauius? hac etiam ipsa rõne dicere poterunt. Arpinates Ciceronem Arpinati lingua scripsisse, quia Arpinas fuit. & Mantuani Virgilium mantuana lingua scripsisse, quia Mantuanus fuit. ita & Cæteræ & Italiæ, & aliarum regionum vrbes de suis ciuibus, qui vel latina, vel græca lingua scripserunt. insana est hæc opinio non modo vana. Adhuc alij ideo hanc vulgarem linguam Tuscam esse dicunt, quòd in ea quædam Tusca vocabula sint. Et quemadmodum, inquiunt latini (semper enim culicem Elephanto, & Aquilam noctuæ comparant, & ad puerorum exemplar loquuntur omnia, sed quid dicerent aliud) pleraq; græca vocabula à græcis mutuantes, ac barbara quædam in latinam linguam redegerunt, & tamen latina lingua dicitur, ita ipsi ex latinis, & suis barbaris vocabulis suam Tuscã linguam cofecerunt. Sed licet hæ aliaq; innumeræ pueriles, aniles, & rusticæ ineptiæ dignæ non sint, quæ refellantur, tamen sciant, quòd si latina regularis lingua dena millia, vt exempli gratia loquar, vocabulorum latinorum, id est latij, et eorum electorum, ac clarorum habet, vix centum propè græca, & ea itidem selecta, vrbana, & clara vocabula habet, barbara vix decem, quæ latini auctores ex regulari græca in latinam linguam retulerunt. quæ licet latinitate, ac ciuitate donata sint, licet eis pro latinis vtamur, nunq̃ tamen desinent esse græca. At vulgaris lingua, quam falsò, ac temerè Tuscam appellant, econtrario omnia vocabula latia habet, vel sordida, rustica, &

abiecta, quæ latini auctores in regularem sermonem re ferre neglexerunt, nulla Tusca, licet Tusci ipsi multa sua prisca barbara vocabula habeant quibus domi vtan tur, barbara quædam à transalpinis illata, quæ inculta, putida, et insolentia sunt. quæ ab vrbe, laticq; , atq; ab Italia tota sunt eliminanda. Qua etiam in re huiusmodi populares grammatici, ac doctores, si rectè aduertunt, fatentur se ex purissimi auri scoria sibi anulos, & armillas, & torques, quibus ornētur, confecisse, et ex optimi vi ni fece potionē, qua sitim expleant, et pellāt parasse (licet enim latia, Romanaq; quotidiana, vulgarisq; lingua clara sit, & illustris, respectu tamen regularis, grammaticæq; linguæ scoria reputatur) & tamen se minime pudet arroganter asserere vulgarem ipsam linguam potiorem esse latina, ac græca regulari, enuntiationem suauiorem et iucundiorē idq; sibi persuasissimum habent, nescio quibus anilibus, puerilibus admodum, ac rusticis opinionibus innixi. Sed dicant quæso qui se plebeios grāmaticos esse iactitant schiasso, vt vno ipsorū et eo sordido, lacunoso, putido, et barbaro vocabulo, exēpli gratia, vtar, cuius generis est, vt puerili more interrogem? Masculini, aut fœminini, aut neutri, aut cōmunis, aut oīs, aut promiscui aut incerti? Arbitror equidē incerti generis esse, cum ipsi incerti ingenij, atq; iudicij sint. Rursum cuius declinationis? existimo nullius, sed anomalū esse, et heteroclitū cū ipsi omnia, etiā animos suos & ingenia sua anomala et heteroclita habeāt, quæ nulla regula, aut rōne regi queūt. Qua hortographiæ rōne vtuntur? qui literas quàm inepte

ac barbarè conglutinant. Nam *c,l,n, literas,vt alias præterea m,cuicunq; consonanti ineptissimè copulant. Ita vt non orthographia fit,sed cacographia,sed achyrographia,sed streblographia,sed (concedite mihi hoc vocabulo vti)barbarographia,hoc est, absurda,inepta ,peruersa & ,barbara scriptura.* Item *dicant ,qui se populares poetas esse ostentant , sui versus, ob quos tantum sibi blandiuntur,quot, quibusue pedibus constant ? dactilo ne, an spondeo,an iambo,an anapæsto,an cretico, an trochæo , an alio aliquo, quibus græci , latiniq; poetæ vtuntur ? quæ syllabæ longæ, quæ breues ? censeo horum popularium poetarum versus cum sint claudi varos habere pedes: et ideo poetæ ipsi nunquam recto tramite ad veræ scientiæ agnitionem peruenire possunt:* Qui *eos versus legunt , & edunt , quos nugatores', ac circumforanei, ac cæci,qui per plateas in subsellijs cantitare solent.* Qui *cum inani ventositate iactantiæ vanescant,ridiculi risum faciunt omnibus prouincialibus latinæ linguæ studiosis,eisq; contemptui sunt.* Nimirum *nō poetæ sunt,sed bœoti (inest enim eis bœoticum ingenium,& si stolido vulgo,cui corui,vt dicitur, sunt honoratiores luscinijs secus videtur) non doctores,sed deceptores,non poetantur,sed repuerascunt.* Inconfesso *vtiq; est iam eos cōmuni sensu carentes ab equis , vt aiunt,ad asinos transisse.* Et *in eo ipso q famam à vulgo , quod quotidie dolis capiunt,aucupantur , peritis , ac prudentibus infantiam suam ostendere non effugiunt.* O *igitur miseros si hæc intelligunt, miseriores si non intelligunt.* Cæ

terũ op̃ pretiũ est, q̃ olim Tuscus sermo fuerit, cũ de re, vt oẽs intelligãt quãta iactãtia, & vanitate Tusci ipsi laborãt, qui latiũ Romanũq; vulgarẽ sermonẽ sibi asci scũt. Enimuero Tuscus sermo, vt retuli, barbarus erat, & putidus, quẽ Romani, latiniq; populi, ni didicissẽt, intelligere nõ poterant, id quod etiã nũc cõspici potẽst in multis vocabulis suis vetustis, quibus domi vtunt. Et certe Tiberius Gracchus, vt Cicero de natura Deo℞ lib. pri. memoriç prodidit, eos barbaros, vti erãt, appellauit. quo℞ vocabulis barbaris Lucilius, vt quint. lib. pri. tradit, latinos Romanosq; vti vetuit. Et nõ sermone solũ moribusq;, sed habitu quoq; à Romanis, latinisq; populis differebãt. Literç quoq; eo℞ à latinis diuersæ erãt, licet ipsi Romanos literas à se mutuasse nugent. sed de literis alio in loco dicemus. Diony. enim Halicar. vt alibi dixi, Tuscos, Marsos Vmbros, Ligures, aliosq; Italiæ populos barbaros fuisse scribit. & lib. v. ait. C. Mutius Ethrusca lingua loquẽs, quã puer à nutrice edoctus etrusci gñis didicerat, Ethruscoꝝ vallũ ingredit. & Plut. in Publ. Mutius Tusco habitu indutus, tuscoq; sermone fretus penetrauit in hostiũ castra. Itẽ Liuius lib. ix. M. Kæso Fabius Cærete educatus apud hospites, Ethruscis inde literis eruditus erat, linguãq; Ethruscã probene nouerat. missus à M. Fabio speculatũ seruus ei comes vnus fuit nutritus vnà haud ignarus linguæ eiusdẽ. Et lib. x. C. Fuluius iubet peritos linguæ Ethruscæ attendere animũ pastorum. Adhuc Sex. Iulius Front. lib. pri. Q. Fabius Max. bello Ethrusco fratrẽ kæsonẽ Fabiũ peritũ linguæ Ethruscæ iussit Ethrusco habitu

penetrare Ciminiã ſiluã. Peritũ, atq́; eruditũ, inquiũt, lingua Ethruſcæ, hoc eſt, qui ea lĩgua loqui ꝑbene callebat, vt ſiquis Germanica, aut Dalmatica, aut quauis alia barbara lingua. Vnde Cæſar belli Gal. lib. pri. inquit. M. Valerius procillus linguæ Gallicę ſcientiã habebat. quibus literis, quaq́; lingua Romani pueros aliquot erudiẽdos eò mittebãt augurãdi, & auſpicãdi diſciplinæ, verius vaniſſimæ ſuperſtitionis percipiẽdæ gratia, cui Ethruſci magnopere vacabãt. quã poſtea latinis literis ſcriberẽt. Et certe vel Hadriani Cæſaris principatu Tuſci à Romanis barbari, vt erãt, appellabant͛. nã etiã tũ ſuis barbaris natiuis vocabulis vtebant͛, cõtemnẽtes Romana, latiaq́;. Cũ enim quidã Romanus, ſiue latius homo, ait Gel. lib. xvij. apud prætorẽ apludã latiũ quidẽ vocabulũ, ſed vetuſtũ, & iã obſoletũ pronũciaſſet oĩbus, qui aderãt, riſũ excitauit, quaſi Tuſcè, aut gallicè dixiſſet, ideſt barbarè. Ecce nũc tibi Tuſcia ſermo tuus patrius, vernaculus priſcus omnino barbarus à latio patrio, vernaculo ſermone penitus alienus qui iã fũditus intercidit, paucis vacabulis exceptis, quèis intra lares tuos vteris.

G. B. F. PRO LINGVA LATINA

LIBER SECVNDVS



VNC autẽ quirites quia iã platè patet Tuſcos olim lingua barbaros fuiſſe, et Romanorum beneficio, ac benignitate latinos, Romanoſq́; factos, & hunc vulgarem ſermonem quo Italia vtitur, quibuſdam

barbaris vocabulis exceptis, latiũ natiuum, vernaculũ naturalem, proprium, peculiarem, et patriũ esse, ad latinam linguã reuertẽdum est. In quam, vt semel, atq iteꝶ, ac sæpius dictũ est, tanta his plebeijs academicis atrocitas, ac peruersitas est, vt eam penitus delere nitantur, qua nihil peius oderũt. Vtq; facilius nõ modo vulgus suũ imperitũ, et credulum, sed præclarã etiã iuuentutem ætate improuidã suis offucijs, captionibusq; decipiãt, eisq; persuadeant, vt latinis, græcisq; literis omissis, suas pueriles ineptias & aniles fabellas, quæ sexcẽtæ sunt, studeant, asserere audent, nullis quidem aut ratione, aut auctoritate, & quamnã quæso rationẽ, et auctoritatẽ afferre poterant? Romanos oĩs sexus, ætatis, et cõditionis olim latino grãmatico sermone, qui sibi quotidianus, vulgaris, popularis, plebeius, communis, et publicus esset, locutos qui subinde vulgari, inquiũt, sermone loqui cœperũt post Gothorũ in vrbẽ irruptionem, qui, aiunt, Romanũ, latinũq; sermonem corruperũt. Et ideo olim latinè scribebãt Romani, quia latino sibi quotidiano, vulgari, cõmuni, et publico, sermone loquebant. id quod de græcis etiã nugãtur, ꝙ quotidiano, vulgari, populari, cõmuni, et publico sermone scribebant, quo vulgus loquebat. Nos autẽ inquiũt (adeo enim gloriaꝶ, et nugaꝶ plena sunt oĩa, vt se Romanis comparare audeãt) quia vulgari nũc in loquẽdo sermone vtimur, vulgari nostro sermone scribere debemus. Cũ quisq suo patrio, natiuo, populari, cõmuni & publico sermone, quo loquit scribere debet, hinc, vt dicit illæ lachrymæ. ò ingenia iuuenibus metuẽda. Optimũ hoc, et longe efficax nactos

se existimantes vanitatis, inscitiæ, præstigiarumq; suarum argumentum, ac patrocinium ad latinam linguam tollendam, & suam barbariem, ingnorantiam, & ignauiam tuendã, iuuenesq; circumueniendos. qui dum apud vulgus suum docti, & sapientes præ alijs videri volunt, imperitos se, & fatuos esse ostendunt. Aduersus quos Cicero, & quidem iurè, ac sanctè, sicut semper, de natura deorum libro primo exclamans ait. Quid est enim temeritate fortius? Aut quid tam temerarium, tamq; indignũ sapientis grauitate, atq; constantia, quàm aut falsum sentire, aut quod non satis exploratè perceptum sit, & cognitum sine vlla dubitatione defendere? Et certe, præter alias rationes sane multas, vel ex hoc maxime intelligi potest, q sibi consistere nesciunt, nequeuntq;. Nam dicunt Romanos olim latinè, idest exarte, vt ostendam natura ipsa locutos, latinumq; sermonem à Gothis corruptũ et tamen ipsi plusq̃ barbari non contenti eò sermone loqui, quem è latino regulari à barbaris corruptum esse nugantur. quem vel ipsi vulgarem nuncupant, aiunt mutandas esse literas, addendas, adimendas, & transponendas è vulgari ipso sermone, barbaraq; vocabula enunciãda, quo vulgaris ipse sermo à latinitate abscedat, vt ineptè, sordidè, putidè, ac barbarè loquantur. latinitatem appellant latiũ natiuum, quotidianum, et vulgarem sermonem, quem ipsi è regulari à barbaris corruptum blaterant. ita vt nec quid dicant intelligant, cum eundem sermonem nunc vulgarem è regulari corruptum, nunc latinæ linguæ filiam, nunc latinitatem appellent.

Et quidem, ait in Alcibiade Plato, ingnorantia est causa contraria, diuersaq; dicere. qui tametsi ipsimet fateantur iam non omnes ea, quæ ab ipsis vulgari, plebeioq; sermone scribuntur, intelligere posse, tamen vulgari, plebeio, patrio, sermone scribendum esse dicunt, ingenuasq; artes, cæterasq; disciplinas rudi, & imperito vulgo communicandas esse, vt cuncti eas ediscant, nil à vulgo plebeuè alienum, sed omnia cum vulgo ipso suo communia habere volentes. Latinos præterea, græcosq; libros, quos doctissimi, & sapientissimi viri excellentiori, ac fermè diuino quopiam ingenio prædici magnis laboribus, atq; vigilijs, assiduisq; studijs ediderũt, atq; etiam eã ipsam diuinam scripturam cũ auaritia, quando nempe non modicum inde faciunt lucrum, tum in latinam linguam odio cum vulgo ipso suo inerti, & ignauo, quod animis puerilibus spectat omnia, oblectatur friuolis, & inanibus rebus gaudet, communicant. Eos in vulgarem, O si Romanũ saltem, & non semibarbarum sermonem vertentes. Asserentes eos in blebeiam ipsam linguam exprimendos esse, vt siqui, inquiunt, ex imperita multitudine, vt putà cerdones, baiuli, cætarij, fartores, cupedinarij, pistores, coqui, caupones, & alij id genus præclaro ingenio prædici sint, liberales artes, cæterasq; disciplinas, & diuinorum eloquiorum arcana mysteria assequãtur · et poetæ rhetores, dialectici, philosophi, & ne singula prosequar, theologi euadant: quod quàm sit detestandum in aliud tempus dicendum reijcimus. Nam tyranni, inquiunt, est, & inuidi disciplinas non omnibus cõmunicare. Vnde græci

& quæ ab aliis sũpserunt, & quæ ipsi repererunt nõ peregrino, sed græco patrio sermone scripserũt. Et Romani itidem & quæ à græcis acceperunt, et quæ ipsi peperẽrũt, nõ græca peregrina lingua, sed patria latina scripserũt, vt disciplinas ipsas cũctis cõmunicarent quasi græci, & Romani vulgari, cõmuni, & publico sermone scripserint Quippe, vt hinc primũ exordiar, non cẽs Romani sua patria latina lingua scripserũt. Namq;, vt ostẽdimus, eorũ plerīq; patriam linguã paruipendentes, peregrina lingua, hoc est, græca, quæ vetustior, ac tum cultior erat, scripserũt. Rursũ, si vt isti ferunt, quisq; sua patria natiua, & vernacula lingua scribere debet, quia Romani sua scribebant. Quid est cur Ennius, Lucilius, Pacuuius, Næuius, Attius, Plautus, Cæcilius, Varus, Macer, Cassius, Flaccus, Cicero, Virgilius, Oratius, Ouidius, Propertius, Persius, Tibullus, Gallus, Iuuenalis, vterq; Statius, vterq; Plinius, quorũ nemo vnus Romanus, aut Latinus patria fuit, àliiq; q̃, plurimi, quos recẽsere longũ esset. Et nõ Itali solũ, sed & reliqui Europæi multi, itemq; Asiatici, et Africani quãplurimi doctissimi homines, vt exposui, vt Columella, vterq; Seneca, Lucanus, Martialis, Terentius, licet ipsũ Romanũ fuisse nonnulli velint, Publius, Varro Attacinus, Sextilius, Septimius, Calphurnius, Claudianus, Apuleius, àliiq; propè innumeri, omitto Ecclesiasticos, nõ sua singuli lingua, sed peregrina, idest latina scripserunt? Quã tamen ipsi non peregrinam, sed suam, vt ostendimus, vocabant. Et non modo ad cæteras disciplinas attinentia multa scripserunt, sed grammaticã quoq;

artem latinam quo eam excolerent, vt Pompilius Andro nicus Syrus, Atteius philologus Atheniẽsis, Iulius hyginus Hispanus. M. Antonius Gnipho, & Valerius Cato Galli, aliiq; multi, de quibus Suetonius in libro de illustribus grãmaticis cõmeminit, Seruius Maurus, Terentianus, Victorinus, et Augustinus Afri, Priscianus Cæsariẽsis, aliiq; multi. Itẽq; quid est quare Europæi, Africani, et Asiatici propè innumeri anteq̃ latina lingua per orbem vniuersũ cum Imperio promoueretur, & etiã post non sua quisq; patria, sed peregrina, hoc est græca lingua, scripserũt? Adhæc quid est quamobrẽ. Petrus, Paulus, Ioannes, Iacobus, & Iudas Apostoli, itẽ ægesippus, philo, Iosephus Hebræi hõiẽs, aliiq; multi non sua patria hebræa lingua, quæ est vetustior græca, et, vt Hieronymus ait, mater linguarum, qua vetus testamentũ scriptũ fuit, sed peregrina idest græca scripserunt? Ita et Lucas Syrus, et Marcus cyprius, et Hesychius hebræus, quorũ ille græcè, isti latinè scripserunt. Tyranni credo et inuidi hi oẽs, aliiq; siue poetæ, siue philosophi, siue quicumq; alij, vel Apostoli ipsi, & Ecclesiæ doctores fuerunt, quia peregrina lingua scribẽtes suas doctrinas oĩbus manifestas esse noluerũt, neq; suis ciuibus cõmunicauerunt. Tirannus, et inuidus, Moses, & prophetæ, qui obscurè & ænigmaticè, & extra grãmatica, ne cũctis paterent, scripserunt? Tyrãnus & inuidus Christus qui non cĩa omnibus cõmunicauit? Hi soli populares academici, plebeij doctores benigni sunt qui vulgo suo vano, & inerti disciplinas, verius suas insanias, cõmunicare volunt. O fœdam, & insulsam dementiam

O ineptos & indignos labores. Eos autem, qui suis nænijs, atq; affinijs nō astipulantur, fœdissimo conuitio proscindunt temerarios, & ignorantes appellantes: cum ipsi & ignorantiæ magistri sint, & temerarij, atq; insolentes. quod si omnibus prodesse possumus, cur paucis proderimus? Græci, et latini scriptores nō græcis, & latinis, græcis, inquam, latijsq; tantum populis, sed omnibus nationibus prodesse voluerunt. Et certe, si rectè aduertunt ex eo quòd disciplinæ latinè græceq; scribuntur. vnum & alterum fit. Primum quia disciplinæ ipsæ vulgo inerti, & imperito non manifestantur, alterum quia ingenui cuiusuis regionis homines eas ediscere possunt. Contra vero accidit cum vulgari, plebeiaq; lingua scribuntur. nam disciplinæ ipsæ rudi vulgo communicatæ vilescunt, & nonnisi illius idiomatis homines eas ediscere valent. Sed græca, inquiunt, lingua tot auctores scripserūt quia communis erat. Sed quid per communem intelligant nescio, nisi per communem celebratam dicant, quasi nō & latina lingua vel antè Christi aduentum per orbem vniuersum celebrata, et, vt suo ipsorum vocabulo vtar, communis omnibus esset. Sed & hoc ipse quæro, cur potius peregrinam, quam patriam celebrabant? Cum quilibet, vt nostri plebeij grammatici dicunt, magis patriam, quam peregrinam linguam colere debeat. Rursum non quemlibet græcorum sua patria natiua lingua scripsisse perspicuum quidem est, nam cum græcia maxima regio sit, non quatuor linguas, sed innumerabiles fermè constituissent. Scripserunt itaq; græci ipsi omnes aliqua istarū

quatuor linguarum ex arte institutarum, aut Attica aut Dorica, aut Æolica, aut Ionica, aut his simul, non populari, communi, & publica. quid prætereà plus habent hi vulgares homines, qui plebeia potius lingua, quàm latina, & græca oblectãtur, quàm barbari? Præsertim quoq; quòd Romanam, latiamq; natiuá linguam barbaram reddere conantur. quandoquidem Scythæ, Arabes, Ægiptij, alijq; barbari, qui græca, latinaq;, lingua nõ vtuntur, pleraq; lingua sua scribunt. Sed triginta, inquiunt, anni in grammatica arte edíscenda teruntur, vt nihil ferè temporis sibi reliquum sit in cæteris disciplinis addiscendis. quòd si quisq; patria lingua, quam simul cum lacte à genitrice vel nutrice hausit, scriberet, et à puero in disciplinis assequendis, & naturæ secretis rimandis, quæ adhuc multa, inquiunt, abstrusa latent, omne studium impenderet, haud dubie multi Platones, & Aristoteles modo reperirẽtur, qui secreta ipsa naturæ iam obdita perscrutantes promerent in medium. O nostri sæculi populares doctores delicatos, & ingeniosos, qui cùm vsquequaq; in luto hæsitent, honestas, & claras disciplinas sine præceptore, sine labore, momento temporis consequi volũt. Cedo qui hæc dicunt? Non ne in loco desipiunt, atq; perinde loquuntur quasi aniculæ deliræ? Non perpendentes, q; vt egregiè libro sexto de Rep. scribit Plato, pulchra sunt difficilia. Et certe neq; vulgares, sordidaq; artes modico tẽpore, absq; magistro absq; labore acquiri possũt, siquidẽ neq; coqui, neq; pistores, neq; lanij, neq; veteramẽtarij, vt de cæteris taceam, artes suas sine magistro,

et labore, multũ tẽporis in eis terendo acquirere possunt. id quod etiam probè Plato in Io. scribit. O inquam praeclara, diuinaq; nostri saeculi ingenia, si Deo placet ingeniosiores, & sapientiores sunt alijs omnibus. quasi puerilis aetas iam rudis, & imbecillis hoc tam arduum munus obire possit, vt per se disciplinas assequatur. Sed quid est quare tot noui populares academici, philosophi barba tenus, qui à pueris plebeijs literis incumbũt, & in eis oẽm aetatem consumunt, quibus & scribunt, non Platones, & Aristoteles euadũt? Cur non naturae arcana, quae, vt ipsi ferunt, abstrusa latent, in lucem euocant? Sed quomodo quaeso secreta naturae rimari possunt, qui neq; quid sit natura, neq; quid sit ars, vt ostendemus, intelligunt? quibus nec quicq̃ longius, q̃, vt secreta naturae rimentur, quot item Africani, Asiatici, & caeteri Europaei graecis, vel latinis, peregrinis literis, qui in ipsis acquirẽdis non triginta annos contriuerunt. vel illi ipsi graeci longe plurimũ eruditi, qui et si Platonis, & Aristotelis sectatores fuerint, ac disciplinas q̃ optimè assecuti, tamen neq; Platones, neq; Aristoteles euaserunt? Sed neq; opus est triginta ãnos in grammatica arte adipiscenda insumere. Siquidem qui ab infantia optimum sortiti fuerint praeceptorem, & literis oblectantur intra quintumdecimum annum eam q̃ optime assequentur. quales innumeri extiterunt, indead reliquas disciplinas percipiendas accedere possunt. quòd si vt isti aiunt, triginta anni opus sint ad grãmaticam artẽ addiscendam puerilem laborẽ ac doctrinam, quae obsecro aetas sufficiet ad reliquas disciplinas acquirendas, et ad

mūdi opera, naturæq; secreta rimanda? Vtiq; vix trecenti anni ad hoc tam arduū opus adeundū, aut certe perficiendū suppeterēt. Sed quid faciā illis? quod si ipsi nugis, inanibusq; rebus vacare volent licebit, vacent, nō idem illis et nobis. Ad hoc, vt, vnde aberrauit, redeat oratio, quid est qua propter post Gothorū in vrbem irruptionē iam tot annos, qui iam hæretici facti Honorij, & arcadij principatu à natali dñi anno .cccc. in Italiā predonū, & latronū more irruperunt, quo tempore latinam linguam corruptam, & Romanos vulgari sermone loqui cœptos blaterāt nostri noui academici, innumerabiles ferè nō Romani, Italiq; alij solum, sed et ceteri Europæi, Asiatici, et Africani non sua singuli, neq; Romani vulgari, sed latina lingua scripserūt? scribuntq; etiam num? Et nō modo Gregorius, Leo, aliiq; Romani pōtifices homilias, & sermones ad populū Romæ in delubris non vulgari, sed latino sermone fecerunt, sed in reliqua Italia, & in prouincijs quoq; patres homilias et sermones ad populum in templis latino sermone fecerunt. quos auctores cur hi nostri noui populares doctores in plebeium sermonem vertunt, non video, nisi quod sola, & ea inexhausta, atq; inexplebili auaritia sunt moti. cum ex hoc, vt dixi, non modicum quæstum faciant vulgus miserabile frustrātes. Item quid est cur Iustinianus Cæsar post ipsam Gothorū in vrbē impressionē, restitutis Reip. prouincijs, Romanas factiones nō modo latina lingua cōpilauit, nō vulgari: sed vetuit etiā eas in vulgarē latiū Romanūq; sermonē, vel in barbarā lingā verti: iussitq; gesta, actaq;

omnia vel publica latinè, quod ostendemus, scribi? Et non solum ante Gothorum in Italiam irruptionem, sed post etiam vbique propè gentium studia latinarũ literarũ publica, & priuata fuerũt. Rursum quare nũc hi plebeij doctores, simij, qui se Romanos imitari velle dicunt, cum Roma vna tantum sit Italiæ vrbs, cur, inquam, singuli non sua patria lingua scribunt? Veneti sua, Florentini sua, Aretini sua, Bergomates sua? Et ita, vt verbo vno perstringam, quælibet Italiæ ciuitas? Et cum nos latini gloriamur nostram latinam linguam vnam solummodo esse, & eam perillustrem, arteque factam, hi vulgares grammatici non vnam, non quatuor, vt græci, quæ tamen vel ex arte grammatica, & ex selectis, vrbanis, & claris vocabulis sunt institutæ, quibus græcis, quia quatuor linguas habent, vitio obijcimus, sed innumerabiles propè, & eas plebeias, incultas, & irregulares constituent. Vtique si istorum vanitatem, & amentiam cæteris esset, imitandum quælibet et Italiæ, & omnium prouinciarum regio, quinetiam quælibet ciuitas varias loquendi & scribendi formas, verius nugas, & insanias (tres enim tantum linguæ regulares sũt diuinitus institutæ) sibi constituet. Sua dixi lingua, nam tametsi is loquendi vulgaris, & quotidianus vsus, quo nunc Italia vtitur, Romanus, latiusque, vt disseruit, sit, pleræque tamen Italiæ Regiones, & ciuitates nonnulla sua vetusta barbara vocabula, aut à transalpinis illata adhuc retinent, maxime Tusci, item ea ipsa latia, Romanaque; vocabula pleraque ineptè, & incomptè, ac barbarè pronunciant. Ad hæc si latina lingua, quæ à latio mo-

dica Italiæ ora dicta est, est ipsis peregrina(sic enim dicunt) & hæc vulgaris lingua, qua nunc Italia vtitur, est Tusca, vt ipsi eam apellant. vt est Venetis, alijsq; Italis materna? cum Tuscia vna, & ea permodica Italiæ regio sit. Erit igitur omnibus Italis, vt aliàs dixi, præter Tuscos, peregrina. quòd si peregrina lingua eis scribere libet, cur potius plebeia, putida, inculta, rustica, & barbara, Romana, latiaq; voce, et enunciatione excepta, quam latina? Si tanti vitrũ quanti margaritum? Hi qui vilibus rebus adhærescunt. Adhuc sermo quidẽ natiuus vernaculus, naturalis, domesticus, patrius, communis, familiaris, quotidianus, & publicus cuiuscunq; idiomatis à vulgo vulgaris, à plebe plebeius, à populo popularis dicitur, omni sexui, & ætati, & conditioni omni tempore familiaris, quotidianus, communis, & publicus, quo omnes eius idiomatis homines omnis sexus, ætatis, & ordinis sine lectione, sine regula, sine ratione, omni tempore vtuntur, & non vrbani modo, sed vel rustici, licet ornatius vrbani rusticis. quem quisq; eius idiomatis vt primũ fari incipit, vel peregrini nõ in scholis à præceptoribus, sed à vulgo ipso vsu tantum absq; præceptore, & lectione, vt Alcibiades apud Platonem edisserat, & res ipsa loquitur, ediscunt. quando enim Venetijs, aut Florentiæ, aut alicubi terrarum quisquam gentium ludum aperuit, vt patriam vulgarem, cõmunem, et publicã linguam, aut Romæ post Gothorum in vrbem irruptionem vulgarem sermonem à Gothis è latino corruptum, vt ipsi dicunt, pueros edoceret? Licet nunc Florentiæ, quia suis vulgaribus

scriptoribus longe longeque gloriantur, ipsorum lasciuas cantilenas, & turpes fabulas legant. An nostri plebij doctores cũ in Germaniam, Pannoniam, Britãniam, aut aliquò terrarũ proficiscuntur earũ linguas in scholis à magistris, vel illi ipsi indigenæ ediscunt? Itaque si latinus sermo, vt nunc per antonomasiã (tribus enim modis, vt ostẽdemus, latinè loqui dicitur) & ex arte dicitur, erat Romanis omnis sexus, ætatis, & conditionis omni tempore sine regula, sine ratione, sine lectione, sine præceptore familiaris, quotidianus, vulgaris, popularis, cõmunis, & publicus, non modo Romani ipsi sed et rustici quoque, qui rura, qui vineas, qui hortos colebant, pecudum custodes per totũ territorium Romanum ita latinè loquebantur: nã secus se mutuò intelligere non potuissent (etenim, Vt retuli, cuiusuis ciuitatis patrius, quotidianus, communis, & publicus sermo etiã rusticis eius idiomatis comunis est cum Vrbanis licet, Vrbani, vt præfatũ est, ornatius rusticis loquãtur) quem huiusmodi latinũ sermonẽ et indigenæ ipsi, et peregrini omnis sexus, ætatis, & conditionis nõ in scholis à præceptoribus, sed è vulgo ipso vsu tantum sine lectione & præceptore didicissent. Cumq; etiã Romanus, latiusq; patrius, communis, & quotidianus sermo à Romanis longe ante Gothorum in Italiam irruptionem per totam Italiam, vt retuli, fit diffusus, omnes Itali latinè per antonomasiam natura postea locuti fuissent. Sed certè perlatè patet quòd sẽper Romæ, & in cætera Italia, & vbique terrarum, vbi latinæ literæ floruere, schola, ludusq; literarius patuit, vbi pueri latinas literas à præceptori-

bus edifcebant. Loquebantur, inquiunt, Romani omnes olim latinè, sed emendatius docti. quod si docti emendatius alijs, loquebantur velint nolint fatentur apud Romanos doctrinam in loquendo fuisse, quam à solis doctoribus tradi alijs posse quis non videt? Rursum si Romani omnis sexus, ætatis, & ordinis latinè per antonomasiam natura olim loquebantur, & non labore, ac studio à magistris in scholis ipsum latinè loqui, latinamq; regularem linguam edifcebãt, quid est quamobrem Cicero turpe ingenuis Romanis esse dicit nescire latinè loqui? quod ipsũ Iuuenalis etiam dicit, sedenim qui sic dicit: Cæsar vicit hostes, Fabius seruiebat Senatui, latinè ex arte loquitur. Quis enim dicet turpe esse ingenuis ciuibus Venetis nescire Venetè loqui? Et Florentinis nescire Florentinè loqui? Et certe Ouidius libro secundo de arte amandi monet Romanam iuuentutem ingenuas artes, latinam, græcamq; linguam edifcere id idem libro primo facit. Vbi ait:

Disce bonas artes (moneo) Romana iuuentus
Non tantum trepidos vt tueare reos.

Libro vero secundo inquit:

Nec leuis ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit, & linguas edidicisse duas.

E quidem si latina literaria lingua omnibus Romanis, omnis sexus, ætatis, & ordinis natura ipsa erat communis, alius alio eloquentius, & ornatius loqui poterat (eloquentia enim, & ornatus loquendi apud omnes gentes, & linguas esse potest (at non doctius, non

emendatius, non latinius, non magis Romanè. Quis enim Venetorum alio emendatius, & magis Venetè, aut Florentinorum, emendatius, & magis Floretinè loquitur? Aut apud quamlibet cuiusuis regionis vrbem alius alio emendatius loquitur? Cum vnus modus sit, vnum genus, vnaq; veluti in suo cuiusq; ciuitatis numo forma, ac figura dicendi, omnes eisdem patrijs vocabulis, eadem enutiatione in loquendo vtantur. Quæ laus etiã Romanis data fuisset, si oẽs latinè per antonomasiã natura loquebant̃, et non labore, studio, & industria latina lingua iam ex arte instituta cõpararetur? Neunquam quidẽ laudi datũ fuit alicui ciuitati quòd suo natiuo, quotidiano, cõmuni, & publico sermone loquerent̃. Nã quòd Macrobius Sat. libro primo natiuã Romãni oris elegantiã dicat, tale quiddam est. Quale illud Cornelij taciti in dialogo de Orat. qui Seleium bassum poetam commendans ait. Versus basso domi nascuntur pulchri, & iucundi. Et illud M. Hortali Hortensij Oratoris nepotis apud Tacitum ipsum libro secundo: qui eloquentiam gentile domus suæ bonum esse dicit. Et illud Ciceronis ad Varronem. sed quid ego hæc ad te, cuius domi nascuntur præcepta philosophica? Et in Bruto, Athenis natam, & altam eloquentiam scribit. & Rursum, cum de Calui oratione loquitur, dicit foro natam eloquentiam. Nata quidem, & alta eloquentia, atq; elegantiam Athenis, ac Romæ dicitur, quòd attica athenis, & certe ait idem Cicero in Bruto, Solonis ætate, Romana Romæ ortũ habuit. Foro vero nata dicitur quia ibi exercebat̃. Neq; cũ Liuius libro vige

simo octauo dicit turbam Balearium, Hispanorum'q; Romano, latinoq; militi obiectam esse, milites latinæ grammaticæ linguæ eruditos intelligit, sed qui è Roma, latioq; essent· quæ locutio frequens est apud auctores. Neq; cum Horatius epistolarũ libro primo dicit se primum iambum pedem latio ostendisse per latium aut solum ipsum latij, agrumq;, aut oẽs latinos populos omnis sexus, ætatis, & conditionis intelligit, sed poetas tantum latinos. Neq; etiã cum ipsemet Horatius epistolarum libro secundo dicit latinum, Romanumq; populum serum admouisse acumina græcis libris iam post punica bella quietum, idest deuicta Carthagine, omnes Romani latijq; omnis sexus, ætatis, et ordinis græcis literis studebant· licet populi appellatione oẽs ciuitatis, aut regionis ordines omnis sexus, et ætatis cõtineantur. Neq; cum Horatius ipse libro eodem Romam veteres poetas ediscere dicit, omnes Romani cuiusuis sexus, ætatis, & conditionis poetas ipsos ediscebant· Nam quòd sequitur. interdum vulgus rectum videt, ad id referendum est.

Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro
Spectat Roma potens. habet hos, numeratq; poetas
Ad nostrum tempus liui scriptoris ab æuo.

Peccat tamen, & errat, inquit, vulgus, si veteres poetas ita laudat, vt nullos nouos poetas eis anteferat· in theatro enim poetarum versus recitabantur, Neq; item cum Cicero academico primo dicit. Ego philosophiam iam professus sum populo nostro exibiturus. Et Tusc. libro primo se ociosum ciuibus suis prodesse ait philosophiam latinis

literis illustrando, neq; inquam, omnes Romani omnis sexus, ætatis, & conditionis philosophiæ studium impendebãt, aut impendituri erant. Sed talia sunt hæc, quale illud eiusdem Ciceronis in Bruto. nihil de me dicam, dicam de cæteris, quorum nemo erat, qui videretur exquisitius, q̃ vulgus hominum studuisse literis, quibus fõs perfectæ eloquentiæ continetur. Vulgus idest turbam leuiter eruditorũ, qui perfectam eloquentiam assecuti non fuerant. Ita rursus ibidem turbam, & vulgus patronorũ dicit. Rectè quidem, ac latinè dicimus vulgus turbamúe philosophorum, oratorum, poetarum, & eiusmodi, idest frequentiam, et multitudinẽ. Nan vulgus absolutè imperitorum multitudinem significat. quale etiam est illud eiusdem in oratore vsum loquendi populo concessi, mihi scientiã reseruaui, populo idest latinæ linguæ studiosis, quos Augustinus latinas gentes appellauit. Nam cum alij, præsertim maiores y, græcã literam, & aspirationem reycerent, scriberentq; purros, pulcros, cetegos, triumpos, id quod absonum, & inconcinnum erat, cum ad aurium sonum minime aptè enunciarentur. Cicero conuicio aurium veritate cognita huiuscemodi loquendi vsum populo, id est latinæ linguæ studiosis, vel leuiter eruditis reliquit. Et scientiam, atq; euphoniam, quæ, ait Diomedes libro primo, in dictionibus plus interdum valet, q̃ anologia, vel regula præceptorum, secutus est: scribebatq; Pyrrhos, pulchros, cethegos, triumphos. Hoc etiã loquendi modo vsus est Varro libro octauo de analogia, vbi dicit populum in omnibus verbis vti debere analogia. Cæterum quidam

dam hac ratione probare contendunt Romanos *olim om nis sexus, ætatis, & ordinis latino grammatico, & litera rio sermone, qui sibi natiuus, quotidianus, communis, & publicus esset, locutos, quod omnes inscriptiones in saxis, sepulcrorumq́; epitaphia vel villissimorum hominum, ac mulierum, & infantium latino literario sermone, & nō vulgari sunt scriptæ, atq; interdum in eis grammaticæ ar tis error deprehenditur, quod, aiunt, indicium est omnes latinè locutos, sed non æquè eruditi erant, quodq́; nullus liber* Vetus *vulgari sermone scriptus reperitur*. Quæ *quidem ratio puerilis est, et leuissima, nec homine docto, ac prudente digna*. quasi *vero inscriptiones eiusmodi, & epitaphia ipsa ab eis ipsis, qui è vita decedebāt, ante quam morerentur, & non ab alijs, vt modo queq; fit, suorum consanguineorum cura, post ipsorum mortem, componerentur*. In *quibus quot annos menses, & dies vixissent scribebatur*, quasi *etiam infantes, qui necdum fari poterant, aut etiam quinquennes & eiusmodi suas inscriptiones, & epithaphia antequam obirent diem suum componerent*. Cumq́; *in multis* Italiæ *locis, & in prouincijs eiusmodi epithaphia, & inscriptiones latino sermone reperiantur, consequens esset, vt & illi populi, apud quos hæc reperiuntur, latinè natura loquerentur*. O *cecum pectus*, O *mentem* Cimmerijs, *vt aiunt, tenebris atriorem*. Et *quidē fatentur iam quod non intelligunt nā dicunt apud* Romanos, *alios alijs eruditiores fuisse, cū eru ditio, vt iam semel dictū est, à doctoribus tanū tradat, et ꝙ error artis grāmaticæ in inscriptionibus ipsis reperit,*

quod si ex arte grammatica sunt compositæ, vt natura latinè loquebantur Romani? quòd autē in eis interim ar tis grammaticæ error sit, ob id est, aut quia ab imperitis edebantur, aut certe error ipse sculptorum est. Item si natura latinè, vt nunc per antonomasiam dicitur, loque bantur Romani, certe indifferenter omnibus Romanis na tiuis communibus, & publicis vocabulis vsi fuissent lati ni scriptores, vt plebeij doctores faciunt, sed certe constat ꝙ non omnibus vtebantur, sed selectis, & claris, putida vero, horrida, rustica, & absona repudiabant, quod ostendam, licet principio non adeo casti, ac prudentes in delegendis vocabulis fuerint. Item cum plura nomina in eodem significatu variè terminentur, diuersiq; sint ge neris, ac declinationis, vt præsepe, præsepium, præsepes, & alia id genus pleraq; alia diuersa significent: cum item verba pleraq; diuersi sint generis, ac cōiugationis, ac multa varios significatus, et structuras habeant, peto ab his vulgarijs doctoribus in quo genere, significatu, ordine, structura, & terminatione huiusmodi vocabula, & locutiones natura erant Romanis, vt sic natura loque rentur? Rursum cur latinè natura, & post Gothorum in vrbem irruptionem, vulgarè Romanos solos locutos di cunt, & non omnes latinos populos, cum latinè loqui à Latio, non à Roma dictum sit, & omnes latini populi ita vulgarè loquātur, vt Romani? Itemq; scire ego magno opere vellem ab his plebeijs grammaticis, philosophisq; popularibus, qui præ omnibus acuti, prudentes, & do cti videri volunt, latina lingua, quam regularem, & ex

arte institutam esse semel atque iterum ac sepius dixi, enodatiusque, ac cumulatius ostendam, quam ipsi naturalem, popularem, communem, & publicam fuisse Romanis *blaterant, cui primum à natura tributa est?* Loco, *an hominibus?* Si *hominibus, quero quando?* In *vrbis ædificatione, an post?* Si *post quo conditæ vrbis anno?* Et *quomodo munus istud* Romanis *obuenit?* Cœlitus *ne lapsum est, vt de* Numæ *ancyle dicitur?* Si *in vrbis ædificatione, cum* Roma *à pastoribus, agrestibus hominibus dispari genere, dissimili lingua, vt* Sallustius *ait, alijs alio more viuentibus sit primum inhabitata, certe necessum est, vt siqui ex ea agrestium hominum colluuione latina lingua, vt nunc per antonomasiam dicitur, sibi naturali, natiua, cōmuni, & publica loquebantur, populi quoque ipsi, è quibus hi originem duxerunt, ita quoque loquerentur.* Qui *ergo sunt populi illi,* Albani? E *quibus* Romulus & Remus *thraxerunt originem? et illi à* Lauinio Troiana *vrbe, aut* Tusci, *qui á* Noe *se originem ducere, ab eoque linguam, & literas habere iueniliter nimis, ac leuissimè iactitant?* Si *loco cum* Roma *in* Palatino *colle perexiguo loco super* Tyberis *ripam sito primo condita sit, & inde multa alia loca complexa admodum aucta, ergo aut crescente vrbis ambitu, crescebat quoque naturæ virtus, aut certè reliqui* Romani, *qui extra* Palatinum *mōtem habitabant, ad* Palatinum *ipsum collem felicem, & perbeatum locum confluebant, quo latinam linguam à cœlo ipso, atque natura, vti vitales auras, carperent, haurirent, & ediscerent, aut veluti si ad fontem quempiam ad aquam suscipiendam,*

aut certe à Palatinis eam ediscebant. Ediscitur enim naturalis, patrius, natiuus, popularis, communis, & publicus loquendi vsus, vt ostensum est, cuiuscunque idiomatis à mulitudine, et vulgo sine lectione, & ratione. Sed nec certe talis, ac tanta felicitas est contemnenda aut omittenda, sed eò loci eundum est ad habitandum, vbi ob loci, cœliq; clementiam homines à cunabulis, vt primum fari incipiunt latinè per antonomasiam, & ex arte, nullo adhibito labore, & cura, ac sine lectione, sine ratione, & præceptore loquuntur. Nisi forte dixerint naturam pœnituisse, munusq; illud ademisse, Non enim à barbaris (sic enim nostri plebeij philosophi barbatenus dicunt) loci, ac cœli virtus, atque natura corrumpi potest. Ecquid iudicium his plebeijs philosophis inest? Ecqua doctrina ipsis est? qui nullo modo videntes, quid sit ars, quid natura, scribunt non philosophorum iudicia, sed somnia, & deliramenta, vt, cum ars licet sit à natura profecta, hominum tamen ingenio atque industria excogitata fuerit, & inde labore, & tempore acquisita, dicant artem ipsam pariter cum natura natam, vt vel rustici ita loquerentur. Idq; ex vniuerso orbe Palatino colli tantum permodico loco, & paucis, ac permodicis græciæ locis, vt putà Attico, Doriensi, Æolico, & Ionico à natura fuisse tributum. Mirum cur non dicant cæteras etiam artes tum ingenuas, tum populares, etymologiam, anologiam, orthographiam, accentus rationem, et litterarum formas simul cum natura ortas. Aurum quidem, & ferrum, & marmor, & arbor à natura sunt, anulus

autem, & gladius & statua, et scamnum ex arte • non enim hæc nascuntur, sed fiunt. O igitur ingenia hominibus indigna, quæ tot ineptias protulerunt, miseros, atque miserabiles, qui stultitiam suam literis, memoriæque mandarunt: Sed quid faciam illis? Deus det ipsis suam ipsorum mentem, qua iampridem lapsi sunt. Experiantur obsecro ipsi, qui latinam regularem, & grammaticam linguam, non à teneris vnguiculis à nutricibus cum lacte suxerunt, sed à præceptoribus longo tempore, assiduis studijs, magnis instantibus laboribus, iugi condiscipulorũ consuetudine, & plagarũ coercione didicerunt, an liberos suos vt fari cœperint latinè ex arte loqui docere possent: ita vt neque liber, neque labor, neque diligentia, neque cætera, quæ ad hanc artem, ac disciplinam consequendam sunt necessaria, opus sint. Et quidem Apuleius, qui nõ rusticus homo, aut seruilis conditionis, neque puer, neque rudis, & imperitus, sed vir ingenuus, & ætate prouectus, solerti ingenio, acri iudicio præditus, doctrina clarus, græcis literis valdeq̃ eruditus, & philosophus non vulgaris latinum regularem sermonem, licet nullo præeunte præceptore, id quod sibi soli contingit, prætereà nemini, ærumnali tamen labore, vt ipse dicit, ac summo studio, & longo tempore auctores, vel grammaticos animo præsenti legendo didicit. Quòd autem dicunt, vt nihil intactum reliquum faciamus, latinum, Romanumque regularem sermonem à Gothis fuisse corruptum, præter ea, quæ dicta sunt, nullo modo fieri potuisse ex his rationibus conspicuum erit. Et certe, vt hinc initium sumam,

modisq; omnibus ostendam huiusmodi populares homines iudicij, ac rationis esse expertes, neq; Hieronymus, neq; Augustinus latinæ linguæ studiosissimi, qui Paulo post Gothorum in vrbem impressionem scripsere, & vrbis, atq; Italiæ vastitatē deflent, & sæpe de vulgari Romano, latioq; sermone meminere, dicunt vulgarem ipsum sermonem à Gothis è latino esse corruptum, neq; Iustinianus Cæsar. Sed neq; Procopius, qui Gothicum bellū scripsit, & semel atq; iterum de vulgari Romano sermone mentionem facit, scribit Gothos latinum sermonem corrupisse, neunq̄ enim à barbaris corrumpi potest: Siquidem in latino grammatico, regulariq; sermone easdem grammaticæ artis regulas, & præceptiones, eademq; vocabula seruamus, quæ Cicero, Cæsar, Sallustius Virgilius, Horatius, Liuius, aliiq; seruauerunt, qui veterum scriptorum itidem præceptiones, & normas, & vocabula obseruauerunt, excepto quód artem ipsam, latinamq; liguā correxerunt, expolierunt, auxerunt. Itaq; literarius, & regularis latinus, Romanusq; sermo nūquam potuit, nee poterit quidem à barbaris corrumpi, quem, vt retuli, pie, ac religiosè & susceperunt, & custodierunt. Equidem si latina regularis lingua à barbaris corrumpi potuisset, profectò corrupta fuisset statim in ipsa sua tenera, et inualida infantia, siue pueritia, in suo, in quā, ortu, aut paulopost iā rudis à Troianis, qui duce Ænea in Latium cōcesserunt. Sed nec tum, nec postea in vrbis ædificatione à tanta hominum colluuione, neq; deinceps à tanta itidem barbarorum colluuie, qui iam toties vrbem ingressi quo-

tidianum vulgaremq; sermonem, vt dicemus corruperũt, corrumpi potuit. Itemq; multa recondita vocabula, & locutiones. & composita propè innumera sunt in latino regulari sermone, quæ vulgus penitus ignorat, quæ corrupta fuissent. & in vulgi vsu remansissent? Contra pleraq; sunt vocabula latia, Romanaq; natiua in vulgi vsu, quibus latinus grammaticus sermo non vtitur. Rursum cum dicimus. tu modo prandisti bonum panem, fructus maturos, bibisti vinum nigrum? quæ corruptio esse potest, si dicamus (cogor enim sic loqui, vt horum inscitiam apertius arguam) tu mo pransasti bonu pane, frutti maturi, biuisti vinu nigru? Cum eadem latia, Romanaq; patria, propria natiua, & vernacula vocabula sint. soluitur quidem, non corrumpitur latinus, Romanusq; regularis sermo, & ex arte institutus, regulis, & arti subiectus in latium, Romanumq; natiuum quidem, & patrium, at quotidianum, familiarem, vulgarem popularem, communem, & publicum sermonem, qui nullis regulis, præceptisq; subijcitur, à quo, vt sæpius dictũ est, atq; dicetur vberius, planiusq;, regularis ille latinus sermo est factus. Ad hoc quæ corruptio cadere potest in ijs, vt scientia, sapientia, doctrina, litera, via, causa, poeta, & alia id genus cum in recto, & in latino grammatico, & in vulgari sermone eodem modo efferantur? Item in ijs, subito, quando, supra, retro, amo, et alia talia multa? Quæ eodem modo enunciantur in vulgari sermone, quo in latino, Adhæc si Gothi aut quiuis alij barbari hunc latinum sermonem ex arte institutum, tu modo

prandisti bonum panem, & quæ supradicta sunt, in hunc vulgarem sermonem corruperunt, vt suo ipsorum vocabulo vtar, tu mo pransasti bonu pane; & quæ superius sequuntur. quæro sermo iste vulgaris cuias est? Liquet sanè quod barbari, qui latinum regularem sermonem callent, ipsum docendi, declarandiq; causa in suum natiuum patrium idioma soluunt, Gothi in suum, Germani in suum, & ita omnes alij in aliud autem idioma soluere nequaquam possunt, nisi prius illud didicerint. Vulgarem autem hunc sermonem, tu mo pransasti bonu pane, et alia supra memorata, quem è regulari à Gothis corruptum nugantur, Gothicum non esse perspicuum profectò est, neq; Germanicum, neq; Tuscum priscum, neq; Dalmaticum neq; quemuis alium barbarum, neq; quidem Græcum; est ergo Romanus, latiusq;. Vnde igitur sciebant Gothi latinum regularem sermonem in vernaculum vulgare, comune, & publicum latium, Romanumq; idioma soluere, nisi prius idioma ipsum didicissent? quòd si mihi, immo vero rationi, & veritati fidem nō habent, faciant huiusce rei periculum. Presertim etiam quod ex ea barbarorum colluuie, qui vrbem ceperunt, pauci admodum latinas litteras nouerant, qui si aliquādo interse latinè loquebantur, à rudi & imperita multitudine intelligi nequaquam poterant. quare velint nolint nostri populares doctores fateantur necesse est, anteq̄ à Gothis in vrbem impressio facta esset, & latinum grammaticum, & vulgarem sermonem extitisse. Corruptus est autem non grāmaticus, regularis, sed vulgaris, quotidianus Romanus.

latiusq; sermo a barbaris, vt mox planius atq; vberius dicetur, cum barbari ipsi res suis barbaris vocabulis appellarent, sicut modo nostri plebij academici plusq̃ barbari faciunt. quæ barbara vocabula in vrbe, atq; Italia remanserunt, vt guerra, treuga, Capitaneus, et alia quædam. Sed magis corruptus est Romanus, latiusq; natiuus vulgaris sermo à popularibus doctoribus, qui barbariem & in vrbe, et per Italiam sparserunt. quæ barbaries vnà cũ suis actoribus omnino ab Italia ipsa tota arcẽda est. quòd autem, vt cætera prosequamur, Romani omnes, vt ferunt, omnis sexus, ætatis, & conditionis latinè olim loquerentur, ego neutiquam inficias eo, quin nõ modo Romanos, sed omnes etiam latinos populos latinè fuisse locutos annuo. at non latinè per antonomasiam, nõ eo modo, quo populares doctores intelligunt. Sed enim latina lingua à latio, vt dixi, non à Roma, nuncupata est (omnis enim, ait Cicero offic. primo, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio debet à definitione proficisci, vt magis intelligatur quid sit id, de quo disputetur) quæ regio, vt omnibus liquet, in Italia est inter Tiberim amnem & Circeios montes, atq; inter fretum & montes Apenninos. in eo sunt volsci, rutuli, & hernici, in qua regione Roma est orbis domina, virtutum omnium fons, & magistra. Proinde latina lingua à latio dicta est, vt dicitur latinus homo, latinus sanguis, latinus mos, latinus Populus, latinus ager, latinus exercitus, latina gens, latina colonia, latinũ bellũ, & cætera generis eiusdẽ, vtq; dicitur lingua Gallica, Germanica, Dalmatica. Nam à latio latinum,



nomen deriuari nemo quisquam non sciit. A quo etiam latius latia latium ducitur, vt latius sermo, latia lingua, latium ius: & latialis latiale, vt latialis sermo, latiale ius & latiensis latiense, vt latiensis ager, et latinor verbum: A latio quoq; Latinitas *deducitur, quæ* Diomedes *ait, est incorrupta loquendi obseruatio, id est ars. Sed nec id solum, Sed aliud quoq; significat. Suetonius enim in Octauiano ait. Quasdam ciuitates latinitate, vel ciuitate donauit, hoc est, latij, aut ciuitatis* Romanæ *ius eis dedit : de quo* vocabulo *latinitas hoc modo sumpto sæpe fit mentio libro tertio* Dig. *& libro sexto* Cod. *Itaq; latina, latia, & latialis lingua, & per aduerbium latinè, & latiè pluri fariam sumi solet.* Vno *enim modo latinè loqui in quotidiano, & communi sermone est clarè, apertè, simpliciter, & sine dolo loqui.* Nam *præter hoc quod latia natiua* vocabula *ita clara sunt, & aperta, vt barbariem prorsus abhorreant,* Latini *populi tali, ac tanta probitate sunt suapte natura præditi ob cœli clementiam, vt apertè, planè, clarè, simpliciter, ac sine dolo loquantur.* Quare Cicero *in verrem libro sexto ait.* Non *enim verbi, neq; criminis causa augendi complector omnia.* Cum *dico nihil istum eiusmodi rerũ in tota prouincia reliquisse, latinè me scitote, non accusatoriè loqui, etiam planius.* Et Philippica *septima.* Marcum Antonium *gladiatorem non ita appellaui, vt interdum etiam* M. Antonius *gladiator appellari solet, sed vt appellant ij, qui planè, & latinè loquuntur. Ac si diceret non appellaui* M. Antonium *gladiatorem loquendi modo, sed vere gladiator est, vt id voca-*

bulum in latio natum est · nam comitem, & familiarem suum iam fugientem in more gladiatorum iugulauit. Altero modo latinè loqui est, vt nunc dicitur per antonomasiam, id est ex arte grammatica clarè tamen, & emendatè cum verborũ delectu, rectè, ex recta cõsuetudine bonorũ, auctorũ, & ex analogia, vt Cicero passim præcipit. Et quintilianus libro primo scribit. Aliud est enim latinè, aliud grammaticè loqui· Nam si Senatus senati senato secundi ordinis inflexeris, grammaticè id est ex arte, sed non latinè, idest non secundum vsum bonorum auctorum loqueris. Consuetudo enim bonorũ auctorũ per quartũ inclinat. Ait etiam ibidẽ· sermo cõstat rõne, vetustate, autoritate, et cõsuetudine. Rõne idest, arte quia certa regula flectunt flectenda· nõ flectenda vero certo fine claudũtur· cõsuetudine bonorũ auctorũ latinæ linguæ, sed de hoc mox plura. Tertio modo latinè loqui, est latio more loqui, idest latij natiuis, vernaculis, quotidianis, vulgaribus, popularibus, communibus, & publicis vocabulis vti in loquendo, & ea, ad quæ nata sunt, significantibus sine arte grammatica, sine analogia, sine lectione, sine regula, sine ratione. Vt dicitur loqui Germanicè, Dalmaticè. quotidiani autem, vulgaris, communis, & publici latij sermonis, vt alterius cuiuscunq; idiomatis, præcepta nulla sunt, ait Cicero Offic. primo, & veritas ipsa docet. Regularis autem, et literarij, atq; ex arte grammatica instituti latini sermonis, sicut & græci, præcepta sunt plura, quæ in arte ipsa grammatica continentur. Siquis igitur barbara vocabula ad artem grammaticam redegerit gramma

seruata.Ita & Attici, Dores, Æoles, & Iones, vt alij græci, vtq; omnes aliæ gentes, suo patrio, natiuo, & vernaculo sermone omni sexui, ætati, & conditioni omni tempore communi, & publico loquebantur, & scribebant, vt modo quoq; fit. Inde vero ex arte scribi cœptum est. Nã huius artis inuẽtor præclariori, ac propè diuino ingenio, acriori iudicio præditus ex arte, hoc est, lautiori, & limatiori, atq; elegãtiori stylo, ac cultu, et qui à natiuo, quotidiano, vulgari, communi, & publico sermone differret, è medio tamen, id est è natiuo, quotidiano, cõmuni, & publico loquendi vsu desumptis vocabulis, formulis quibusdam, ac rõnibus nominũ, & verborum, ac pronominum, horumq; inflexionis, atq; eorum, quæ his conueniunt, acciduntq;, verborum pariter constructionis, aliarumq; orationis partium diligenter, vt initio fieri potuit, obseruatis scripsit, aliosq; scribere docuit. Vocabulorũ tamen nonnullorum literis quibusdã, aut syllabis immutatis, aut additis, aut detractis, vt ratio exigebat, quo sermo regulæ subderetur. Nam, ait Plato in Cratylo, variare licet nomina per syllabas, vt videantur homini rudi, quæ sunt eadem, esse diuersa. Sicq; artem recte loquendi, & scribendi instituit, & si non satis, vt dixi, expolitam. Nulla enim ars suis initijs absoluta est, quod probè Cicero libro secundo de Oratore scribit vbi ait: Neq; est omnino ars vlla, in qua omnia, quæ illa arte effici possunt, à doctore tradantur. Sed qui primarum, & certarũ reꝝ genera ipsa didicerũt, reliqua per se non incõmode prosequunt: Et in Bruto. Nihil est enim simul et inuentũ, & perfectũ.

Inde ſenſim ars ipſa ab auctoribus & expolita eſt, & aucta, habito verborũ delectu, ac nonnullis à ſe et eis lectis, & claris inuentis vocabulis. Latinitas enim, ſicut Atticitas, concedite mihi hoc vocabulo vti, vt alibi enodatius innuam, vocabula habet nata ſcilicet in latio, vt lego, ſcribo, dormio, panis, vinum, oleum, heri, ſemper, ſubito. Nam è medio, communiq; loquendi vſu, ſine delectu tamen, ſine cultu principio ſumebantur, & arti ſubycieban tur: nam poſtea ab alijs auctoribus, putidis, incultis, horridis, aſperis, duris, & ruſticis vocabulis reiectis, clara tantum, & lecta, & vrbana, & conſona, & quæ iudicio aurium ponderabantur, delecta ſunt, vt iam Horatius enodatè inſinuauit. quædam à latinæ linguæ auctoribus facta ſũt: et ea, ait Cicero, aut coniũctione, aut trãſlatione, aut ſimilitudine imitationeúe, aut nouitate. Hinc multa vocabula habet latinitas, quæ vulgo nota non ſunt. Contra multa vocabula habet latium vulgus, quæ vti abſona, dura, aſpera, ruſtica, & inculta latinitas reſpuit, quinetiam à Græcia vocabula quædam, atticitate tamen dona ta, mutuari, maluit, ꝙ latia abſona, dura, aſpera, & inculta donare latinitate. Quoniam autem oſtendẽdum nobis eſt cumulatius, ac planius latinè loqui per antonomaſiam artem eſſe grammaticam: dicendum eſt primo non incon gruè quid ſit ars, ac quomodo, & a quo conficitur. Ars enim eſt recta, ratio rerum faciendarum, conſtatq; ſcientia, pluribuſq; animi præceptionibus, atq; præceptis, & ad vtilem, ac neceſſarium vitæ finem, vſumq; tendit. Diciturq; ars, ait Seruius, ꝓ arctis præceptis cuncta conclu

dat, idest angustis, & breuibus. quæ, cum, vt latissimè patet, posterior sit natura, à qua proficiscitur, & eam quatenus potest, imitatur, nonnisi ab eo, qui scientiam habet earum rerum, quæ ad artem ipsam spectant, constitui potest. Nec homo quisquam eam scire valet, nisi qui illam ab ijs, qui eam tenent, ediscat. De qua Aristoteles Ethicorum libro sexto ait. Neq; enim eorum est ars, quæ ex necessitate vel sunt, vel fiunt, neq; eorum, quæ sunt secundum naturam. In se enim hæc principia habent. quia autem effectio, et actio diuersum quid est, nō actionis sed effectionis esse artem necesse est. Et Cicero libro tertio de Ora. Ars enim cum à natura profecta sit, nisi naturā moueat, ac delectet, nihil sanè egisse videatur. Et de fin. libro quarto. Ars est dux certior, q̄ natura. Natura enim artis exemplar est, Ars vero quia à natura principium ducit, eius est simulacrum. Quæ ars quomodo, & à quo conficitur Cicero luculenter docet qui libro primo de Oratore ait. Nihil est enim quod ad artem redigi possit, nisi ille prius, qui illam tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, vt ex ijs rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit. Et rursus. Menedemus artem negat esse vllam, nisi quæ cognitis, penitusq; perspectis, et in vnum exitū spectantibus, & nunquam fallentibus rebus contineatur. Et libro secundo. Ars earum rerum est, quæ sciuntur. Et academico secundo. Ars vero quæ potest esse, nisi quæ non ex vna, aut ex duabus, sed ex multis animi perceptionibus constat? Ibidem. Sic ego nunc tibi refero artem sine scientia esse non posse. Et quintilianus

libro secundo. Ars est, quæ disciplina percipi potest. Et rursus: Naturæ materia, ars doctrinæ est, hæc fingit, illa fingit. Nihil ars sine materia, materiæ etiã sine arte præcium est, ars summa, materia optima melior est. Et rursus. Omnia, quæ ars consumauerit, à natura initia sumpsere. Et rursum. Cleantes artem constare voluit ex præceptionibus cõsentientibus, et coexercitatis ad finem vtilem vitæ. Et Diomedes libro secundo. Ars est rei cuiuscunq; scientia, vsu, vel traditione, vel ratione percepta tendens ad vsum aliquem vitæ necessarium, ars dicta vel q; arcto præcepto singula diffiniat, & velut vias quasdam ostendit, vel à virtute, vnde veteres artem pro virtute appellauerũt. Artẽ autẽ, vt dixi, nemo homo scire potest, nisi eam ab eo, qui ipsam habet, labore, & tempore didicerit: quare Plato in Ione ait. Si quis artem aliquam assecutus non fuerit, dicta, vel facta huius artis bene discere nequaquam poterit. Et in Cratylo. Non quisq; faber lignarius est, aut ærarius, sed is qui habet artem. Et in Gorgia. Nõ appello artem quod, careat ratione. Et Cicero libro secundo de Oratore. Ars demonstrat tantum vbi quæras, atq; vbi sit illud, quod studeas inuenire. Reliqua, quæ sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore, complectar vno verbo, quo sæpe vsi sumus, diligentia, qua una omnes virtutes reliquæ continẽtur. Sed nec quidẽ vocabula, vt de arte grãmatica, de qua potissimè nobis negotium est, loquamur, à natura sunt imposita rebus, sed arte ab institutore. Plato enim in Cratylo ita fert. Nullæ quippe rei natura no-

men

men inest, sed lege, & vsu illorum, qui sic vocare cōsue uerūt. Et rursū. Lex nobis nomina statuit. Ergo legis latoris vtetur opere doctor quando nomine ipso vtetur. Conditor autem legis non quilibet est, sed qui arte præditus est. quare non cuiuscunq; viri est nomen imponere sed cuiusdam nominum auctoris. Apparet enim haud leue quiddam nominis impositionem esse, neq; id esse imperitorum, & quoruuis hominum opus, Et rursum: Doctrinæ enim gratia nomina ipsa dicuntur, & hanc artem esse dicimus, & ipsius artifices. Sed de etimologia, qua ratione nomina facta sint, & imposita rebus plura Varro, & Quintilianus. Proinde latinè vtiq; loqui vt nunc per antonomasiam dicitur, non possumus, neq; poterant quidem veteres sine arte grammatica, sine qua ne literæ quidē ipse coaptari possūt, vt Plato scribit. Et certe Socrates apud Platonē ipsum in Theæteto et se, et aliosvel literarū elemēta à præceptoribus didicisse fert. Vbi præter cætera, Theæteū alloquens ait. Nihil aliud discere studuisti, q̄ elemēta oculis, auribusq; discernere et singula secūdū se ipsa notare, ne illoꝝ positio vel cū, dicerent vel cū scriberētur, te turbaret. Et in Sophista quędam ex literis inuicē copulant, quædam minime. Vocaliū quidē literarū series per alias oēs tanq̄ vinculū quoddā protendit, sine quo nullæ inuicē literæ vinciri possūt. An intelligit vnusquisq; quæ literæ quibus congruant? vel arte opus est, vt rectè id fiat? Arte quidē grāmatica. Literaꝝ itaq; series sine arte grāmatica disponi minime potest. Nā vt paꝝ quid hac de re dicā, literaꝝ ū aliæ vocales, alię consonātes

dicuntur. Vocalium aliæ breues, aliæ longæ, aliæ commmunes. Et ex quatuor vocalibus quatuor diphthongi fiũt. Consonantium hæ semiuocales, hæ mutæ, hæ liquidæ, hæ duplices. hæc & alia eiusmodi ex arte fiunt vulgo omnino ignota. Mutæ cum liquidis ita copulantur, vt illæ sẽ per præcedant, istæ sequantur. M, per deriuationem trã sit in .n, sequente. c. d. q. t, & am præpositio sequentibus .c. f. q. m, mutatur in. n, quando componitur cum dictionibus incipientibus ab .a. e. i. u, interponitur. b, euphoniæ causa. N, litera ante .b. m. p, nunq̃ admittitur, sed mutaẽ in m. Item sæpe consonans præpositionis transit in consonantẽ compositi. affero enim ex ad & fero fit, & effero ab ex & fero. quæ huiusmodi in præteritis resumunt consonantem præpositionis, vt adtuli, extuli. Fit & alia literarum mutatio in compositis, vt ago subigo, sapiens insipiens, de qua re Cicero in oratore copipiose disserit. Rursum in arte grammatica, qua latinè loquimur nominum et verborum tam varia genera sunt, & horum positio, atq; inflexio varia tum in rectis, tum in obliquis. Tam eorũ compositio varia. Tam diuersum variumq; regimen verborum cum diuersa, similiue significatione. Et omnia ad certum numerum reddita sunt. Nominũ declinationes non plures nec pauciores quinq;. Et harum quælibet præfinitas, habet terminationes. Nã earum alia in primam vocalem tãtum, græcis, & hebræis nominibus exceptis, aliæ in certas consonantes, certis præeuntibus vocalibus, finiuntur. Et earum quædam nominibus neutraliter, quædam communiter declinatis ca

ret. Rursus dicitur tabula non tabules, contra trabs non trabula. Dicitur panis tertij ordinis, non panus secundi. hic panis, non hæc, aut hoc: hic liber, non librus. facies nō facia: cōtra figura, non figuries: hic visus visus quarti ordinis contra: hic nasus nasi secundi. Item non dicitur arbora vel arborus, non Cæsarus, non marmorum non pectum, sed arbor, Cæsar, marmor, pectus & alia id genus multa. quorum quædam in variatione superant suum rectū aliquibus in locis vna syllaba, in aliquibus duabus. Item dicimus hic finis vel hæc hic vulgus vel hoc, & alia talia multa: quæ incerta vocantur. Item columbus, & columba dicitur, at non corua, non aquilus, non passerus, & passera, sed passer, & alia multa, quæ promiscua dicuntur. Quædam nōnisi pluraliter inclinant: quædam contra singulariter tantū flectuntur. quædā rectis, alia obliquis carent. Multa variant genus. Nonnulla rectum plurifariam efferunt: pleraque in eadem voce diuersi sunt generis, & significationis. Quædam inflexionem variant: quedam plura, ac varia significant. quorum multa à grammaticis heteroclita appellantur. Item multa significatum, alia genus, alia inclinatum mutauerunt. In multis à sequente ætate, quæ latinam linguam, expoliuit, literæ immutatæ, et interpositæ sūt, vt valesius valerius an sas aras, im eum, homonis hominis. quæ omnia, & alia eiusmodi Varro in libris de Analogia, & Nonius Marcellus, Festus Pomp. quint. Macrobius, Gellius, aliique prosequuntur. Item præpositionum aliæ quarto casui, aliæ sexto, aliæ vtrique apponuntur; nullæ secundo vel tertio,

Rursus oia verba aut in quartā vocalē, aut in vnā conso nantē liquidā tantum, copulatiuo verbo excepto, latinitas terminans eoꝝ genera quinq;. cōiugationes vero quatuor esse voluit, ac in diuersos ordines distribuens alia recto, alia secūdo, alia tertio, alia quarto, alia quinto, alia horum pluribus casibus noīum accomodauit, quædam preteritis deficiūt, et ea ab alijs mutuanť. quædam in præterito geminant primā syllabā. quædā habent duplex præteritum, quædā duplex supinū, pleraq;, quæ olim cōmunem significatiōnē habebāt, transierūt in eam, quam deponentē vocāt. quædā tertiā tantum singularē personā habent, quæ impersonalia à grāmaticis appellātur, quædā multifariā ac variè cōstruuntur. Itemq; à quibusdam verbis noīa verbalia facta sunt in à, tio, vs, um, or, & vr, aut horū quædā, à quibusdā vero minime. A reperio enim repertoriū dicitur, sed ab inuenio inuentarium latinitas abiecit quo tamen latium vulgus, vt alijs eiusmodi multis vtitur. Contra à reperio repertio nō diciť, sed ab inuenio inuentio dicitur. A lego lectura non dicitur, quo tamen latium vulgus vtitur, sed à scribo scriptura dicitur, & ab vtroq; in tio, & in or nomina facta sunt, vt lectio, scriptio, lector, scriptor. Ab equo equito as dicitur, sed non ab asino, boue & huiusmodi verba facta sunt. A lapide lapido as deriuatur, & illud à vulgo desitum est, hoc in vsu est. Item à lapido as verbalia fiūt lapidatio, & lapidator, sed à saxo et verbalia, et verbum formare latinitas respuit, A seruo seruio is, nō seruo is dicitur, à famulo verò nō famulo is neq; famulo is, neq; las, sed famulor aris. A curro verba

le cursus vs dicit, sed nō cursitio Contra á dormio is dormitio dicit sed non dormitus vs. A poto as. potus vs, & potio verbalia latinitas formauit, sed à bibo neq; bibitus vs. neq; bibitio formare voluit, Et alia eiusmodi sexcēta. quare? quia ita latinæ linguæ auctoribus placuit, vt ea suo arbitratu formarent, & fingerent (ad suum enim arbitriū, ait Cicero, verba è medio iacentia sūpta formabā tur, & fingebant) vtq; claris, lectis, & cōsonis vterētur, absonis vero duris, & asperis minime. Sūt enim hæc hominū placita. Itaq; multa noīa, & verba ab auctoribus facta sūt. plura trāslata. pleraq; ex græcis sūpta, & latinitate donata. non nulla prisca desierūt. nā à sequente ætate, quæ latinā linguā expoliuit, exauctorata, repudiataq; sūt. Multa cōposita, quæ coniūcta Varro, et Cicero vocant. nā ex verbo vno, & præpositionibus, quas præuerbia idem Varro vocat, cōplura alia verba fiūt. Et nec omnes præpositiones oībus verbis coaptātur. nam quædā verba in cōpositione multas præpositiones admittunt, quedā paucas, alia nullas. quædā à primis statim positionibus tota mutantur, vt Iuppiter Iouis, fero tuli. In multis verbis ad hiatum duarum vocalium procurandum. d, litera interponitur, vt bidentes pro bientes redire pro reire, redamare pro reamare. quæ omnia ex arte esse nemo prudens non videt. Hac quidē locutione simplicius loqui non possumus. Paulus est doctus. iste liber est Pauli. Paulus amat Deum Fabius spoliauit te tuis vestimentis. doceo paulum grammaticam. declaro grammaticā Paulo. ille seruit deo. tu eges numis. o fabi veni huc. trans fi hac

discede hinc·audiui hoc à Paulo. Et *tamen sic loqui quin sit latinè ex arte negare non possunt·nisi fortasse nodum in sirpo quærere, atq; in sole caligare voluerint. Dicimus enim amo te, non tibi· contra seruio tibi, non te· doceo te grammaticam, non tibi·econtrario declaro tibi grāmaticam non te· egeo numis, non numos· sum doctior ioanne, non ioanni aut ioannem ·sum hic, non huc· contra veni huc, non hic, discedo hinc, non hac·contra, transeo hac, non hinc.Item dicimus amo te, non amor te· econtrario sequor te, non sequo· hospitor, non hospito.* Rur*sus hospitor te, & hospitor abs te· at non consolor abs te·seruio, nō seruior, ediuerso famulor, non famulo, & alia id genus.* Multa *in o, & in or, vt medico as, & medicor aris.*Rur*sum dicimus inter homines, non inter hominibus·contra ab hominibus, non ab homines.*Præ*terea quid opus erant pueris præceptores, si* Romani *latinè natura loquebantur? Si latinum sermonem à matribus, & nutricibus ediscebant & cum lacte hauriebant?* Fru*stra ibant ad scholas·frustra tot grammatici libri edebantur· frustra gramaticæ dabatur opera·frustra* Cicero *nos ad grāmaticos mittit. Qui vt rectè latinè loquamur iubet, vt verba & casibus, & temporibus, & genere, & numero cōseruemus, & solœcismum, et barbarismum fugiamus.* Fru*stra Quintilianus pueris pædagogos eruditos, & peritos præceptores præfici iubet· frustra præcipit, vt præceptores imprimis doceant pueros nomina, & verba declinare· qui ait.* N*omina declinare, & verba imprimis pueri sciant, neq; enim aliter peruenire ad intellectum*

ſequentium poſſũt. Item iubet, pueros verborum genera, qualitates, perſonas, & numeros cognoſcere. Immo vero quid in literis proprium, quid commune, quæ cum quibus cognatio, accentus rationẽ, & alia huiuſmodi. Sed de hac re plura Plato in Ciuili, et in Protagora, et in Charmide, vbi pueros in ſcholis à grammaticis erudiri dicit. Superuacanea, ait Quintilianus, omnino erat doctrina, ſi natura ſufficeret. qui libro primo inquit. Ingenia ſine doctore perito, ſtudio pertinaci ſcribendi, legendi, dicendi multa, & cõtinua exercitatione per ſe nihil poſſunt. qui in pueris orationem perfectam nec exigi nec ſperari poſſe ait. iubetq́; ipſos mollius ali. Cumq́; latinè loqui per antonomaſiam, ſit, quod oſtendemus, ex conſuetudine bonorum auctorum rectè loquentiũ, qui fieri poteſt, vt infãtes, & mulieres, & artifices, cæterumq́; vulgus eam latinè loquendi facilitatem ſine lectione, ſtudio, & præceptore haberent, quã ſæpe Cicero in multis oratoribus deſiderat, in nonnullis laudat? Itaq; illi duntaxat latinè ex arte loqui, & ſcribere poterant, qui artem ipſam latinamq; linguam à magiſtris, ideſt à grammaticis, & literatis, vigilantia, aſſiduitate, labore & diligentia didiciſſent. Grammatici enim, ait Seneca Epiſt. libro decimo ſexto, ſunt cuſtodes latini ſermonis. qui, ait Cicero in Bruto, tractant de recto loquendi. qui libro tertio de Oratore quomodo rectè latinè loqui poſſimus docet. vbi ait. Atq; vt latinè loquamur, videndum eſt, vt & verba efferamus ea, quæ nemo iure reprehendat, & ea ſic & caſibus, & temporibus, & genere & numero conſeruemus, vt ne quid pert

turbatũ, ac discrepans, aut præposterum fit. Et ad Heren. *libro quarto inquit.* Latinitas est, *quæ sermonem purum conseruat ab omni vitio remotum.* Vitia in *sermone, quo minus is latinus fit, duo possunt esse. soloecismus, & barbarismus.* Soloecismus *est cum verbis pluribus cõsequens verbum superiori non accomodatur* . Barbarismus *est cum verbum aliquod vitiosè effertur.* Hæc *qua ratione vitare possumus in arte grámatica dilucidè discemus: qui* Cicero, vt Quintilianus *libro primo tradit. artis grã maticæ diligentissimus fuit, & filio, vt in* Epistolis *apparet; rectè loquendi vsquequaq; asper quoq; exactor.* Ediscebant *igitur olim, vt modo ediscũt, pueri tũ græci, tũ* Romani, *latiniq́; regularem, literariã, grámaticamq́; linguam in scholis, gymnasijsq́; à præceptoribus labore, & tẽpore. non à mulierculis non ab imperito vulgo, vt vulgaris popularis, communis, & publicus sermo ediscitur.* Et *quidẽ, præter ea quæ hac de re dicta sũt,* Homerus, *ait* Herodotus, *à* Phæmio *literarij ludi magistro smyrnæ literas, & musicam iuuentuti tradente literas didicit, eoq́; vita functo* Homerus *ipse ludo literario præfectus fuit. & literarum græcarum formas, vt quidam volunt, correxit. & grammaticas obseruationes emendatiores; & orthographiæ rationem emendatiorem græcis dedit,* Romulus *item &* Remus *à præceptoribus, vt ostendemus literas didicere.* Liuius *quoq;, &* Ennius, *alijq́; doctissimi doctorũ, ait* Suetonius *in libro de* Illustribus *grãmaticis, & poetæ, &* Oratores, *aliq́; scriptores domi, & foris docuerunt.* Et *certe de scholis, ipsis ac gymna-*

ſijs,in quibus pueri à magiſtris literas ediſcebant item de magiſtris,& pædagogis, qui pueros literis erudiebant, apud auctores tũ græcos,tum latinos, & præcipuè apud Platonẽ in Protagora,Euthydemo, Charmyde, *et alibi vulgò, itẽ de dictatis, quæ pueris à magiſtris dabantur identidem mẽtio fit.Quæ res quia perſpicua eſt,illud tan tũ* Aſconij *hic adſcribere cõtentus ſũ qui in primã oratio nem in* Verrẽ *ſuper illud Ciceronis,magiſter ludi,ait*·Li*terarij ludi magiſter,omnẽ enim ſcholam ludum dixere* Romani, *et magiſtri ludi dicuntur qui primas literas do cent.*Ergo *libellum veterem vult intelligi attuliſſe* Cæci*lium,vnde magiſter dictata pueris prębere conſueuiſſet.* Et *quidem in vrbe vicatim, ac triuialiter ludi literarij erant & præſertim in foro vbi,ait* Liuius *libro tertio, in tabernis literarum ludi erant.* Quare quintilianus *magiſtros triuialis ſcientiæ ideſt grmãaticæ appellat eos qui in triuijs docent.* Nã quòd Cicero *in* Bruto *dicat.*Sed *magni intereſt quos quiſq; puer futurus orator audiat domi· quibus cum loquatur à puero,& quæ ibi ſequuntur mox, cum de vulgari* Romano *laticq; ſermone corrupto ſermo cinabimur, & hæc enodatè enucleabimus, &* Gracchos *non à matre,vt quidam inſcitè intelligunt, ſed à præceptoribus in ſcholis latinam linguam didiciſſe inſinuabimus.*Cato *item.ait* Val. Max. *libro octauo, penè iam ſe nex latinas literas didicit.*Et *fortaſſe ab* Ennio, *à quo,ait* Plinius *in libro de viris illuſtribus græcis literis inſtitutus fuit. et* Vtiq; *penè ſenex,vt* Cicero *in* Catone *ait·qui* Ennius,*ait* Cicero *in* Bruto,Q.*nobiliorem* M. *filiũ latinis*

literis, erudijt. Vel igitur vspiam locorum ludus linguarum patuit, vbi linguæ à pueris edifcerentur à præceptoribus, absq; tribus his Hebræa, græca, & latina regularibus, & ex arte institutis? Cæterum grammatica ars latinaq; lingua nō modo à principio, sed per multa quoq; temporum curricula, non solum rudis fuit, sed etiam inops. Vnde Quintilianus libro primo inquit. Grammatica tenuis à fonte assumptis poetarum, historiarumq; viribus pleno iam satis alueo fluit. Cum præter rationē rectè loquendi non parum, alioqui copiosam propè omnium maximarum artium scientiam amplexa sit. Et Suetonius in libro de Illustr. grammaticis. Grammaticæ initium mediocre extitit; inde sub Ennij mortē annis septuaginta postq̄ Liuius fabulam dedit, Crates Mallotes Aristarchi æqualis ab Attalo rege ad Senatum missus inter secundum & tertium bellum punicum Romæ grammaticam doctius, atq; eruditius, q̄ solebant nostri, vt homo græcus docuit. quod nostris exemplum fuit ad imitādum. nam grmmaticas obseruationes emendatiores ediderunt. Nimirum Ennius quidam Ennij poetæ posterior duos libros de literis, syllabisq;, item de metris scripsit, vt L. Cotta apud Suetonium ait. Grammaticæ antiquæ meminit Varro. qui libro tertio de lingua latina ait. Singulorū verborum origines expediam, quorum quatuor explicandi gradus. Primus in quo etiam populus venit, quis enim non videt vnde aurifodinæ, etiam viocurrus. Secundus à quo grammatica descendit antiqua. quæ ostendit quemadmodum quodq; poeta verbum confinxerit, quod declinarit. Hic

Pacuuius paruirudentum sibilus, hic incuruiceruicum pe cus, hic clamyde clupeat brachium. Vtiq; vetustissimi latini scriptores non modo ante Romam conditam, sed post etiam per multa temporũ spatia absq; ferè delectu vulgi verba, latij tamen in artem ipsam latinamq; linguam referebant. Vnde repræhenduntur ab Horatio etiam qui à Liuij tempore fuerunt, qui aliquanto diligentius, & cultius, q̃ sui maiores scripserunt, quorum scripta in posterorum memoriam venerũt, quòd indeligendis vocabulis parum casti, ac prudentes extiterint, Inde Romani paulatim græcos imitati, qui et ipsi grammaticam artem, græcamq; linguam paulatim, vt dixi emendarunt, eam simul cum literarum formis cultiorem, & venustiorem reddiderunt. Nam vrbana tantum, & ea selecta, clara, & speciosa deligebãt, repudiatis, ac supplosis putidis, sordidis, horridis vocabulis. In componendis vocabulis lautiores, & prudentiores veteribus extiterunt. Multa quoq; alia noua, & tamen optima, & speciosa vocabula græcos pariter æmulati excogitarunt. Pleraq; græca latinitate donarunt, quo latinam linguam redderent vberiorem. Quare Laberius poeta, præter cæteros, repræhenditur, vt Gellius libro decimo sexto tradit q; verba multa nouauit, necnõ obsoleta quoq;, & maculantia ex sordidiore vulgi vsu ponit. Et Fronto queritur apud eundem libro decimonono q; à Laberio ipso ignobilia nimis, & sordentia in vsum linguæ latinæ intromissa sint. Vnde Lauinius, vt idem Gellius libro vigesimo fert, librum exarauit de verbis sordidis, quibus latini scriptores abstinerent, et

Cæsar, præter cæteros, rationem adhibens corruptã loquendi consuetudinẽ emendauit. Verum quidam aestumant antequam ij, qui nunc grammatici dicuntur grammaticam in volumen redegissẽt, grammaticam ipsam non fuisse. A quibus ego peto, quid est grammatica? qui certe, si recte sapiunt, respondebunt, artem esse recte loquendi, & scribendi. quòd si ita est, iam qui primus recte, et regulariter scripsit, grammatice scripsit, idest ex arte. Ergo is qui grammatice, idest ex arte, scripsit, grãmaticam, artemq; ipsam excogitauit, ac repperit. & certe qui is fuerit ostendemus. Quis est enim tam rudis, iudicijq; inops, qui ignoret alicuius rei inuentorem priorem esse tempore ipsa re inuenta? Inde alij grammaticas obseruationes ex auctoribus eruentes, ac colligentes in volumen retulerunt, quo & ipsi, & alij, qui literis operam dant, commodius, facilius, ac citius artem ipsam docerent. Cæterum ne aliqua in re legentium animi ancipites reddantur, atq; ita facile halucinentur, id vnum mihi restat elucidandum. Varro enim in libris de analogia sæpe dicit verborum declinatus & voluntarios esse, & naturales. Qui & si per se clarus sit intelligenti (claris enim vtitur exemplis) tamen eius verba planius sunt enucleanda Siquidem vocabula imposita sunt rebus institutoris arbitratu ac volũtate quia vero latia vocabula artifices acceperũt, & paucis, arctisq; regulis se addixerunt hæc vocabula ianua, via, causa per primum ordinem natura inclinantur, nec alia egemus doctrina, vt ea declinemus. Scimus enim ipsa omnes casus in certas

syllabas terminare, ac. præter cæteros casus, datiuū & ablatiuum pluralem in is emittere. at id vocabulum mula partim natura, vt illa superiora, partim voluntate auctorum latinæ linguæ inclinatur. Nam præter naturam suam non suæ regulæ ordinem seruans datiuū, & ablatiuum pluralem in abus emitit: ita & de verbis dicendum est. Proinde hucusq; rationibus, & quidem certe multis probauimus latinè loqui per antonomasiam ex arte esse grammatica, & ob id apud Romanos, & Græcos, & Hebræos, olim & vulgarem linguam fuisse, & regularem, & hanc è vulgari, communi, & publica, vt ars à natura, profectam, atq; arte factam. quam pueri in scholis à præceptoribus labore, & tempore ediscebant. Nūc vero superest, vt id ipsū auctoritatibus quoq; probemus. Quintilianus enim ostendens non lege naturæ, sed obseruatione artem grāmaticam, latinamq; linguam institutam fuisse ita de laude consuetudinis loquendi aduersus analogiam libro primo scribit. Consuetudo vero est certissima loquendi magistra, vtendumq; plano sermone, vt numo, cui publica forma est, & paulopost. Sed meminerimus non per omnia duci analogiæ posse rationem; cum sibi ipsa plurimis, in locis repugnet. Non enim ratione, sed vsu sermo latinus constat. Et paulopost. Non enim cum primum fingerentur homines analogia demissa cœlo formam loquendi dedit, sed inuenta est postquam loquebantur, & notatum in sermone, quid quoquo modo caderet. Itaq; nō ratione nititur, sed exemplo: non lex est loquendi, sed obseruatio, vt ipsā analogiā

nulla res alia fecerit, quàm consuetudo. Inhærent tamen quidam molestissimi diligentiæ peruersitate, vt audaciter potius dicant, quàm audacter, licet omnes oratores aliud sequantur, & micauit non emicuit, & conire non coire. Et cum multa de hac re disseruisset ait. Quid de alijs dicā cum Senatus senatus senatui, an senatus senati senato faciat incertum sit. quare mihi non inuenustè dici videtur, aliud esse latinè, aliud gramaticè loqui. Latinè idest ex consuetudine bonorum auctorum, grammaticè idest ex arte, & analogia Et Varro Latinus sermo constat natura, analogia, consuetudine, auctoritate, sed magis consuetudine quàm analogia: quam Varro: ipse libro tertio diffiniens ait. Analogia est verborum similium declinatio similis non repugnante consuetudine communi. Charisius etiam apertissimè scribit latinum regularem sermonem è naturali, natiuo, populari, cõmuni, & publico latio sermone, ratione idest arte fuisse factum. Ait enim. Latinus sermo cum ipso homine ciuitatis suæ natus significandis, intelligendisq; quæ dicere præstitit. Postquã planè superuenientibus sæculis accepit artifices, & solertiæ nostræ obseruationibus captus est, paucis admodum partibus orationis normæ suæ dissentientibus, regendū se regulæ tradidit. Et illam loquendi licentiam seruituti orationis addixit, quæ ratio adeo cum ipsa loquela generata est vt hodie nihil de suo analogiæ inferat. Ea enim quæ ad explicādam elocutionē iam apud sensus nostros educta sunt, iam confusione vniuersitatis disseminauit, & vt disparibus paria coaluit, approbatur à defectionis regula are

gumento similium. Constat ergo latinus sermo natura, analogia, consuetudine, auctoritate. Natura verborum, quae immutabilis est, nec quicq̃ aut plus, aut minus, tradidit nobis, q̃ quod accepit. Nam si quis dicat scrimbo pro eo quod est scribo non analogiae virtute, sed naturae ipsius cõsuetudine cõuincitur. Analogia sermonis à natura proditi ordinatio est, nec aliter barbaram linguam, q̃ argentum à plumbo dissociat. Consuetudo non arte analogiae, sed iuribus paret. Ideo solum recepta, quòd multorum cõsensione conualuit, ita tamen vt illi ratio non accedat, sed indulgeat. Auctoritas in regula loquendi nouissima est, nam vbi omnia defecerint, sic ad illam quemadmodum ad vnum sacrum decurritur. Non enim quicquam aut rationis, aut naturae, aut consuetudinis habet, tantum opinione Oratorum recepta est, qui & ipsi cur id secuti essent, si fuissent interrogati, ne scire confiterentur. Ex his ergo omnibus consuetudo non enim vulgaris, nec sordida recipienda est, sed quae horridiorem rationem sono blãditur, ore depellit, interdum enim vtilibus iocũda gratiora sũt. Haec si diutius & consuetudo verba quaedam, vel nomina vsq; ad persuasionem proprietatis sufficient, si tamẽ eadem non asperè per analogiam enuncientur, alioqui rationem mallem, q̃ assiduitatem. Diomedes quoq; libro secundo haec eadem scribens vbi de consuetudine loquitur, haec adiecit. Consuetudo è medio loquendi vsu placita assumere consueuit. Item Augustinus soliloquiorum libro secundo ait. Grãmatica est vocis articulatae custos, & moderatrix disciplina cuius professionis neccessitate

cogitur humana lingua etiam figmenta colligere, quæ memoriæ, literisq; mandata sunt, non ea falsa faciens, de his veram quandã docens, asserensq; rationem. Et libro secundo de doctrina Christiana. Solœcismus qui dicitur: nihil aliud est q̃ cum verba nõ ea lege sibi coaptãtur, quæ coaptauerũt qui priores nobis nõ sine auctoritate aliqua locuti sunt. vtrũ enim inter hoĩes an inter hoĩbus dicatur ad rerũ nõ pertinet cognitionẽ. Barbarismus quid aliud est, nisi verbum non eis literis, vel sono enunciatum quo ab eis, qui latinè ante nos locuti sunt, enunciari, solet? Quid est ergo integritas locutionis, nisi latinæ consuetudinis obseruatio loquentium veterũ autoritate firmata? Et libro tertio. Nam neq; ipsa arte grammatica, qua discitur locutionis integritas, indigerent pueri, si eis inter homines, qui integrè loquerentur, crescere daretur, & viuere, nescientes quippe vlla nomina vitiorum, quicquid vitiorum ore loquentis audirent, sana sua consuetudine reprahenderent, & cauerent, sicut rusticos vrbani reprahendunt etiam qui literas nesciunt. Et libro secundo de ordine pluribus verbis, rationibusq; latinum literalẽ sermonem ratione idest arte ab hominibus institutum, ac quomodo paulatim grammatica ars, latinaq; lingua facta fuerit edisserat: vbi sic ait. Ergo iam tria genera sũt rerum, inquibus illud rationale apparet vnum est in factis ad aliquem finem relatis, alterum in * dicendo, tertium in delectando. Primum nos admonet nihil temerè facere, secundum rectè docere, vltimum beatè contemplari in moribus est illud superius, hæc autem duo in disciplinis

*aliàs discendo

sciplinis, de quibus nunc agimus. Namq; illud quod in nobis est rationale, id est quod ratione vtitur, & rationabilia vel facit, vel sequitur. quia naturali quodam vinculo in eorum societate astringebatur, cum quibus illi erat ratione ipsa communis, nec homini homo firmissime sociari posset, nisi colloquerentur, atq; ita sibi mentes suas, cogitationesq; quasi refunderent, vidit esse imponenda rebus vocabula, id est significantes quosdam sonos. vt quoniam sentire animos suos non poterant, ad eos sibi copulandos sensu quasi interprete vterentur. sed audiri absentium verba non poterant, ergo illa ratio peperit literas, notatis omnibus oris, ac linguæ sonis, atq; discretis. Nihil autem horum facere poterat similitudo rerum sine quodã definito termino infinitè patere videretur. Ergo vtilitas numerandi magna necessitate animaduersa est. quibus duabus repertis, nata est illa librariorũ, & calculorũ professio, velut quædam grammaticæ infantia, quam Varro literationem vocat. græcè autem quomodo appelletur, non satis in præsenti recolo. Progressa deinde ratio animaduertit eosdem oris sonos, quibus loqueremur, & quos literis iam signauerat alios esse, qui moderato variè hiatu, quasi enodati ac simplices faucibus sine vlla collisione defluerẽt. alios diuerso progressu oris, tenere tamen aliquem sonum, extremos autem qui nisi adiunctis sibi deinde primis erumpere non valerent. Itaq; literas hoc ordine, quo expositę sunt, vocales, semiuocales, & mutas nominauit, deinde syllabas notauit, deinde verba in octo genera formasq; digesta sunt.

Omniq; illorũ motus, integritas, iunctura peritè subtiliter distincta sunt. Inde iam numerorum, & dimensionis non immemor, adiecit animum in ipsa vocum, et syllabarum varias moras, atq; inde spatia temporis alia duplicia, alia simplicia esse comperit quibus longæ, bruesq; syllabæ tenderentur. Notauit etiam ista, et in regulas certas disposuit. Poterat iam perfecta esse grammatica, sed quia ipso nomine profiteri se literas clamat, vnde etiam latinè literatura dicitur, factum est, vt quicquid dignum memoria literis mandaretur, ad eam necessariò pertineret. Itaq; vnum quidẽ nomen, sed res infinita, multiplex, curarum plenior, q̃ iucunditatis, aut veritatis. Huic disciplinæ accessit historia non tam ipsis historicis q̃ grammaticis laboriosa. Et paulopost. illa igitur ratione perfecta, dispositaq; grãmatica. admonita est quærere, atq; attendere hanc ipsam vim, quæ peperit artem. Nam eam definiendo, distribuendo, colligendo non solum digesserat, atq; ordinauerat, verum ab omni etiam falsitatis irreptione defẽderet. Et infra. Recognouit ratio hinc esse illa semina, quæ in grãmatica cum syllabis diligenti considera tione versaret, pedes, & accẽtus vocauerat. Et quia in ipsis verbis breuitates, & longitudines syllabarum propè æquali multitudine sparsas in oratione attendere facilè fuit, tentauit pedes illos in ordines certos disponere, atq; coniungere, & in eo primo sensum ipsum secuta moderatos impressit articulos, quæ & Cæsa, & membra nominauit. Et ne longius pedum cursus prouolueretur, q̃ eius iudicium posset sustinere, modum statuit, vnde reuer

terentur, & ab eo ipso versum vocauit. Quòd autem non esset certo fine moderatum, sed tamen rationabiliter ordinatis pedibus curreret, rhythmi nomine notauit: qui latinè nihil aliud, q̃ numerus dici potuit. Sic ab illa poetæ geniti sunt, in quibus cum videret non solum sonorũ, sed etiam verborum, rerumq́; magna momenta, plurimũ eos honorauit, eisq́; tribuit quorum vellet rationabilium mendatiorum potestatem. Et quoniã de illa prima disciplina stirpem ducebant, iudices in eos grãmaticos esse permisit. Et Arnobius aduersus gentes libro primo. *Quænam est enim ratio naturalis, aut in mundi constitutionibus lex scripta, vt hic paries dicatur, & hæc sella? Cum neq̃ sexus habeant femininis generibus, masculinisq́; discretos, nec quisquã docere doctissimus possit ipsum hic, & hæc quid sint, aut cur ex his vnum sexum virilem designet, femininis generibus id, quod sequit̃, applicet. Humana ista sunt placita, & ad vsum sermonis faciendi nõ sanè omnibus necessaria. Nam & hæc paries, & hic sella dici sine vlla reprehẽsione potuisset, si ab initio sic dici placuisset, & à sequẽtibus sæculis communi esset sermocinatione seruatũ. Nonne aliud hæc vtria, aliud hos vtres dicimus? Cœlus, & cœlum?* Non item *filus, & filum?* Non item *crocus, & crocũ?* Nõ item *fretus, & fretũ?* Non item *hoc pane, & hic panis?* Hic *sanguis, & hoc sanguen? Candelabrum, & iugulum: ratione eadem iugulus, & candelaber? Nã si singula nomina non possunt genera plura habere q̃ singula neq̃ eadem possunt huius esse generis, & illius (genus enim transire genus*

in alterum non potest (tam peccat qui genera mascu-lina feminis pronunciat legibus, quàm ab eo peccatur, qui articulos masculinos femininis generibus anteponit. Et *libro secundo probat omnes disciplinas, artesq́; inge-nuas ab hominibus repertas esse, vt sũt quidem, ait enim* Philo*sophia* ,*Musica, cæteraq́; omnes artes, quibus vita est exculta, & expolita communis cum hominibus natæ non sunt. sed potius nuper, quinimmo penè pauloante agi tari, intelligi, celebrariq́; cœperunt*. Ibidem. *Neq; cum animis artes cœli ex penetralibus ceciderunt, sed exqui-sitæ, & natæ sunt in terris hic omnes. & cum processu temporum paulatim meditatione conflatæ.* Quòd *si ha-berent scientias animæ, quas genus habere diuinum, atq; immortale condignum est, ab initio homines cuncti om-nia scirent. nec sæculum esset vllum, quod artis esset igna rum alicuius, aut rerum experientia non paratum.* Nunc *vero inops vita, & multarum indigens rerum, fortuita cõspiciens quædã cõmodulè prouenire, dum imitatur, ex perit, et tentat, dũ labitur reformat, immutat, ex assidua reprehensione paruas sibi concinnauit scientiolas artiũ, & ad vnum exitum temporibus plurimis commendatas perduxit, quid enim aliud spondent vel insinuare posse, vel tradere, q̃ vt regulas nominum, differentiasq́; nosca mus? Et interualla vocum sonis, vt loquamur suadenter in litibus, vt terrarum continentias metiamur? Quæ si se-cum animæ diuinis ex regionibus attulissent, & esset ne-cessarium scire omnes ea. iamdudum in omni orbe tracta rent, neq; vllum hominum reperiatur genus, quod non*

esset his omnibus æqualiter, atq; vniformiter eruditum. Nunc vero in mundo quotusquisq; est musicus, dialecticus, & geometres, quotus orator, poeta, grammaticus? Ex quo apparet, vt sæpius dictum est, inuenta hæc esse locorum necessitate, ac temporum nec diuinitus eruditas aduolasse huc animas, quòd neq; omnes doctæ sint, neq; discere omnes possint, & sint in his plurimæ acuminis obtusioris, & tardi, & ad discendi studium plagarum coertione cogantur. Hæc eadem quæ Arnobius, & Augustinus scribunt, Theodoritus *in libris de* Prouidentia *dicit.* Et Greg. Naz. *ad Euagrium. Sermo masculinum nomen est, & anima femininum, cum neutrum aut masculinũ aut femininum sexũ, aut corporatã substantiam habeat. Caterũ nominatio rerum necessaria est, quæ ad cognitionẽ nos perducit intelligibiliũ.* Quare *satis quidem plane, atq; apertè ex quintiliani, Charisij, Augustini, et* Arnobij *verbis mihi videor ostendisse latinè loqui per antonomasiã nõ natura esse, sed ex arte grammatica, artemq; ipsã ratione excogitatrice ab ominibus inuentã, et paulatim emẽdatã, atq; expolitã, eamq; pueros nõ à mulierculis cũ lacte hausisse, neq; à vulgo didicisse, sed in scholis, ludisq; à præceptoribus, vt modo fit quod ipsum iam vel rationibus multis probauimus. Et quanquam satis superq; probatũ sit et rõnibus multis, et auctoritatibus latinẽ loqui per antonomasiã ex arte esse, nõ natura, tamẽ multis alijs auctoritatibus, alio tamẽ demonstrationis modo, cõ-dẽdũ est, apud* Romanos Latio*sq; latinũ apud* Græcos *græcũ sermonẽ, quo clarissimi auctores scripserũt, et liberales*

artes cæterasq́; disciplinas celebrarũt, regularem, & ex arte institutum esse, arctisq́; regulis, & præceptis subiectum, non naturalem, communem, quotidianum, popularẽ, et publicũ, sed è medio idest è naturali, natiuo, cõmuni, quotidiano, populari, & publico loquendi vsu institutum. Nec *tamen quibuscunq́; vulgi vocabulis desũptis, licet à principio, vt dixi, ferè omnibus, sed vrbanis, electis, & claris, literis, aut syllabis aliquibus eorũ immutatis, aut additis, aut detractis, vt iterũ ac sæpius diximus, quo arti subderentur nonnullis etiam alijs vocabulis à sapientibus repertis.* Ru*stica enim, & sordida, ignobilia, horrida, & putida latij vocabula ab his, qui latinam regularem, & literariam linguã expolierunt, abiecta sunt. ita & à græcis factum est.* Ait *enim* Plato *in* Cratylo. Hoc *imprimis circa nomina animaduertere decet, quod sæpe literas addimus, sæpe etiam demimus pro arbitrio, dum nominamus. & acuta sæpenumero transmutamus, & pro acuta syllaba media, grauem pronunciamus. in alijs quibusdam literas inserimus.* Ibidem Cratylus Socratem *alloquens ait.* Cum *hoc tu tractabas. & auferebas, & inferebas literas vbi maxime oportebat.* Sed *hac de re plura* Plato *ipse in ipso* Cratylo. Varro *quoque linguæ latinæ libro quarto ait.* Multa *enim verba literis cõmutatis sunt interpellata. neque omnis origo est nostræ linguæ è vernaculis verbis.* Ibidem *quoniam verborũ nouorum, & veterum discordia omnis in consuetudine communi, quot modis literarum commutatio sit facta, qui animaduerterit scrutari facilius origines patietur verborũ;*

reperiet enim esse commutata, vt superioribus libris ostẽdi literarũ enim ademptione, aut additione, & propter earum attractionem, aut commutationem · item syllabarum productionem. Et rursus· Falces à farre litera commutata. Et libro quinto· Crysippus, Antipater, Aristophanes, & Apolodorus verba ex verbis ita declinari scribunt, vt verba literas alia assument, alia mutent, alia commutent. Atq; in declinando verba multas ex se paris unt dispariles formas, vt lego legis legit, legam, lege. Ibidem· De obscuritate verborum pauca dicam, quæ tempora consignificant · ideo locus difficillimus est, q; neq; his ferè societas cum græca lingua · neq; vernacula ea, quorum memoriæ affuerit. Exempla ibi plura ponit, vt ostendat pleraq; vocabula à doctis fuisse reperta. Et libro sexto. Adagio ab abagio litera commutata. Et rei Rust. libro primo ostendit nomina latina ex arte fuisse facta literis immutatis. Et libro secundo analogiæ vocabula ex communi, & domestico vsu sumpta, & in latinam literalem linguam relata fuisse ostendens ait. Ideo equus dicitur, & equa· in vsu enim horum discrimine coruus, & corua, non quòd sine vsu id quod dissimilis natura. Itaq; quædã aliter olim, ac nunc· nam tum omnes mares, & feminæ dicebantur, quod non erat in eo vsu domestico, quo nunc contra propter domesticos vsus. Cicero quoq; libro secundo de natura deorũ. Neptunus à nãdo Paulum primis literis immutatis, Ceres tanq̃ geres à gerendis fructibus prima litera immutata. Sed de hoc, vt dixi, plura Plato, & Varro. Arist. in Rhe. ostendit

nonnulla vetusta vocabula iam à priscis tragœdis, & comœdis; & oratoribus in regularem sermonem relata desciuisse, quia desciuerant à communi & quotidiano sermone, vultq; vt è medio, communiq;, & vulgari loquendi vsu verba sumantur (sumebãtur enim etiam tum verba è medio & in regularem sermonem, quo ditaretur, referebantur) quo oratio perspicua, claraq; sit, sintq; propria & vrbana, at non prisca, & obsoleta, neq; peregrina. ait itaq; in tertio Rhe. *libro, qui tragœdias modo faciunt non vtuntur numeris, quibus priores illi vsi sunt, sed sicut ex tetrametis ad iambos transgressi sunt · quoniam id genus carminis omnium metrorum solutæ orationi simillimum est, pariter & à vocabulis recesserunt, quæ iam à sermone quotidiano abhorrebant: & nunc etiam qui exametra componunt reiecerunt ea verba, quibus veteres poetæ sua scripta exornabant.* Ibidem · *expolitio latet, siquis non è medio, communiq; loquendi vsu eligens componat.* Et rursus, *Iambus vero ipse oratio multorum est; iccirco ex omnibus metris iambica ex tempore maxime dicunt, sed opus est ampliorem orationem facere, ac vulgo alienam.* Et rursus. *Vrbana ducantur. & ea maxime, quæ probantur, quare quæcunq; ex verbis facilem nobis ingerunt disciplinam, hæc suauissima sunt. prisca igitur, atq; aliarum gentium non intelliguntur · propria ac nostratia scimus.* Et paulopost. *Necesse est tam dictionem, q̃ enthymemata ea vrbana esse, quę velocem nobis cognitionem faciunt · iccirco nec quæ vulgaria sunt ex enthyme*

matibus comprobantur · dicimus autem vulgaria, quæ cuilibet patent, nec quicquam habēt, quod in eis quærere oporteat, nec quæcunq; dicta ignorantur. passim in libris Reh. de vulgari, communiq; loquendi vsu mentionem fecit. Et in poetica ait. Omne nomen aut est proprium, aut ab alia lingua · proprium vero quod omnibus in vsu est · ab alia lingua idest peregrinum. Ostendit autem Aristotales regularem, & ex arte institutum sermonem nihilo alio à plebeio, vulgariq; sermone differre, nisi arte grammatica · vtq; oratio sit clara, verba sumenda esse è medio, habito delectu, verum verba nonnulla, ab auctoribus fieri, atq; innouari, quæ vulgo omnino aliena sint, iubet, vt interim oratio amplior sit, tum etiā ob accentus rationē, ait enim ibidem. Cæterum non minimam conferre videntur partem ad dictionis perspicuitatem, & ad vulgare excludendum, productiones, concisiones, nominum immutationes. Quandoquidem id quod præter vsum communem fit, quatenus à proprio diuersum est, illud minime plebeium efficit, qutenus vero cum vsu communi conuenit, claritatem · Ibidem · Ariphrades carpebat tragœdos, perinde ac in tragœdijs suis his verbis vterentur, quæ in communi vulgariq; sermone diceret nemo, prorsus ignorans, q; hæc omnia dum proprium vitant plebeiam dictionem effugiunt. Thophrastus homo Lesbius, atqui Athenis, vt Cicero in Bruto scribit, cum ætatem ageret. & atticè populari, communiq; lingua optimè loqueretur, ab anicula, ex qua percontatus est quanti aliquid venderet, appellatus fuit hospes, idest peregrinus et

externa, vt erat, quod atticè in quotidiano, vulgariq; loquendi vsu minus rectè, siue, vt Quintilianus libro octauo tradit, nimis affectatè loqueretur. Nec alio interrogata anus se illum hospitē esse deprehendisse respondit, quàm quod nimium atticè loqueretur. Nam certe in vulgari sermone melius, ac rectius loquuntur, & enunciant indigenæ, quàm peregrini. Ita et in grammatico sermone melius, et rectius Athenienses apud atticos, & apud latinos Romani vel mediocriter eruditi, quàm peregrini doctissimi enunciant, vt probè Cicero scribit. Licet semidocti quidā id, sicut & alia multa non intelligentes, dicunt aniculā illam Theophrastū reprehendisse quòd in regulari, grāmaticoq; sermone peccasset, atque si anicula illa eo doctior esset, quod Athenienses omnes, inquiūt, cuiusuis conditionis, ætatis, & sexus natura, vt de Romanis blaterant, regulari, grāmaticoq; sermone loquerentur. Nec se pudet id dicere, vt tantus philosophus disertissimus, & eloquentissimus ab anicula attica rudi, & rurestri in regulari sermone reprehenderetur. Quis est tam insulsus, et iudicij inops, vt credat Plautum, aut Virgilium, aut Ciceronem, aut Horatium, aut T. Liuium, aut quemuis alium latina lingua peritissimum, qualis erat Theophrastus græca, qui neque Romani neque latini patria fuere, in regulari, grāmaticoq; sermone ab anicula latia rudi, et rurestri reprehēdi potuisse? Rursus Aristoteles qui Alexandrum vel prima literarum elementa docuit, præter ea, quæ dicta sunt, passim ostendit apud græcos, sicut apud latinos fuisse cōspicuum est, duos loquendi modos fuisse alterum commu

nem, publicum, & quotidianum, alterum regularem, & ex arte institutum eruditorũ qui de natura Animalium libro secundo de lynce auicula loquens ait. Vnde torquil*la vulgo appellata est.* Et libro quarto. *Partes eorũ mollia nominauimus, exteriores pedes* vulgari *nomine, siue brachia.* Cicero, vt *ad latinos redeam, in partitionibus ait.* Verba *simplicia* partim *natiua sunt, partim reperta, natiua ea quæ significata sunt sensu. reperta, quæ ex his facta sunt, & nouata, aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut cõiunctione* verborũ. Et *de* Oratore *libro tertio. Inusitata sunt prisca ferè, ac vetusta, & ab vsu quotidiani sermonis iam diu intermissa.* Ibidem *quomodo latina lingua facta sit scribens inquit.* Non *enim sunt alia sermonis, alia contentionis* verba, *neq; ex alio genere ad vsum quotidianum, alio ad scenam,* pompamq; *sumuntur, sed ea nos cum iacentia sustulimus è* medio, *sicut mollissimam ceram ad nostrum* arbitrium *formamus, & fingimus.* et *in* Oratore. Itaq; *trãslata, aut facta, aut iuncta* verba *facile sunt cognita, quia sumebantur è consuetudine, quotidianoq; sermone.* Et *ad* Heren. *libro quarto.* V*sitata* verba *sunt, quæ versantur in sermone, & consuetudine quotidiana.* Et *in* Epistola *ad pætum.* Verumta*mẽ quid tibi ego videor in* Epistolis? Nonne *plebeio sermone agere tecum?* Et *paulopost.* Epistolas *vero* verbis *quotidianis texere solemus.* Et Offic. *secundo.* Quamob*rem vt* vulgus, *ita nos hoc loco loquamur, vt alios fortes, alios bonos, alios prudentes dicamus,* Popularibus *enim verbis est agendũ, et vsitatis, cum loquamur de opinione*

populari. Plebeio *sermone, inquit, & popularibus, quotidianisq; verbis, idest quibus plebs, vulgusq; in quotidiano familiariq; sermone vtitur sine tamen artis grãmaticæ ratione, & vsitatis, inquit, idest quibus boni latinæ linguæ auctores vsi sunt.* Nam *vbiq; & ipse, & Varro, & quintilianus, alijq; communem, vt ostendi, atq; ostendam planius, & vberius, bonorum auctorum consuetudinem laudant, vtq; eam sequamur iubent. &* Defin. *libro secundo de vulgari ipso latio* Romancq; *sermone loquens ait. Omnes vrbani, rustici, omnes, inquam, qui latinè loquuntur, voluptatem vocant.* Latinè *idest vulgarè more latini populi, quod ipsum planius ostendam, licet hic sic etiam intelligi possit. vt non solum vrbani, ac rustici in quotidiano, publicoq; sermone, sed etiam literati, qui latinè consuetudine bonorum auctorum loquuntur, voluptatem vocant.* Et Phil. *quinta* Marcum Antonium *obiurgat q̃ græcum quendam hominem iudicem* Romæ *legisset, qui præter cætera latinè vulgarè loqui nesciebat.* Antonius, *inquit,* Cydam Cretensem *portenta insulæ hominem audacissimum, & perditissimum legit. sed fac ita non esse, num latinè scit, num ex iudicum genere & forma? Num leges nostras, moresq; nouit, num deniq; homines?* Dionysius Halicarnasseus *qui Octauiani temporibus floruit, libro primo vtrumq; latinum,* Romanumq; *sermonem, & vulgarem, quotidianum, communemq; omnibus latijs hominibus, & literarium, grammticumq; se didicisse his verbis liquidò pandit.* Ego in Italiam *traijciens cum dissolutum*

est sub Cæsare Augusto bellum ciuile centesima & octin gentesima septima Olympiade, ac deinde tempus illud omne, quod est anni, duo & viginti vsq; ad hoc tempus Romæ commoratus sermonem vernaculum edifcens, & literarum indigenarum scientiam. Sed de communi ipso vulgari, & publico Romano laticq; sermone planius libro eodem vbi ipsum commendans miratur quòd Romanorum prudentia, atq; constantia à tanta barbarorum colluuie, qui dispari lingua vrbem ingressi erant, corruptus non fuerit, cum Græcus communis, vulgaris, & publicus sermo à barbaris corruptus sit. Ait itaq; Hæ permixtiones barbarorum, per quas ciuitas multa priscorum studiorum dedidicit, posterioribus extitere. Ac mirum quidem hoc multis esse videretur, verisimilia considerantibus, quonam pacto non tota versa est in barbarã, susceptis Opicis, Marsisq;, & Sabinis, & Tuscis, & Brutijs, Vmbrorumq;, & Ligurum, & Hispanorum, & Gallorum tam multis millibus, alysq;, præter has, gentibus. partim ex Italia, partim ex alys multis locis aduenientibus infinitis; nec vnius linguæ cum eis, nec victus vnius, Quorum voces, mores, vitamq; non vniformem aut finitimam, perturbatam ex tanta dissonantia, consentaneum fuit multa ex antiquo ornatu vrbis immutasse, quandoquidem aly quoq; plures habitantes in barbaris Græcum omne breui tempore dedidicere; ita vt nec græcam vocem amplius resonent, neque studys iam vtantur græcorum, neque deos eosdem putent, neq; clementes leges, quo maximè differũt à barbaris græca ingenia, neq; aliud

instrumenti habeant conueniens cum græcis, *Sufficient autem ad hæc probanda coniecturæ de Acheis his*, *qui circa Pontum habitant*, *qui ex optimo græcorum genere*, *barbarorũ nunc sunt omnium rusticissimi*. Romani *enim vocem neq; meram barbaram absciſſe*, *nec græcam reso nant*, *mixtam vero quandam ex ambabus*, *cuius maior pars est* Æolis, *habundantes hoc solo ex multorum per mixtione*, *vt non sonis rectis omnibus eloquantur*. Et *Liuius rerum* Romanarum *libro quadragesimo de eo ipso vulgari*, *quotidiano*, *cõmuniq; latino sermone ait* (*vterq; enim sermo*, *vt iterum ac sæpius dixi*, & *vulgaris* & *regularis à* Latio *latinus dicit*, *vtraq; latina lingua*, *vtroq; modo latinè loqui*, *sed hic per antonomasiã*) *Cumanis petentibus permiſſum*, *vt publicè latinè loquerentur*, & *præconibus latinè vendendi ius eſſet*. *Liquet sanè q; de latina*, *Laty inquam*, *vulgari*, *quotidiana*, *communi*, *et publica lingua Liuius loquitur*. *Cumani enim à Senatu petiere vt publicè latinè loquerentur*, *id est vt omnes vulgari latia lingua loquerentur*, *cum antea obscœ* & *barbarè sicut* & *alij Campaniæ populi loquerentur*. *Non enim eis opus erat licentiã petere à Senatu*, *si qui eorũ latinè ex arte grammatica aut loqui*, *aut scribere voluiſſent*. *Cum innumeri ferè alij ante tempus illud non Itali modo*, *sed prouinciales etiam latinè ex arte absq; aliqua licentia scripserint*. *Neque omnes Cumani omnis sexus*, *ætatis*, & *conditionis latinè ex arte grammatica omni tempore loqui poterant*, *cum neq;* Romani *ipsi*, *Latiniq; populi ita loquerentur*. *Latiam autem linguam regularẽ*

& ex arte grammatica institutā pueri Cumani in scholis à magistris, sicut et alij, discebant. Et certe præter multa, quæ de hac re dicta sūt, Plinius libro nono inquit: Puerum Augusto principe ex Baiano Puteolos itantem in ludum literarum delphinus dilexit, Item latinè vendendi ius, hoc est, latio iure, ac more. Rursum Liuius ipse de latina ipsa populari, communi & publica lingua libro primo inquit. Terror ad hostes transijt: & audiuerant clara voce dictum, & magna pars Fidenatum, vt qui coloni additi Romanis essent, latinè sciebant. Et libro vigesimo sexto. Immissis ab Annibale qui (habuit aliquot) gnari latinæ linguæ iuberent consulum verbis, quoniam amissa castra essent, pro se quenq; militum in proximos montes fugere. Et libro vigesimoseptimo. Annibal quarta vigilia fermè ad vrbem accessit: primi agminis erant perfugæ Romanorum, et arma Romana habebant. ij, vbi ad portā est ventū, latinè oēs loquētes excitāt vigiles, apeririq; portā iubēt, consulē adesse, latinè vtiq; vulgarè. Quis autē primus latinè ex arte grāmatica ex tempore locutus sit, Suetonius in libro de illustribus grāmaticis insinuat, vbi ait: Q. Cæcilius Epeirota Tusculanus primus dicitur latinè ex tempore disputasse. Qui tamen latinā linguam à magistris in scholis, vt alij, didicerat. nam & Tusculi, sicut & in alijs Latij, Italiæq; vrbibus ludi literarum latinarum erant: Liuius enim libro sexto scribit Tusculi ludos literarum fuisse Camilli ætate. Rursum Augustus, ait Suetonius, spectauit studiosissimè pugiles & maxime latinos: non vtiq; latina literaria lingua eruditos, sed

è Latio homines aut ex Italia, vt alibi ostendi, atq; inter varia munuscula, togas insuper ac pallia distribuit, lege proposita, vt Romani græco, Græci Romano habitu, & sermone vterentur. sermone græco, inquit, & Romano vulgari quidem, & quotidiano. Item Velleius Paterculus libro vltimo qui Tiberij principatu viguit, scribit Pannonios Augusti tempore & vulgari, & regulari latino Romanoq; sermone vsos, ait enim. In omnibus Pannonijs non disciplinæ tantummodo, sed linguæ quoq; notitia Romanæ, plerisq; etiam literarum vsus erat. Nã Pannoniorum plurimi non modo latinam regularem, literariamq; linguam, latinasq; disciplinas, sed vulgarem latiam Romanamq; linguam ediscebant, nonnulli vero eorum latinas quoq; literarum characteribus vtebantur. quoniam autem populares grammatici vulgares veteres libros desiderant, eos ipsis ostẽdamus, quos imperiti de rebus inanibus componebãt, vt nunc ipsi faciunt, & in quibus domesticæ res, ac negotia continebãtur. Gellius enim libro duodecimo inquit. In libris autem vulgarijs æditui scriptũ est. Et Spartianus in M. Aurelio Antonino cognomẽto Philosopho. Ac talẽ fabellam vulgari sermone contexunt. Rursus Fortunatianus Rhe. libro tertio. vulgaria verba sunt. quibus vtitur ~~vitur~~ vulgus, idest indocti sine ratione, atq; lectione. quintilianus libro primo monet pueros ne ea trita vocabula scribant, quæ arte grammatica excepta, cõmunia cum vulgo sunt, vt panis, vinum, & alia id genus, sed quæ vulgo sunt ignota, ac secretiora. Et libro quarto scribit. Milonem hominẽ eloquentissimum

quentiſſimum cum orationem latinam literariam, vt moris erat, ad iudicem haberet, quia imparatus erat, verbis etiam vulgaribus, & quotidianis, quod non licebat, arte tamen oratoria occulta proſecutum fuiſſe, quæ ſi aliter dicta eſſent ſtrepitu & iudicem, & patronũ excitaſſet. eius verba hæc ſunt Milo non ſolum rebus ipſis vir eloquentiſſimus, quibus moras, & lentum profeſſionis ordinem ducit, ſed etiam verbis vulgaribus, & quotidianis, & arte occulta conſecutus eſt, quæ ſi aliter dicta eſſent ſtrepitu ipſum iudicem, & deinde patronum excitaſſet. Et libro octauo. Eſt in vulgaribus quoq; verbis emphaſis, viruta eſſe oportet. & homo eſt ille. & viuendum eſt; adeo ſimilis eſt arti plerunq; natura. Ibidem. quod genus non orationes modo ornat, ſed etiam quotidiani ſermonis vſus recipit. Et rurſus. quibus ſimilia poſſunt cuiq; etiam quotidiano ſermone ſuccurrere. Et rurſus latinum, & græcum ſermonem arte factum ab auctoribus ſcribit, ait quidem. Fictio nominis græcis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur. Et ſũt plurima ita poſita ab ijs, qui ſermonem primi fecerunt, aptantes affectibus vocem. Nam mugitus, & ſibilus, & murmur inde venerunt. Et rurſus. Neceſſitate ruſtici dicunt gemma in vitibus. quid enim dicerent aliud? Et ſitire ſegetes, & fructus laborare. Id ipſum Cicero in Oratore ſcribit. Et libro vndecimo. Compoſitio eſt maxime à vulgari vſu loquendi remota. Vulgus enim compoſitione non vtitur. Et libro duodecimo. Adhuc quidam nullam eſſe naturalem putant eloquentiam. Niſi quæ ſit quotidiano

sermoni simillima. quo cum amicis, liberis, seruis loquimur, contenti promere animi voluntatem, nihilq; accersiti, & elaborati requirentes. Et paulopost. *Nam mihi aliam quandam videtur habere naturam sermo vulgaris, aliam viri ac eloquentis oratio*. Suetonius in libro de illustribus grãmaticis M. *Valerius Probus grãmaticus cubans inter longos, ac vulgares sermones quædam legere solebat*. Seneca in libro de consolatione. *Verebar, ne hoc non consolatio sed exulceratio quid, quodq; nouis verbis, ne ex vulgari, & quotidiana allocutione opus est homini ad consulandum suos*. Gellius libro decimo. *quod autem ait Q. Claudius à pinnis hostes defendebant non ex vulgari cosuetudine, sed admodũ propriè, et latinè*. Et libro duodecimo. *In veteribus scriptis pleraq; vocabula vidẽtur. quæ nũc in sermone vulgi vnam, certamq; rem demonstrant fuisse in communi*. Et libro quartodecimo Varronis verba dilucidans ait. *qui verba latina fecerunt, quiq; ijs probè vsi sũt, humanitatem nõ id esse voluerũt, quod vulgus existimat*. Et libro sextodecimo. *Laberius in Mimo nõ eodem modo quo vulgus, sed probè latineq; vsus est græco vocabulo emplastrũ neutro genere, non feminino, vt illi nouitij semidocti*. Statius Siluarũ libro quinto in Epigedio in patrem ei gratias agit, quod se latinas literas docuisset, id quod decus esse ait, cum per eas gloriam immortalem sit assecutus, quas si ignorasset, sẽper vulgarè loqui fuisset coactus, vbi ait.

Decus hoc quodcumq; lyræ primusq; dedisti
Non vulgare loqui, & famam sperare sepulchro.

Charisius libro secũdo. In vulgari consuetudine fit inter ter. Augustinus in libro de beata vita. Sed propter vulgarem loquendi consuetudinẽ, qua frugalitas quasi parsimonia dici potest. Et libro tertio de doctrina Christiana excusat se ꝙ vulgari vocabulo, vt ipse putabat, et non latino vtatur. Ait quidem. In græco nõ stoma, sed osteon positum est. Vnde plerumq; loquendi consuetudo vulgaris vtilior est significandis rebus, q̃ integritas literata. Mallem quippe cum barbarismo dici, nõ est absconditum à te ossu n meum, q̃ ut ideo esset minus apertũ, quia magis latinum. Licet ossum latinum sit, quo vsus est Pacuuius. Varro rei Rust. libro primo. Rustici etiam nunc quoq; viam veham appellant propter vecturas, & vellam non villam, quo vehunt, & vnde vehunt. Columella identidem vulgi, ac rusticorum verbis declarandi gratia vtitur. qui libro secundo ait. Liras autem rustici vocant easdem porcas. Et rursus. Succus herbæ, quam rustici sedum appellãt. & libro tertio, Itaq; custodiemus, vt à prædictis locis, quos humerosos rustici vacant, semina legamus. Et rursus. Sagittam rustici vocant nouissimam partem surculi. Et libro quarto. Palmes, quem focaneum rustici appellant. Et rursus. Quod genus iugi canterium vocant rustici. Itẽ. Hoc potest intercidi, & disrarari, quod opus rustici castrationem vocant. Et libro sexto, Radix, quam græci silphium vocãt, vulgus autem nostra consuetudine laserpitium appellat. Et libro septimo: Exiguum alimentum emulgendum est, quod pastores colostram vocant. Et rursus. Degeneris arundinis, quam vulgus cano

Psal. 138

nam vocat. Et libro octauo de gallinis loquẽs. Genus mec dicũ, quod imperito vulgo litera mutata melicum appellatur. Et rursus. Genus accipitris tinunculũ vocant rustici Et libro vndecimo. Puluerationem faciunt, quam vocant rustici occacionẽ. Et rursus. Siliquam, quod rustici fœnũ græcũ vocant. Et rursus. Satiui asparagi, quam corudam rustici vocant. Et libro duodecimo. Tenuia admodum lina, quæ gremia rustici appellãt. Et Messalla coruinus Troia namq; vulgo Italicè, latineq; scropha vel sus dicitur. Et Palladius libro secũdo. Ablaqueandæ sunt vites, quod Itali excodicare appellant. Appianus bellorum ciuiliũ libro quinto. Hostes nec facile inter se dignosci quibãt, vtrinq; eisdem armis, & eadem voce Itala vtentes. Plinius subinde vulgi verbis vtitur. qui libro vigesimoquarto ait. Labrusca, hanc potius crediderim esse, quã vulgus vuam tamianam appellat. & libro trigesimo primo. Pódus magnum glebis, quas micas vulgus appellat. Et libro trigesimoquarto. Ferri materia vires à magnete lapide accipit, retinetq; longo tempore, aliud apprehendens ferrum vt anulorum catena spectatur interdum, quod imperitum vulgus appellat ferrum viuum. Appuleius libro quarto de quibusdã arboribus loquens. Porrectos caliculos, quos rurestri vocabulo vulgus indoctum rosas aureas appellat. Suetonius in octauiano. vtebatur betizare pro languere, quod vulgò lachinizare dicitur. Ælius Lampridius in Alex. Seuero. In matrem mammeam vnicè pius fuit, ita vt Romæ in palatio faceret dietas nominis mãmeæ, quas imperitum vulgus hodie ad mammam vocat. Sex Pompe

ius vulgus sæuam & in bonam, & in malam rem vocat. Et rursus Pascula appellāt græci, quas vulgus pernas vocat. Gellius libro decimosexto. Laberius in Restione Calabiriunculos vocat, quos vulgus calaburriones vocat. Ibidem. Audiui quosdam haudquaquam indoctos viros opinari vestibulum verbum esse partem domus priorem, quā vulgus atriū vocat. Et libro vigesimo. Tubicines, quos siniciſtas vulgus dicit. Amianus Marcellinus libro trigesimo primo. Scorpio genus tormenti, quē onagrum sermo vulgaris appellat. Eiusmodi passim etiā in libris digestorū sunt. Vlpianus enim ait. Institores, quos vulgo circitores appellamus. Et alibi. Non tamen si incantauit, vel imprecatus est, & vt vulgari verbo in posterū vtar, si exorcizauit. Pomponius. Licet enim accidat & uiuis, attamē vulgari sermone etiam mors significat. Iulianus. Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgo inuentariū appellatur. Caius vbi oēs affinitatis gradus declarauit ait. Sed vulgus ferè oēs istos cōmuni appellatione consobrinos vocat. Charisius libro primo. Scriptulū, quod nunc vulgus fine. t, dicit, Varro in Plautonico dixit. Probus in Catho. Nomina terminata his syllabis fes fis fos non reperi. fes inueniuntur, sed vulgaria. Ibidem. Vappo animal est volans, quod vulgus animas vocant. Lactantius in libro de vera sapientia. Titionē enim vulgus appellat extractū foco torrē semiustū extinctū. Licet titio latinū sit, quo vsus est Celsus, sed Lactātius illud latinū esse nō putauit, sicut neq; Augustinus ossū. Hieronymus ad Damasū. Vermiculus, quē vulgus millepedū vocat, tanto pedū agmine scatet

Et ad Fabiolam de veste sacerdotali. Volo pro legentis facilitate abuti sermone vulgato, solent militantes habere lineas, quas camisias vocāt. Et in Apolog. aduersus Rufinū libro secūdo. Nisi fortè parētes militari, vulgariq́; sermone cognatos, & affines nominat: Et in psalmos. Psalterium sursum percutitur, quod verbo vulgari polyphtongum dicitur. Augustinus libro quartodecimo de ciuitate Dei. Campestria latinum quidem verbum est, sed ex eo dictum, ꝙ iuuenes, qui nudi exercebātur in campo, pudēda operiebant, vnde qui ita succincti sunt, campestratos vulgus appellat. Procopius, qui Gothorum tempore fuit, & eorum gesta scripsit, libro secundo belli Persici ait. Theodorus responsionibus Imperatorijs præerat, referendarium latini hoc munus appellant. Et libro quarto, Signum Romani bandum vocāt. En igitur quot auctores, qui iam ante Gothorum in vrbem impressionē fuere, de vulgari latio, Romanoq́; sermone meminerunt. quotq́; latijs Romanisq́; vulgaribus vocabulis necessitate ducti suis in scriptis vtuntur. Non enim dicendum est, vt quidam fortè putarent, cum cæteri Itali, & prouinciales latini scriptores de vulgari sermone mentionem faciunt, de alio vulgari sermone eos intellexisse, nisi de latio, Romanoq́;. Liquet enim ꝙ non nisi Latini, Græci, & Hebræi duos loquendi modos, vulgarem, & regularē habent. Item cum dicunt, vulgus vel rustici sic id vel illud appellant, de latinis, latij inquam, Romanisq́; hominibus intelligunt. Nam de prouincialibus sic scribunt. Galli id, vel illud sic appellant. Hispani sic appellant, &

Ita de singulis.ita et de cæteris Italiæ populis, vt Plinius Veneti sic appellant, Tusci sic appellant. Et certe Columella libro sexto caput facit de agricultura prouincialium vinearum, cũ alibi de agricultura Italicarum scribat. Neq; etiam dicendum est, vt quidam semidocti opinantur, latium, Romanumq; vulgus in quotidiano, cõmuniq; sermone res ex arte grammatica nominasse ob id quia auctores supra memorati, alijq;, qui aliter vulgus ipsum, aliter eruditos, & literatos homines locutos fuisse ostendunt suis in scriptis vulgi vocabula ex arte protulere. sed quia auctores ipsi latinè ex arte grammatica scripserũt, necesse habuerunt ea ipsa vulgi vocabula in artem ipsã redigere. quemadmodum barbara quædam vocabula & à latinis, & à græcis auctoribus in artem ipsam grãmaticam redacta sunt. Tale est illud Apuleij libro nono de Asino aureo perperàm à quibusdam intellectum. qui militem latini sermonis non nescium percontantẽ facit hortulanum quorsum vacuum duceret asinum, & hortulanum latini sermonis ignarum iam à milite vite percussũ se quid ille dixerit non intellexisse respondentem. & iterum militem hortulanum ipsum percontantem vbi duceret asinum, hortulanum intellexisse. Vnde Apuleius militis stultitiam notat, qui rusticum hominem latinè allocutus est, neq; miles secundò vbi, sed vui vulgari sermone hortulanum percontatus est Nam si vbi intellexisset hortulanus, intellexisset vtiq; & quorsum. Vtrunq; enim latinum ex arte grammatica est. licet aliud significet vbi, aliud quorsum. Hortulanus autem se latini sermonis omnino

expertem confessus est. Rursum si miles secundò hortulanum latinè per antonomasiã percontatus esset, non solœcismũ fecisset, sed planiori vocabulo vsus esset, vt quo ubi enim, vt dixi, latinum verbum est: atque ita, vt nullum aliud in ea significatione latinitas habeat. Neque omnis ille sermo, qui inter militem latinam linguam callentem, & rusticum latinæ linguæ prorsus expertem factus est, latinè ex arte grammatica habitus est, sed vulgarè, cum rusticus, vt relatũ est, se latinæ linguæ omnino ignarum esse confessus sit. Vt omnem illum sermonem, si latinus esset, intellexisset rusticus, qui hoc vnum verbum quorsum non intellexit? Vulgarè igitur miles secundò rusticum allocutus est: Sermoq; ille omnis inter eos vulgaris fuit. Cæterum quia Apuleius latinè scripsit necessum habuit verbũ illud vulgare ex arte grãmatica efferre, vt & ipse in omnibus scriptis suis, & alij fecerunt (licet hæc, vt alia, ficta sint ab eo) scribebat enim peritis, et ingenio, iudicioq; claris. Ego vero interdũ vulgaribus verbis exempli gratia vtor sine ratione, sine arte grãmatica, quia nouitijs dorsorculis, plebeijs grãmaticis, scepticis philosophis, ingenio, iudicioq; carentibus scribo, qui artem, & naturam discernere nesciunt. Nam neque tot homines omnis sexus, ætatis, & conditionis dispari lingua, vtputà diuersarum regionum, qui à quolibet auctore vel historico, vel oratore, vel poeta, quocunque metri genere scripserit, siue græco siue latino suis inscriptis loquentes introducuntur ea ipsa lingua, ea elegantia, & eloquentia, ac stylo (alij enim alijs eloquentius & elegantius scripsere) aut eo me

tri genere, qui varius & multiplex est, locuti sunt, quo auctor ipse scripsit, licet poetæ ficta, non vera scribant. Neq; Horatij villicus latinas literas, metricaq; rationem sciebat quia ad eum Horatius ipse epistolam metrica ratione scribit, verius scribere fingit. Neq; cum Virgilius & Theocritus in Bucolicis rusticos alternis versibus certare dicunt, rustici ipsi latinis, græcisq; versibus ex arte grammatica, metricaq; ratione editis certabant, sed hæc, vt dixi, ficta sunt à poetis, rustici autem vulgares cantilenas cantitare solent. Neq; item cũ Horatius in epistolis libro secundo rusticos versibus alternis cantitasse solitos festis diebus religionis gratia dicit, versus illos rustici composuerant, sed literati, et fortasse sacerdotes, vt Numa egit, qui versus quosdam edidit, quos sacerdotes canerent, aut certe rustici ipsi laudes quasdam vulgari sermone canebant cantilenarum instar editas. Vnde Porphirio in secundũ librũ Epist. Horatij ita scribit. Dicit vsq; adeo carmina ubiq; grata esse, ut etiam rustici ueteres carminibus se delectarẽt, cum diuinis rebus operam darent. Neq; cũ apud Lacedemonios, à quibus primum, ait Probus bucolicum carmen originem habuit, uel apud Siculos, pastores ex agris contracti carmina rustica Dianæ canerent, carmina illa rustici ipsi componebant, sed sacerdotes, aut alij eruditi uiri, quæ rustici memoriter ediscebant. Et certe Festus Salios carmina axamenta in uniuersos homines composuisse dicit. Quare in confesso profectò est, ut iam multis rationibus, pluribusq; auctoritatibus, quàm maxime fieri potuit, probauimus, tum apud græcos,

tum apud latinos, atque etiam apud Heberæos, licet de Hebræa lingua alibi planius atque vberius dicetur, duplicem loquendi modum olim, ficut & modo vterque est, extitisse, alterum vulgarem, popularem, familiarem. quotidianum cōmunem, & publicum, quo omnis sexus, ætatis, & conditionis homines omni tempore sine lectione, & ratione in loquēdo, domesticisque rebus scribendis vtebãtur, vt nũc fit. regularem alterum literarium, & ex arte grammatica institutũ, quo literati, & eruditi homines liberales, artes, cæterasque ingenuas disciplinas, orationes, epistolas, resque alias graues, & illustres scribebant, vt modo fit, & hunc, vt sæpissime dictum est, è medio idest è natiuo vernaculo, naturali, quotidiano, familiari, communi, & publi blico arte factum, habito verborum delectu, adinuẽtisque à latinæ græcæque linguæ auctoribus quamplurimis alijs vocabulis, & elocutionibus, quæ vulgo omnino essẽt ignota. Cæterum inoleuit consuetudo, vsusque inualuit, & quidem iure optimo, vel à principio illo, vt latinus literarius, grãmaticusque sermo (vterque enim, vt relatum est, et vulgaris, & literarius à latio latinus dicitur, latina lingua vtraque, latinè loqui vtroque modo) quam vulgari longe lateque nobilior esset, latini sermonis, latinæque linguæ nomen obtineret, latinusque sermo, latinaque lingua per antonomasiam appellaretur. ita latinè scribere, ac loqui qui & Romanus sermo, Romanaque lingua nuncupatur, Romeque loqui dicitur, ob Romanorum maiestatem. Cũ Roma latij, quæ & Italiæ orbisque totius caput sit, & eã Romani emendarunt & expolierunt. Quæ simul cum vm-

perio à Romanis ipsis per vniuersũ orbem, vt retuli, pro-
pagata est. Eant igitur nunc, eripiantq; fugam quàm ce-
leriter nostri noui vulgares academici, populares docto-
res, plebeij grammatici Italo nomine indigni, qui latinã
linguã execrantes, ac tot aniles, ac pueriles nænias & la
ciniosas ineptias scribentes iuuentutem tot suis affanijs,
ac præstigijs fefellerunt, & abdant se quo possunt lon-
gissimè è conspectu hominum in siluas, & pecudum lati
bula. Sed roget quis quid ita de his minùs honorificè ege
rim, sed acerbè potius, & vt ipsi fortasse videor, immo-
destè eos obiurgauerim. Qui si rectè aduertit, æquusq;
iudex esse velit, nihil quidem habet quod ob id me accu-
set: qui hãc prouinciam suscepi, vt à causa latinæ linguæ,
quinetiam publici boni starem. Nam cum ipsi, qui prorsus
in exitium latinæ, græcæq; linguæ, quæ vnà cũ Hebræa
ex arte, vt iterum ac sæpius dixi, diuinitus institutæ æter
næ sunt, & in publicum dispendium, vt sæpe questus sũ,
atrociter conspirarunt, sobrios, officiosos, & eruditos vi
ros vtriusq; linguæ studiosos, qui suis offucijs, præstigijs,
ac nænijs non assentiunt, probris impetunt, ac temerant
fœdissimis eos falsò ac temerè ignorantes, stultos, &
temerarios appellantes: par esse duxi ipsos eodem telo
iustè, ac meritò feriẽdos, quo ipsi alios iniustè proscindũt.
Quis enim publici boni amator nõ gemat? Non ipsis ira
scatur? Non eos communi odio dignos censeat? Non
vanos, nugaces, nebulones, impostores fanaticos, stolidos,
ignorantes, ingratos appellet, & vecordes? quos Cice-
ro nomini Romano inimicos, Ouidius stolidos, Iuuenalis

mures appellauit. Nō eos barbaros vocet? Cum à barbarie longe multūq; oblectentur, & Italiā omniū totius orbis regionē celleberrimam, quā Romani, vt aliàs dixi, atq; dicetur vberius, enixo studio barbarie purgare, & multis ornamētis honestare, atq; exornare studuerūt, in barbarā vertere laborant, vt nihil inter nos & barbaros intersit. quinetiā nos plusq̄ barbaros reddere conniuntur, cum Prouinciales oēs latinā linguam piè, ac religiosè, vt ostēdi, amplectentes ei sedulò studēt, isti eam tollere conant. Non sūma ignominia notari, summisq;. Affici pœnis dignos, ac demū Italia ipsa extrudendos, & in vltimas orbis oras ablegandos dicet? Cum in propatulo sit ipsos in ruinam latinæ, græcæq; linguæ, vt sæpe ac sæpius dixi, & in omnium dispendiū conspirasse. Siquidem nō modo iuuenes horū captionibus à bonarū literarum, ac disciplinarū studijs auocētur, & vilibus, ludicris, lasciuisq; rebus vacant, sed etiā infelix, et miserabile vulgus diuinā scripturam cōmuni, vulgariq; sermone legentes in animarū perniciē incidunt. Neq; grauari debent quòd eos à plebe, ac vulgo, quem docent, vel potius à sermone, quem sectātur, subinde doctores, philosophos, grāmaticos, et poetas appello. Nihil etiānum habent quod de me querantur illi, qui cū, vt iterum, ac sæpius dictū est, atq; dicetur vberius finitu cum alijs Italis Romanorū beneficio & benignitatē è barbaris Romani, Latiniq; facti sint, et pleraq; latia vocabula natura ipsa ob linguæ difficultatē pessimè enunciēt, ac multa sua prisca barbara vocabula, aut aliūde desumpta efferant, et Romanorū latinorumq; gloriam

et virtutẽ arroganter ſibi aſciſcunt, & loquendi magiſtri videri volunt. quòd eos identidem obiurgem. Quis enim non inſolentes, arrogantes, vanos, & iactabundos vocet eos, qui tot nugamenta ſcribentes, aliena ſua pertinaciter vendicãt? Nũc autẽ, vt quantũ auctumo, par eſt nõnihil de natiuo, vernaculo, cõmuni, vulgariq; latio, Romanoq; ſermone, de quo non ſemel hic mẽtio facta eſt diſſerere. quem Tuſci tantũ ſibi arrogant, vt eum ſuũ eſſe aſſerere audeant. Et non ſolum ipſi id dicunt, ſed alij etiã pleriq;. Sed minime mirum. Nam cum vulgares doctores ſint, in morẽ vulgi et ſentiunt, & loquuntur. Natiuus igitur, vernaculus, vulgaris, & quotidianus latius, Romanuſq; ſermo, ſimulatq; Romani Italia ſua ſunt potiti, cum ob frequentes latinas, Romanaſq; colonias, quas in ea deduxerũt, & nouas vrbes condiderunt, tum quia compoſitò id egerunt Romani, vt Italiã ſuã, pulſis ex ea barbaris hominibus, vocabulis, & moribus, purgarẽt, latinamq; facerent, per totam ipſam Italiam eſt prolatus, atq; diffuſus. Et non modo per Italiam latius vulgaris ſermo eſt prolatus, ſed magna etiam eius pars in prouincias aliquot manauit. Nam nonnulli Galliæ, & Hiſpaniæ populi, ob frequentes illi Romani latiniq; nominis colonias deductas pleriſq; latijs vulgaribus dictionibus vtuntur. Et ſi per multa ſecula poſtea aliqui Italiæ populi pleraq; ſua natiua barbara vocabula retinuere, quibus vtebãtur, vt Tuſci, qui ſemper Romanũ nomen odio ſunt proſecuti. Et certe Hadriani principatu, vt oſtendi, Tuſci barbaro ſuo natiuo ſermone loquebantur, ac nonnulla ſua priſca

barbara vocabula retinent etiam num, quibus domi vtuntur. Quo latio Romanoq́; natiuo vulgari sermone nunc omnes, vt sæpe dixi, Itali vtimur · licet non nulli Italiæ populi eo potius abutantur. Nam pleraq́; latia vocabula vnà sua ipsorum hominum natura ob linguæ difficultatem, vnà vanitate, & stultitia q̃ ineptissimè & barbarè enunciant, exemptis, vt sæpe dixi, & certe non sine stomacho, aut aditis, aut immutatis, aut transpositis literis, vel syllabis. Quidam vero alij barbaris quibusdam vocabulis, quæ à barbaris inuecta sunt, vtuntur. Qui tamen vernaculus vulgaris latius Romanusq́; sermo anteq̃ Romani Italiam sui iuris facerent, ob frequentem barbarorum in vrbem accessum, qui in eam siue visendi gratia, siue varijs fortunæ casibus agitati veluti ad portum confluebant, aliquantisper deprauatus fuit. Id quod initium habuit post primum fœdus cum Carthaginiensibus ictũ, vt Polibius libro tertio scriptum reliquit, vbi ait Primum fœdus inter Romanos et Carthaginienses *initum est statim post eiectum vrbe regium nomen* L. Bruto, & M. Valerio Consulibus. *Tanta enim facta est mutatio* Romanæ *linguæ ab ea tempestate in hodiernum diem, vt etiam qui antiquitatis peritissimi sunt, pleraq; nonnisi difficulter intelligant. Fuit autem regium nomen, rex inquam Tarquinius superbus, vrbe exactum, vt* Liuius *libro primo tradit, ab vrbe condita anno ducentesimo quadragesimoquarto. Itaq; ab eo primo fœdere ad ea tempora, quibus* Liuius *poeta fabulam ædit, fluxere anni centum sexagintasex. Quo tempore* Romanus *natiuus*

vulgaris sermo à Romanis ipsis, diligentia adhibita (in reliquo enim Latio incorruptus mansit (fuit emendatus Nam Liuius latinè, & si impolitè, non barbarè scripsit. Et Næuius qui post Liuium inter primum & secundum bellum punicum scripsit, castè latinè, & si non multum politè, scripsit. Item Plautus, qui post Næuium post secundum bellum punicum scripsit, adeo castè latinè locutus est vt neq; ipsæ musæ castius, & latinius loqui potuissẽt: Vnde Varro apud Quintilianum libro decimo ait musas Ælij Stolonis sẽtẽtia Plautino sermone locuturas fuisse, si latinè loqui vellent. Vnde Lælia saneq̃ laudatur à L. Crasso q̃ in quotidiano, & vulgari sermone probè latiè Romaneq; loqueretur, latijs tantum uocabulis utens, & præsertim quæ in Næuio, & Plauto latinè ex arte erãt. Ita putat Crassus ipse eius patrem, ac maiores locutos. Lælij quoq; & Scipionis sæculo Romanus ipse uulgaris sermo purus erat, quo tempore Terentius scripsit. Nam qui tum latinè ex arte scribebant (non modo enim ex Plauto, alijsq; auctoribus uerba sumebant, sed multa etiam nouabant, sumentes ea, ut iterum ac sæpius dictũ est, è medio, hoc est è communi, & publico loquendi usu, & ea ut mollissimam ceram, ut Cicero fert, ad suum arbitrium formabant & fingebant) purè, & castè scribebant, tum maximè ij, qui nulla domestica barbarie coinquinati fuerant, & uerborum delectum habebant. Sed postea iterum à barbaris, qui in urbem fluxerant Romanorum incuria, quia bellicis rebus uacabant, aliquantisper corruptus fuit. Verum cum à bellis ocium fuit Roma

ni grauitatem, ac maiestatem suam, vrbisq; decorum retinentes id magna cum solertia, ac perseuerantia custodierunt, vt vulgarem ipsum, quotidianumq; Romanum, latiumq; sermonem emendarent, ne barbarè loquerentur. Nam Cicero, Varro, & alij eius, & superioris ætatis viri castè, & purè latinè scripserunt, verba nonnulla innouantes, ea è medio sumentes, penes enim mulieres, & in reliquo latio vt dixi antiquitas reseruatur. Ait igitur Cicero ipse in Bruto. Mitto C. Lęliũ, P. Scipionẽ, ætatis illius ista fuit laus, tanq̃ inocentiæ, sic latinè loquẽdi, non omnium tamen, nam, illorum æquales Cęcilium, et Pacuuium malè locutos videmus. Sed omnes, tum ferè, qui nec extra vrbem hanc vixerunt, nec eos aliqua barbaries domestica infuscauerat, rectè loquebãtur. Sed hãc certè rem deteriorem vetustas fecit, & Romæ, et in Græcia. Confluxerunt enim & Athenas, & in hanc vrbem multi inquinatè loquentes ex diuersis locis, quo magis expurgandus est sermo, et adhibenda quàm obstrusa ratio, quæ mutari non potest, nec vtendum prauissima consuetudinis regula. Et in Epistola ad Papirium Pætum. Veteres atq; vrbani sales salsiores sunt, q̃ Attici. Ego mirificè capior facetijs maxime nostratibus, præsertim cum eas videam primum oblitas Latio, tum etiam cum vrbẽ nostram est infusa peregrinitas. Nunc etiam brachatis, & transpadanis nationibus, vt nullum veteris leporis vestigium appareat. Plato quoq; pluribus exemplis priscã Atticam communem, & vulgarem linguam (regularem enim, & ex arte institutã nullatenus à barbaris corrũpi

posse

posse iam ostendimus) aliquatenus vitiatam fuisse astruit. Ait enim in Cratylo de Dæmone vocabulo loquens. Ex nostra istud prisca lingua nomē existit. Et paulopost. Præterea si hoc secundum priscam Atticorum linguam consideraueris, magis intelliges · reperies quòd paulisper mutatum est. Et rursus: Reor quidem multa nomina græcos à barbaris, eos præsertim, qui sub barbaris sunt, habuisse. Et rursus queritur Atticam quotidianā, & vulgarem linguam fuisse deprauatā, ait quidem · An ignoras nomina vetera distracta iam fuisse atq; confusa à sermonis tragici studiosis elegantiæ gratia addentibus & subtrahentibus literas ? Ac partim temporis diuturnitate, partim exornationis studio vndiq; peruertentibus. Talia faciunt, qui oris illecebras pluris æstimant . quàm veritatem. Et rursum queritur multas literas in quotidiano, & vulgari Attico sermone ob barbarorum in Athenas frequentiam fuisse immutatas, idq; mulierum loquendi vsu probat, quæ antiquitatem, id quod etiam Cicero, vt ostendi scribit, tenatius seruant, quòd peregrinorum sermonis sunt expertes, ait igitur. Dicam equidem, haud præterit maiores nostros frequenter ι & δ vti solitos, nec rarius mulieres, quæ maximè priscam vocem seruant. Nunc autem pro . ι, vel ipsum . ε, vel . η, adhibent . pro . δ, vero . ζ, quasi hæc magnificentius quiddam sonent. Et ibidem dicit id quod iam verum est, quòd ex detractione, additione immutatione, & transpositione literarum vocabula non id significant, ad quod significare sunt nata, quinetiam plerunq; contrarium significant, ait enim.

Quoties dico ꝙ addentes, ac dementes literas longe nominum sensum variant, adeo vt sæpe exiguum quid mutantes contrariam significationem inducant. Et rursum Etenim cum passim vocabula distrahantur, nihil mirum esset, si prisca lingua cũ nostra collata nihilo ꝗ barbarica voce differat. Item Varro apud Gellium libro primo multa antiqua græca vocabula à prisco loquendi vsu desciuisse scribit, vbi sic ait. Multa enim vetera vocabula græcorum ignorantur, quòd pro ijs alijs nunc vtuntur. Cicero quoq; docet nihil addi, aut mutari, aut eximi ex latijs, Romanisq; natiuis, quotidianisq; vocabulis deberi: qui libro tertio de Oratore, vbi laudat Catulum ꝙ optimè latinè loqueret, ait. quicquid aut addideris, aut mutaueris, aut detraxeris vitiosius, & deterius futurum. Non sunt igitur à quotidiana, vulgariq; loquendi consuetudine literæ subtrahendæ, aut addendæ, aut immutandæ, aut trasponendæ cum ex hoc latius, Romanusq; vulgaris sermo durus, asper, difficilis, mutilus, & barbarus reddatur, & aliud significet, quàm illud, ad quod significare est natus. Et vt Charisius ait, siquis dicat scrimbo pro eo quod est scribo etiam ipsius naturæ consuetudine conuincitur male locutum. Ita qui literas addunt euellunt, immutant, transponunt natura ipsa conuincuntur barbarè loqui. Varro quoq; libro secundo de analogia queritur ꝙ noua, ac barbara vocabula sint in vrbem à barbaris illata, atq; vehementer insimulat eos, qui tantæ prauitatis fautores eis vtendo erant, inquit enim. Iam seruos habet priscis nominibus? quæ mulier suum instrumentum ve-

stis, atq; auri veteribus vocabulis apellat? Sed indoctis. Non tam illis irascendum, quàm huiusmodi prauitatis patronis. Quantum credis & ipse, & alij veteres illi Romani irascerentur modo, si uiuerent, aut ab inferis excitarentur, istis plebeijs doctorculis, & eorum patronis, qui enixo studio latium Romanumq́; vulgarem, quotidianumq́; sermonem, quem illi tantopere emendare studebant, offuscare, atq; inficere & barbarum reddere contendunt. Audiui ego mulieres multas Romanas querentes nimis de his temerarijs qui barbariem in vrbem intulerunt, quòd, præter cætera, cum euangelium in templis legeretur, omnia ferè verba intellexissent, sed quædam nunc esse, quæ vix intelligant. Gaudebant Romani illi veteres, & quidem meritò, natiuo, patrio, vernaculo, vulgari, cõmuni, & publico illo suo latio, Romanoq́; sermone in quotidiano, & familiari loquendi vsu loqui. Qui per se clarus est, mitis, lenis, ac purus, nil barbariei continens. cui nihil additamenti opus est. Non enim fons lympidam, atq; optimam aquam scaturiens alicuius impuri riuuli, vel cœnosæ lacunæ aqua eget, vt clarior fiat, cum potius fœdetur. Neq; aurum scoriæ commisceri debet, vt purius euadat. optima enim, si deterioribus commiscentur, fœdātur. Dolebantq́; Romani Romæ suæ, atq; Latij studiose si cum barbara vocabula in vrbem inueherentur, quæ, patrium vulgarem sermonem diligentia adhibita corrigentes, ab vrbe, Latioq́; procul pellere, atq; ablegare festinabant. Par est enim peregrinos in vrbe, domoq́; aliena indigenarũ sermonem ediscere, eorumq́; more loqui,

non indigenas peregrinorũ. Nunc autẽ, quia tertiò à barbaris, & multo magis à temerarijs quibusdã plebeijs doctorculis, qui nil aliud, quàm audere, sciũt, deprauatus est aliquantũ Romanus ipse, latiusq́; patrius, qui nũc & Italus, sermo, iterũ est emẽdandus, non fœdandus barbara voce procul ab Italia profligata. Id quod oẽs boni, omnes inquã, vrbis, Latij, Italiæq́; suæ studiosi monent, & præsertim Varro, itemq́; Cicero. Nõ enim vulgi praua cõsuetudo, quã ex ignorantia manare nemo homo non scit, aut opinio, sed ratio, & decus, & veritas est sequenda. Vtẽdum est igit in vulgari, et quotidiano sermone Romanis, Latijsq́; tantum vocabulis, & enunciatione, non barbaris, non insolentibus. Nã si Phauorinus philosophus apud Gellium libro primo vitio vertit adolescenti cuipiã, ꝙ in quotidiano sermone vetustissimis latijs vocabulis, et obsoletis, ab vsuq́; cõmuni desitis vteretur, quanto magis vitio dandum est peregrinis, barbaris, putidis & lacunosis vocabulis, et enunciatione barbara vtentibus. Rursum si Tuscè ac barbarè loqui dictus est, & illusus ille apud eundem Gellium, vt alibi dictũ est, ꝙ appludam latium quidem vocabulũ, at obsoletum nimis, & à cõmuni loquendi cõsuetudine desitum protulisset, multo magis barbarè loquuntur, qui barbara prorsus vocabula edunt. Igitur præsentibus verbis vtendum est, at Romanis latijsq́;, non peregrinis, nõ barbaris, vt quidã Phauorini verba perperam intelligentes, dicunt. cum Gellius libro vndecimo, vt alibi dicetur, verbis duræ, et illepidæ nouitatis in latina linguã vtendũ esse nullatenus velit et molestius, culpatiusq́;

esse ait verba noua incognita dicere, quam inculcata, et sordentia. Absurdum nimirum videtur, & ineptum in communi, et quotidiana loquendi consuetudine desitis prorsus, & obsoletis vocabulis vti, vt appluda, vt topper, vt alia eiusmodi inaudita. Absurdius vero & ineptius est barbaris, et insolentibus vocabulis vti. quare C. Cæsar excellentis ingenij, ac prudentiæ vir in primo de analogia libro scripsit. Habe semper in memoria, atque in pectore, vt tanquam scopulum sic fugias inauditum, atque insolens verbum. Decet tamen illis vocabulis vti, quæ licet Romæ, ob quorundam temeritatem qui in eam barbariem inuexerunt, in vsu non sint, sunt tamen in latino regulari sermone, et quotidiano loquendi vsu in alijs Italiæ locis, & præcipuè in Latio reliquo, vbi incorrupta antiquitas conseruatur, quæ inde petenda est, & in vrbem inferenda, sublata profligataque barbarie. Verum neutrij plebeij doctores in vtendis, enunciandisque barbaris vocabulis Horatij verbis, quæ non intelligunt, tutari se putant. quia in poetica foliorum exemplo vtens dicit vetera vocabula interijsse, & alia loco eorum nata fuisse. quod liceat ipsis, claris latijs, Romanisque vocabulis, & enunciatione reiectis, barbaris, & insolentibus vti, barbariemque in vrbem, & in Italiam inferre. quasi de vulgari sermone, quem omnino negant apud veteres Romanos fuisse, et non de regulari grammaticoque loquatur Horatius. qui probare vult licuisse sibi, alijsque latinæ linguæ auctoribus, omissis aliquibus priscis vocabulis, quæ dura, aspera, & inculta videbantur, nouis, & eis vrbanis, claris, cultis, & selectis vti. Quòd autem sequitur. Si volet vsus vocabula, quæ sunt in honore

cadent, & eorum loco renascentur alia. Sciant nostri populares doctores, quod studiosorum latinæ linguæ vsus, idest loquendi ratio, latiniq; sermonis regula libentius patietur, vt veteribus illis verbis quibus vsi sunt prisci latinæ linguæ auctores, vt Liuius, vt Ennius, vt Pacuuius, ut alij ætatis illius, quæ posteriori ætati dura, & inculta uisa sūt, quàm pulchra illa, & speciosa, quibus Ciceronis ætas & subsequens usa est, omittentes, nouis barbaris sordidis, asperis, putidis, & insolentibus vtamor, quæ, ut sæpius dixi, ab Italia procul sunt ableganda. Et quidem certè id expressit Horatius, ut si usus uolet, uetera uocabula, quibus prisci illi auctores usi sunt, quæ iam cecidere idest desierunt, renascantur reuiuiscantq;, non ut barbaris utamur. Id etiam Quintilianus libro decimo scribit, qui ait. Cum uerba intercidāt, inualescantq; temporibus, ut quorum certissima sit regula in consuetudine, eaq; non sua natura sint bona, aut mala nam per se soni tantum sunt. Hoc est, ut quæ aliquando desierunt, iterum reuiuiscant. Sicut enim operæpræciū fuit inuento auri usu, non plumbeo, sed aureo anulo uti homines, & inuento tritico, triticeo pane uesci non glandeo ita absurdum, & ineptum est omisso auro, ac tritico uti deterioribus. Quisquā enim tam temerarius, & audax reperietur? Quotus erit iste insolēs, barbarusq;, qui reiectis, repudiatisq; urbanis, claris, cultis, speciosis & lectis latinis uocabulis, quibus tot præclarissimi auctores usi sunt, utatur pro his deterrimis, lacunosis, putidis, insolentibus, & barbaris? Atq; demum plebeij doctores aliter scribunt, aliter loquuntur.

Immo pleraq; uocabula ita efferunt, ut scribi nequeant. Cū Romani ita loquerentur, ut scribebāt, ut Quintilianus libro primo tradit, uel quidem profectò in uulgari sermone, vt optumus lacruma, purrus. Cumq; docti homines i. & y, in latino sermone vti cœpissent, & optimus, lachryma, Pyrrhus scriberēt, in vulgari sermone .i, non.u, & ipsi, & vulgus in vulgari sermone efferebant, Rursus latinitas homonem, & Valesiū dicebat: ita & literati, & vulgus in vulgari sermone . s, & . o, vtebantur. Cum uero .o, in i, & . s, in. r, latinitas uertit, & hominem, & Valerium dicere cœpit, literati, et uulgus in uulgari sermone .i, & .r, enunciare cœperunt. Et cum huiusmodi plebeij homines ob linguæ difficultatem, ut dixi, natura ipsa latias literas, ac uocabula in quotidiano, & uulgari latio sermone enunciare non possint, alios docent, ut ea barbarè enuncient sicut enūciant ipsi. Atq; nōnulli alij ex Italis sunt, qui cum in quotidiano, vulgariq; latio sermone latias ipsas literas, & uocabula natura ipsa rectè, ac probè enuncient, eo stulti facti sunt, ut summo laborent studio ea barbaro more mutilè, crassè, hiulcè, putidè, & asperè enunciare. Et cum latini, Romaniq; esse possint, laborāt quo barbari, & rustici fiant. Quis autem negeț uilium, et nullius pretij hominum esse, relictis optimis rebus, villissimis & deterrimis uti? Petierunt Cumani summo studio à Senatu, ut publicé idest omnes latio Romanoq; uernaculo uulgari sermone loquerētur, quo barbariē, & obscœnitatem exuerent. Laborant isti insulsi barbarè loqui, barbarienq; in urbem, & in

Italiam reliquam inuehere. Et eam barbarie ipsa deho- nestare, ac deformare, quam Romani tot bonis tot ornamẽtis honestarunt. Barbarorum nonnulli non gloriantur modo, sed efferuntur penè se quoquomodo in suo idiomate, atq; sermone Romanis latijsq; vocabulis vti, nos indignabimur? Non minoris faciunt Quintilianus, itemq; Cicero, alijq; enunciationem rectam, quæ à multis negligitur, q̃ latina vocabula. Et certe Cicero ipse passim iubet non asperè, non hiulcè, nõ crassè, non vastè enunciancũ esse, sed pressè, leniter & æqualiter vel quidem certe in vulgari, quotidianoq; sermone, et præcipuè in primo Offic. libro vbi non de modo orandi, non de arte Rhet. non de ratione latinè loquendi ex arte grammatica, sed de actionibus, atq; officijs, & moribus hominum, ac quod quisq; agere, quomodo familiam moderare, & in negotijs agendis versari debeat, & alia id genus tractat. Et quid, ac quando, & quomodo, quibusúe de rebus loquatur. Et liceat huiusmodi præcepta omnes homines doceat, præcipuè tamen Romanos, Latinosq; homines. Iccirco eos latijs tantum, Romanisq; vocabulis in familiari, quotidiano, & vulgari sermone vti, & peregrina, barbaraq; vitare monet, & vt pressè, ac leniter, & æqualiter enuncient, quales multos eiusmodi fuisse vulgò scribit, & laudat. Vox sit clara, dulcis, suauis, et lenis, sermo non sit pertinax; insit in eo lepos, sitq; loquendi vicissitudo. Monent etiam, verius clamant Cicero, Varro, Quintilianus & alij omnes boni, vt domestica rusticitas, ac barbaries caueatur, ne patres, & matres in vernaculo quotidianoq;

& vulgari latio, Romanoq́; sermone malè loquantur. Nam, *vt sæpius dictum est, multi barbarorum vrbē ingressi inquinatè, rusticè, & barbarè loquebantur, vnde* Romanorum *quosdam incautos barbaries ipsa, ac rusticitas infuscauerat.* Ramanarum *etiam mulierum quædā peregrinis viris nubebant, &* Romanorum *virorum quidam peregrinas* vxores *ducebant.* Vnde *pueri, qui ex his oriebantur, qui hybridæ dicuntur, peregrini parentis et vocabula nonnulla, & enunciationē imbibebant.* Et *certe* Horatius Ser. *libro primo persium quendam hybridā vocat, q̄ alterò parēte* Romano *altero peregrino natus fit.* Et *auia materna* Tiberij, *ait* Suetonius *fundana fuit.* Itē *ne pueri, quibus cum* Romani *pueri versantur, & præceptores, & pædagogi, & serui, seruæq́;, & nutrices aut barbaræ sint, qualis fuit nutrix* C. Muty, *quæ fuit* Tusca, *aut malè* Romanè, *latieq́; loquantur.* Etenim *pueri si cū barbaris, aut eis ipsis* Italis *barbara vocabula, siue ea ipsa latia malè enunciantibus versantur, eorum pessima vocabula, & enunciationem imbibent, quæ postea difficulter, aut nunquam dediscent.* Multum *enim confert ad latinè loquendum domestica benè, ac rectè loquendi* Romano, Latioq́; *natiuo vulgari more consuetudo, sicut multum officit mala.* Quia *vero è medio, idest è communi, quotidianaq́; consuetudine, vt semel atq; iterum ac sæpius dictum est, verba clara tamen, & selecta, vel* Ciceronis *ætate, ac deinceps sumebantur, & in latinum eloquium referebantur, & suo natiuo latio vulgari sermone loqui, vt dixi gaudebāt* Romani *enixo studio elaborabāt,*

vt nomisi latijs suis, Romanisq; vocabulis in quotidiano sermone vterentur, ne rusticè, inquinatè, & barbarè loquerentur. quare in tertio de Oratore libro laudatur Catulus, laudantur & alij vulgò à Cicerone quòd optimum iudicium in innouandis, deligendisq; & ex priscis auctoribus, & è medio vocabulis habebant, id quod eloquentiam esse Cæsar ait. Qui Cicero ita scribit in Bruto. Erãt tamen quibus videretur illius ætatis tertius Curio, quia splendidioribus fortasse verbis vtebatur, & quia latinè non pessime loquebatur, vsu credo aliquo domestico. nam literarum admodũ nihil sciebat. Sed magni interest, quos quisq; audiat quotidie domi, quibus cum loquatur à puero, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquãtur. Legimus Epistolas Corneliæ matris Gracchorum. Apparet filios non tam in gremio educatos, quàm in sermone matris. Auditus est nobis Læliæ Caij filiæ sæpe sermo. Ergo illam patris elegantia tinctam vidimus, & filias eius mutias ambas; quarum sermo mihi fuit notus, & neptes Licinias, quas nos quidẽ ambas, hanc vero Scipionis etiam tu Brute credo aliquando audisti loquentem. Et Quintilianus libro primo. Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus, quas si fieri posset sapientes Chrysippus optauit. Certe quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum in his haud dubie prior ratio est. Rectè tamen etiam loquantur. Has primum audiet puer, harum verba effingere imitendo conabitur. Et natura tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus animis percepimus, vt sapor, quo noua imbuas, durat, nec lanarum colores, qui-

bus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Nam bona facile mutantur in peius. Nam quando in bonũ verteris vitia? Non assuescat ergo, ne dum infans quidem est, sermoni, qui dediscẽdus sit. In parentibus vero quàm plurimum esse eruditionis optauerim. Verum nec de patribus tantum loquor. Nam Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem. De pueris interquos educabitur idem quod de nutricibus dictũ est. De pædagogis hoc amplius. Et Hieronymus, qui post Gothorũ in vrbem irruptionẽ scripsit, ad Athletam ait. Ne discat filia tua in tenero, quod ei postea dediscendum sit. Gracchorũ eloquentiæ multum ab infantia sermo matris contulisse scribitur. Plutarchus etiam in libro de pueris educandis iubet, vt præceptores, & pædagogi patrium vulgarem sermonem puerorum siue Atheniensium, Atticæq; apud Græcos, siue Romanorum, latijq; apud Ronos sciant. Non enim cum Cicero in Bruto dicit eos, quos nulla domestica barbaries infuscauerat benè latinè locutos, eos vero, qui barbarie coinquinati erant, non item, latinus regularis sermo in vna domo corrumpi potuit, vt non potuerit corrumpi in alia, cum re vera nusq̃ nulloq̃ tempore corrumpi potest, sed de vulgari sermone loquitur Cicero. Neq; cum inibi de domestica barbarie fugienda, & de elequentia, & delectu verborum, de rectè latinè loquẽdo, & enunciatione recta loquens præter cætera dicit, sed magni interest quos quisq; audeat domi, quibus cum versatur à puero, id quod quintilianus quoq; fieri

bit·atq; alter, & alter, præter cætera iubent, vt nutrices, & pueri, inter quos puer educabitur, bene loquantur neq; inquam intelligendum est, q; puer futurus Orator *à quibuscunq;, qui domi morantur, ac versantur, aut à nutrice, aut à pueris quibuscum versatur, eloquentiam, & verborum delectum, & rectè latinè ex arte grammatica loqui, enunciationem rectam, & cætera, de quibus ibi loquitur* Cicero, *discere possit, quæ in multis claris* Orato*ribus prædicat* Cicero *ipse, in multis desiderat. quæ laus fuisset* Oratori*bus, qui labore, cura solertia, ac studio rectè latinè loquebantur, si pueri natura rectè latinè ex arte loquebātur?* Cum *præter multa, quæ hac de re dicta sunt, in pueris oratio perfecta nec exigi nec sperari posse* Quintilianus *ait.* Iubetq; *pueris peritos præceptores, ac pædagogos eruditos præfici, qui nonmodo pueros ipsos imprimis nomina, & verba declinare doceant. sed etiam elementa ipsa literarum cognoscere.* Atq; *ne dum infantes sunt assuescant sermoni, qui sit dediscendus.* Neq; *cum iubent, vt pædagogi, quos iam eruditos esse volunt, patres, et matres benè loquātur, de latino grāmatico sermone, sed de vulgari, quotidiano, communi, & publico præcipiunt, ne, vt sæpius dictum est, nutrices, serui, seruæq; pædagogi, parentes, & pueri, quibus cum versatur puer, barbari sint. & rusticè inquinatè, & barbarè loquantur, latiaq; ipsa vulgaria vocabula pessimè enuncient.* Eum *enim loquendi, enunciandiq; vsum, quē à pueris in vulgari sermone semel induerunt, custodiunt semper, vel certe in latino sermone.* Id *quod non ad-*

uertunt Romani,qui domos,barbaris implent et pædago gis,& nutricibus,& seruis, atq; ancillis. Nõ igitur pueri à nutricibus,& parentibus eloquentiã,et latinam grãmaticã linguam didicebant,sed,vt satis abũdè ostensum est, à magistris. Licet Quintilianus itemq; Cicero,alijq; in patribus,et matribus eloquentiã,& doctrinam desiderent. Cũ nec quisq̃ à patre literas didicisse legatur. Nã quòd quidam dicunt Gracchos à Cornelia matre latinã linguã didicisse longe multumq; hallucinantur. Non enim Corneliam Gracchos filios latinam linguam,& grãmaticam artem docuisse scribitur,sed eam ipsorũ eloquentiæ, quæ; ait Cicero,est copiosè eloquens sapientia, multum contulisse. Cũ ipsa,sicut & aliæ multæ Romanæ mulieres,eloquens,& elegans fuerit,& latinis literis erudita,& latinè optimè loqueret. Gracchi itaq; grãmaticam artẽ,latinamq; linguã matris diligentia à præceptoribus in scholis,sicut & alij pueri omnes didicerunt. Id quod, præter multa,quæ hac de re locutus sum, Cicero in Bruto scribit, vbi ait. Fuit Gracchus diligentia Corneliæ matris à puero doctus,& græcis literis eruditus. Nam semper habuit exquisitos è Græcia magistros. Item Põponius Rufus apud Val. Max. libro quarto Gracchos ipsos in scholis à præceptoribus latinas literas didicisse ostẽdit. atq; Corneliæ exẽplo approbat filios bene educatos vera, ac maxima esse matronis ornamẽta, ait certe. Cornelia Gracchorum mater, cũ Campana matrona apud illam hospita et ornamenta sua pulcherrima sæculi illius ei oñderet, traxit eã sermone quousq; è schola redirẽt liberi, & hæc inquit,

ornamēta mea sunt. Licet, vt dixi, Cornelia ipsa, sicut & aliæ multæ Romanæ mulieres, latina lingua docta fuerit. & eloquens. Et non modo ea ætate, ac supra illam, sed alijs etiam deinceps sæculis permultæ Romanæ mulieres non sua tantum patria latina lingua, sed peregrina etiā idest græca, eruditæ erant. Sempronia, ait Salustius, literis græcis, atq; latinis docta erat. Exstat apud Suetoniū, in Claudio Cæsare Augusti epistola ad Liuiam, in qua multa græcè scripta erant. Quot Romanæ mulieres post Gothorum in vrbem irruptionem Hieronymi ætate fuere, quæ latina græcaq; lingua, & earū quædam vel Hebræa eruditæ erant? quarum ipse meminit, quæ literas ipsas à magistris edisce bāt. Proinde vt ratio ipsa exigit, et Cicero, itemq; Varro, Quintilianus, cæteriq; doctissimi, & sapientissimi homines, & quidem iure, nobis suggesserunt, Romanam, latiamq; tantum vocem Italici sermonis fontem perspicuum sequi debemus. Et omnis barbaries, ac rusticitas non ob vrbe modo, quæ, vt relatum est, nil rusticum, nil asperum, nil peregrinum olere debet, sed ab Italia quoq; reliqua est procul pellenda, & vltra montes relegāda. Itaq; omni solertia, ac studio emendandus est, vt sæpe dixi, Romanus ipse, latiusq; vulgaris sermo veluti fons quidam, quo purgato haud dubium riuuli omnes lympidi reddentur: & tota Italia rectè, ac probè Romanè latieq; loquetur. Et pueri facilius, sicut antiquitus & in vrbe, & in latio reliquo, latinam literariam, et regularem linguam edifcent, & iucundius, ac rectius enunciet. Nam verba ipsis cum lacte nutricis hauriens

tibus haud multus labor in ijs querendis relinquetur, sed spo ite intra priuatos lares; sicut olim latinis populis, oc curent, nec aliud discere restat nisi artem grammaticā, & ea quæ recondita sunt. Qua in re enixo studio enitar, vt, quoad eius fieri poterit, emendetur, & in integrum restauretur. Nā, vita superstite, pro vulgari latia, eadem nunc & Itala, lingua librum vulgari sermone sum editurus vocabula è latina regulari lingua eruens, ac repetens, et pręsertim ea, quę aut Romæ, aut in Latio reliquo, aut in alijs Italiæ locis in quotidiani sermonis vsu sunt. Cætera vero vulgaria latia, quæ in regularem sermonē relata nō sūt, è Latio ipso, vbi incorrupta vetustas, seruat obsoletis omissis. Sed dicet aliquis è vulgo rectum, & cultum, ac lepidum latium natiuum vulgarem sermonem par uifaciens, & purā antiquitatē fastidiens, & putidè, barbarè, ac rusticè loqui gaudens, nil refert an his, an illis vocabulis vtamur, modo mutuò nos intelligamus, quasi nō & Scythæ, Ægiptij, Getæ, reliquiq; oēs barbari se mutuò intelligant: Nos autē rectè, & cultè, atq; emendatè latio, Romanoq; more loquamur ea felici, & præclara lingua, quā natura, ac Deus Opt. Max. nostro illustri latio præstitit, quę barbaras oēs linguas nobilitate, ac felicitate antecellit. Quę, vt sæpius dixi, omni cura ac studio purgāda est, nō fœdanda. Quæ est autē, Cicero in Oratore ait, in hoībus tanta peruersitas, vt inuentis frugibus glande vescātur omisso auro. scoria vtant, omissa loquēdi felicitate putidè, rusticè, et barbarè loquant. Hæc de vulgari, quotidiano latio Romanoq; sermone dicta sint.

Cæterum quia non modo barbari latium, Romanumq́; vulgarem sermonem, vt fati sumus, corruperunt barbara vocabula in vrbem inferentes, sed etiam vrbem ipsã Italiamq́; reliquam, multis vitijs fœdarunt, et præsertim ancillari, vanissimaq́; adulatione Romana Italaq́; grauitate indignissima. Ideo operæpretium fore existimaui aliquid hic de adulatione ipsa vitio vtiq́; teterrimo, ac detestando loqui. Quam nostrorum pleriǵ;, sicut & loquelæ barbariem amplectentes longe lateq́; veluti decus quoddam, ac pulcherrimum quidpiam fouent. Quod vitium simul cum alijs multis barbari, vt dixi, quibus ingenita insolẽtia, & audatia est, in Italiam importantes eã hac barbarica vanitate, veluti tabe quadam, infecerunt: quòd ea natio adulationem blandam simul, & iactantiam summo colat opere, quam magnæ virtutis loco habet, vsq; eo quidem, vt non erubescant omnes domini cognominari velle O vocem arrogantissimam. Cum Romani illi nobilissimi orbis terræ domini, iustitia insignes, doctrina clari, humanitate, cæterisq́; virtutibus cunctis prædicti nunq̃ tali, ac tanto adulationis vitio laborarint. Eorum enim nullus, quantacunq; dignitate, & auctoritate præditus esset, vnquam dominus cognominari est passus, sed quisq; simpliciter nomine suo appellabatur. Solus quidem ille est dominus, qui nemini seruit, & cui omnes famulantur: & hic solus Deus est, & vnigenitus eius filius Iesus Christus. Quanquam non me præterit in veteri testamento summos sacerdotes, & reges more communi dominos ab alijs fuisse salutatos. Augustus Cæsar,

ait Suetonius, Domini appellationem vt maledictum, & obprobrium semper exhorruit. Cum spectante eo ludos pronunciatum esset à mimo O dominum æquum, & bonum, et vniuersi quasi de seipso dictum exultantes comprobassent, statim manu, vultuq; indecoras adulationes repressit, Et insequenti die grauissimo corripuit edicto, dominumq; se posthac appellari, nec à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel seriò, vel iocò passus est, atq; huiusmodi blandicias etiã inter seipsos prohibuit. Et Tertulianus in Apologetico. Augustus imperij formator ne dominum quidem dici se volebat. Et hoc enim Dei est cognomen. Dicam planè Imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor vt dominum Dei vice dicam. Cæterum liber sum illi, dominus enim meus vnus est Deus omnipotens, æternus, idem qui et ipsius. satis habeat appellari Imperator, grãde & hoc nomen est, quod à Deo traditur. Item Tiberius Cæsar, ait idem Suetonius adulationes adeo aduersatus est, vt inter cætera, cuidã, à quo fuerat dominus appellatus, denunciarit, ne se amplius contumeliæ causa dominum nominaret. Alium dicẽtem sacras occupationes, laboriosas dicere coegit. Demũ si quid in sermone vel continua oratione blandius de se diceretur, non dubitauit interpellare, ac reprehendere, & commutare continuò. Alexander seuerus Cæsar Syrus genere, & adolescens, ait Lampridius, dominum se appellari vetuit. Et post pauca. salutabatur autem nomine hoc. Aue Alexander. Siquis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, vt adulator vel abijciebatur, si loci eius

qualitas pateret, vel irridebatur ingenti cachinno, si eius dignitas grauiori subiacere non posset iniuriæ. Tanta modestia, tanta grauitas tantaq; virtus in tātis principibus. Illi ethnici & idolatræ adulationi vitio abominabili infensi modestiæ causa domini appellari renuebant, ne Iouis dei sui maximi sibi cognomen asciscere viderentur. Romana etiam Ecclesia modestiæ causa ne sacerdotes omni quidem honore digni eo ipso vocabulo cognominarentur, quod est Dei solius, quod est dominus, cui canit, tu solus dominus, eo ipso vocabulo per syncopam i, litera exempta vtendum statuit, quod est domnus, vt Hostiensis refert. Nunc autem, quia desiit iam in multis virtus, & vitium cœptum est, tum maxime superbia, & malorum radix ignorantia, et assentatio, quæ homines infatuat, adeo prauæ consuetudinis corruptela serpsit, vt hac tempestate omnes & viri, & mulieres omnis ætatis, & ordinis infelicem animum superbia inflantes, heri & heræ, domini dominæq; barbarorum more appellari velint, O audatiam singularem, O barbaricam vanitatem, atq; adeo adulationis, & vanitatis plena sunt omnia, vt eorum nonnulli nil aliud audire possint nisi adulationes blandas, vt sacras maiestates, gratiosas celsitudines, illustrissimas, excellentissimas, clarissimas, magnificas, & reuerendissimas dominationes. Quid queris? Cum vel infantes vt primum in lucem prodierint, qui nec dum fari queunt, nil norunt, in cunis inter crepūdia, & stercora vagientes, heri, domini, illustrissimi, clarissimi, magnifici, & excellentissimi vocentur. Ita demum,

vt non modo in qualibet ciuitate, in quolibet castello, in quodlibet pago, sed in vnaquaque domo plures sint dñi, dominæq́;, q̃ famuli, famulæq́;, et in eadẽ domo plures sit illustrissimi, in alia plures magnifici, & excellentissimi. quid multa? Cum vel institores, & sordidi opifices, & eorum cõiuges, vel quidem serui, seruæq́; ipsi heri heræ, & domini, dominæq́; cognominari velint. ita vt nullus amplius sit inciuitate, & in pago artifex, nullus institor, nullus denique seruus. Et nec contenti hoc cognomine dominus, quod, vt dixi, soli vero Deo competit, eorum quidam barbarica vanitate allecti etiam illud, quo ecclesia modestiæ causa sacerdotes cognominari voluit, sibi assũpserunt &, dominus domnus cognominari ambiunt, perinde ac si domnus magnificentius quiddam sonet. Nisi forte dixerint, q͂ non domnus, sed don barbaro vocabulo cognominãtur. Quòd si don barbarè significat latinè dominum, aut excellentissimum, aut illustrissimum, quid est quã ob rem duobus, immo vero tribus vocabulis, & barbaro immixto latinis veluti scoria auro purissimo, cognominari affectant, vt illustrissimus dominus don? Res vtique haud quaq̃ Italo nomine, ac grauitate digna, sed barbaricæ vanitatis plena. Ecclesiastici domni, vt ecclesia statuit, cognominari indignantur, & heri, & dñi cognominari volunt. Et eorum quidam addito peregrino vocabulo mon, quo vtuntur Galli, quod Romanè meum, græcè nostrum significat. quasi mon aliquid magnum sit, cum sic aliquem appellare adulatoris sit, aut seruilis conditionis, non ingenui hominis. Simili barbari-

cæ vanitatis morbo laborant mulieres, quæ non contentæ hoc cognomine domna ideſt domina per ſyncopam pro= lato, quod vocabulum per errorem adulatione ſuffragan te factum eſſe reor ab hoc vulgari vocabulo nonna, quo anus, ac matronæ appellari ſolent. n, litera in. d, muta ta, madomna cognominari appetunt, quaſi id maius quidpiam & honorificentius eſſet, cum nil aliud ſit ma= domna, quàm mea domna pronomine per ſyncopam pro lato. e, litera dempta, ſicut miſhere vocandi caſu pro= nomini. s, litera à vulgo addita. qui nominandi modus aut ſeruorum, ancillarumq́; eſt, aut certe adulatorum. An *autem conueniat cuiq́ ingenuo, & libero homi= ni quemuis hominem ac quamuis mulierem, ſuum he= rum & dominum dominamq́; appellare non video.* Et *ta mẽ vel parẽtes ipſi filios ſuos, ac filias, et principes, aliiq́; nobiles, ſuos aulicos aulicaſq́; ac ſeruos ſeruasq́;, ſuos heros ac dominos dominasq́; vocant.* Rurſũ *mulierũ aliæ madama barbaro uocabulo cognominari affectant, ac ſi id altero clarius, & magnificentius eſſet.* Arbitrãtes *cũ madamæ appellant, ſe aut nymphas aut deas appellari, cum dama barbarè dñam aut illuſtrẽ, latinè vero caprã ſilueſtrẽ ſignificet.* Aliæ, *vt viri, dominæ domnæ cognomi nari volũt.* Cum Romanæ *illæ veteres matronæ nobiliſſi= mæ virtutũ exemplar, vt viri, ſuo nomine tantũ appellarẽ tur.* Non *equidẽ hæc dico, quod negem perſonas graues, ac principes debito honore honorari debere; cũ ſciam vel in diuinis literis ſcriptum eſſe, vt reges, & principes, tum maxime eccleſiaſticos viros honoremus.* Sed *moneo, vt*

adulatio, & barbarica arrogãtia ac uanitas fugiatur, & Romanam grauitatem immitemur, & hæc cognomina dominus, & dominatio Dei solius esse cogitemus. Neq; barbaris vocabulis egemus, quibus nostri principes & ecclesiæ præsules honorentur. Cũ multa, et ea optima habeamus. Neq; à barbaris, quos Romani optimos mores docentes ex ferino viuendi ritu grauitate sua ad humanitatem olim traduxere, nunc ineptos, vanosq; mores, ac ritus nobis discendum est. Queritur Plinius libro trigesimo tertio Italiam corruptam esse Asiæ luxuria. Quis enim bonus non lamentetur, non doleat nostram Italiam barbaris, & vocabulis, & moribus, ritibusq; aliquantisper esse deprauatam, tum maxime adulatione Itala grauitate indignissima? qui præter cætera, tantum sibi placent, vt ventosa verba efferentes salutationis vice illius, cui assentantur, manus osculari, seq; eius seruos dicant, cum omnes domini appellari velint. Cum apud Romanos, vt Plutarchus in Catone, & Plinius libro vndecimo aiunt, imperatoribus tantum manus osculabantur. Et, vt ad rem redeam nisi quis in omni uerbo, tam cum negat quid, quàm cum affirmat, hæc cognomina here, cum pronomine mi, et domine, & dominatio addat, atq; etiam alias adulationes, ac blandicias vt illustrissime, & huiusmodi cum genuflexione, & capitis inclinatione, quæ Romani Cæsares vt maledictũ exhorruerunt, eum ut in urbanè, ac rusticè loquentem quidam aspernantur. Et limis, toruisq; oculis aspicientes, contrahentes nares, scalpentes capita, torquentes labia, trahentes

Capilum, loquentes nutibus, & applaudentes pede subsã nant & irrident. O risum sardonicum, O inquam, risum illepidum, & ineptum. Cũ ipsi potius vt inepti, ac viles assẽtatores ingẽti sint subsãnandi, atq; irridẽdi cachinno Atq; de his dicendum est quod Cicero ad appium de sua, & Lentuli nobilitate iactantẽ scribit. Plus, inquit, apud me valent ornamenta virtutis, q̃ ista vestra nomina appietas & lentulitas, quæ nunq̃ sum admiratus. Animaduertendum est quid sit excellentia, quid nobilitas, quid Athenodorus de his rebus dicat. Et reuera nemo est, nõ dico illustrissimus, excellentissimus, & clarissimus, sed ne quidem illustris, nullus, clarus, nullus excellens; nec liber quidem, etiam si opulentissimus, & potentissimus sit, nisi qui virtutibus sit præditus, vt omnes sapientes scribunt, & præcipue è nostris Cicero, qui in parad. ait. Quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes deniq; improbos esse seruos? Et cum eorum pleriq; hominis vocabulo sint indigni, & sint libidinumserui, omnipotentis Dei cognomen temerè sibi vendicant. Duo præterea hæc pronomina, tu per totum singularem numerum, & tuus tua tuum per vtrunq; numerum, & o vocandi & respondendi, & sic, & non alteram affirmatiuã, alterã negatiuam latinas dictiones, quibus, præter id quod latina, clara, speciosa, & vrbana vocabula sunt, cum Deum alloquimur preces ad ipsum fundentes, vtimur, quibus & Christus ad Patrem preces fundens vsus est, ita vanum, imperiũ, & ambitiosum vulgus, cui adulatio magno pretio est, aspernantur, & abhorrent, vt illa nullo pacto audire velint:

Quinimmo ea in opprobrium, & conuicium sibi dictum dicant, atq; si vilia, rustica, aut barbara vocabula essent. Et quod Romanis illis nobilissimis totiq; Latio (sunt enim latia natiua vocabula) semper nobile fuit, quodq; in clarissimo latino sermone optimum, vrbanum, & elegans est, vano, & imperito, & rudi vulgo adulationes edocto in quotidiano, vulgariq; sermone rusticum, ignobile est, & inurbanum. & nonnisi vos plurali numero cum verbo pluralis numeri, item vester audire volunt. Nullũ verbum, nullum pronomen singulari numero efferri sustinere queunt. Id quod etiã à barbaris quibusdam in Italiam inuectum est. nam ipsi tu pronomine singulariter non vtuntur, sed vos. Non animaduertentes, præter adulationem, teterrimum vitium, q̃ sit absonum, & absurdum vel in vulgari, quotidianoq; sermone pronomen & verbum plurale cum nomine singulari connectere, sic dicentes. Vos estis meus amicus, vos estis noster amicus, vos estis solus. Nec minus enunciationem, quæ in latina regulari lingua non modo pulchra est, & suauis, sed etiam perquã necessaria, in plebeio, vulgariq; sermone simioli isti nescij, ac rusticani vilem, & rusticam putãt & pressè, æqualiter, & leniter, vt latij quotidiani, & natiui sermonis ratio postulat, enunciantes calumniantur, & irrident. Contra crassè, hiulcè, asperè, putidè, & barbarè enunciantes laudant. Tum se ciuiliter, vrbanè, honestè, & ornatè loqui putant, cum sibi mutuò adulantur. Totam vrbanitatem, & ciuilitatem, omnem loquendi ornatum, honestatem, & modestiam in hoc vno teterrimo vitio constituũt.

Et vt quisque maxime ignorantia est præditus, & adulationes edoctus, ita maxime se ornatè & vrbanè loqui putat. Vni huic rei studiosè vacāt, vt auribus hominum seruiant, vt eis assentētur, vt mentiantur. Id liberos suos vti magnum qiudpiam docent. quasi adulatio magna virtus sit, moribus vero eorum plurimi rusticissimi sunt, Adeoq́; eorum plerique pluris faciunt hanc suam vt vocant, vrbanitatē, quàm bonarum artium studium, ac scientiam, vt filios suos impuberes iam vsque à pueritia, iam literarum expertes, iam rudes non ad bonarum literarum studium, sed in aulas potentium veluti ad gymnasium sapiētiæ ad illam ipsam suam vrbanitatem, & educationem ediscendam mittant, cum quid sit vrbanitas penitus ignorent, ubi eruditi adulatores fiant. Et qui verecundia, pudicitia, cæterisq́; virtutibus, & bonis artibus essent imbuendi, ibi miseri, iam aureis, vt dicitur, compedibus tenti, inter aulicorum cohortes, assentatores, mendaces, &, vt semel dicam, omnium vitiorum sectatores euadant. nam, vt probè Ouidius ait, Agmen adulantum media procedit ab aula. Hæc est parentum in liberos suos cura, hæc dilectio, hæc pietas. qui vtinam Pertinacē Imperatorē imitarētur, qui, ait Capitolinus, filios suos in palatio nutriri noluit. Sed talis est vulgi natura, atque opinio, quæ, ait Cicero in Top. mutari vix potest. Qui & Tusc. secundo inquit. Sed tamen hoc euenit, vt in vulgus insipientium opinio valeat honestatis, cum ipsam videre non possit. Fama, & multitudinis iudicio mouentur, vt id honestum putent, quod à plerisque laudetur. Tempus quoque, & consuetudinem af-

ferre so'ent quasi vitium consuetudine, & tempore desi-nat esse vitium, & virtus esse incipiat, vt idem nunc viti-um sit, nunc virtus. Auaritia quidem, & crudelitas, & adulatio, & quodlibet aliud vitium nullo tempore, nul-loq; pacto virtus esse potest. Siquidem peccare, ait Cice-ro, semper est turpe & quod ex se sẽper est turpe nunq̃ licet. Adulatio Itaq;, cum blandimentum propriè canum sit, leue, fallax, vile, ac seruile quidpiam est, non liberale, & ingenuum, estq; pessimum veri affectus venenũ. Adu-lator enim ficto amore, & obsequio gratiam, & fauorẽ captat, cum virtute se non posse desperet. Pessimum sanè & abominabile genus hominum adulatores, optimi ad decipiendum artifices. de quibus Cicero Offic. libro pri-mo infit. Cauendum est ne assentatoribus patefaciamus aures, ne adulari nos sinamus. In quo falli facile est. Tales enim nos esse putemus, vt iure laudemur. ex quo nascuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis ver-santur erroribus. Et in Lælio. Beneuolentiam blandi-cijs, & assentationibus colligere turpe est. Et rursus. Assentatio vitiorum adiutrix procul amoueatur, quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est. Et paulopost. Sic habendum est nullam in amicitijs pe-stem esse maiorem, quàm adulationem, blamdicias, assentationem. quamuis enim multis nominibus hoc vitium notandum leuium hominum atq; fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Et rursus, Assentatorem popularem, & leuem ciuem

appellat. Et paulopost Quanqum ista assentatio pernicio sa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit, atq; ea delectatur. Ita fit, vt is, assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui ipse sibi assentetur, & se maxime ipse delectet. Omnino est amans sui virtus: optime enim se ipsa nouit, quamq; amabilis sit intelligit. Ego autem nõ de virtute nunc loquor, sed de virtutis opinione: Virtute enim ipsa nõ tam multi præditi esse, quàm videri volunt. Hos delectat assentatio, his fictus ad eorum voluntatẽ sermo cum adhibetur, orationem illam vanã testimoniũ esse laudum suarum putant. Nulla est igitur hæc amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est. Semper auget assentatio id, quod is, cuius ad voluntatẽ dicitur, vult esse magnum. Quam ob rẽ, quamuis blanda ista vanitas apud eos valeat, qui ipsi illam allectant, & incitãt, tamen grauiores, cõstantioresq; admonendi sunt, vt animaduertant, ne callida assentatio ne capiantur. Aperte enim adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors. Et Seneca naturalium quæstionum libro quarto. Fac ergo mi Lucili, quod facere consueuisti. A turba quantum potes te separa, nec adulatoribus latus præbeas, artifices sunt ad captandos superiores. par illis, etiam si benè caueris, non eris. Sed mihi crede proditioni, si capieris, ipse te trades. Demosthenes, Antisthenes, et Epitetus adulatorem coruo cõferunt, aiũtq; satius esse in coruos incidere, q̃ in adulatores: nam illi corpus mortui, hi vero animam viuentis lædunt, & in hoc tã tum à coruo differt adulator. Diogenes etiam ait. In adu

latione veluti in sepulchro nomen solum amicitiæ inscriptum est. Idem interrogatus quodnam animalium pessime morderet, dixit, ferorum quidem calumniator, cicurum autem adulator. Nimirum adulator se chameleonti similem præstat: nam sicut ille omnium colorum exprimit similitudinem, præterquam albi: ita adulator vitia omnia imitari est aptus, virtutes autē minime. Studet adulator iucundus, et fidus videri ijs, quibus assentatur, quasi quicquid agat, & dicat amoris magnitudine moueatur. Quare graues, & modesti viri, ac mulieres monendi sunt, vt aulicorum, cæteriq; vani vulgi, ac barbarorum vanitatē, arrogantiā, & insaniam enixum vitent. Ac potius tantos principes Octauianum, Tiberium, & Alexandrum seuerum Cæsares imitentur. Qui licet ethnici & idolatræ essent adulationes, assentationes, & blanditias vitia detestanda tantopere auersati sunt, & domini appellationem vti opprobrium ac maledictum detestati sunt. Meminerintq; velim se homines esse, idq; cognomē dominus esse Dei solius. Aliud quoq; loquendi genus à barbaris, siue ab imperito vulgo repertum est, quod ipsi honestati, quā videre non possunt, ascribunt, cum aut assentationis potius sit, aut vanitatis. Nam quoties porcos, aut asinos, aut merdam, aut stercus, aut cacare, aut pedere, & huiusmodi in vulgari sermone nominant pręfantur honorē, quasi res nefandas nominarēt. Cum vero obscœna ac fœda loquuntur nil tale dicunt. Qua in re elucidanda aliquantò altius est repetendum. Siquidem nomina ab hominibus, et ijs sapientibus imposita sunt rebus, & actionibus ab alij

quo effectu. Et vnaquæq; res, & actio suũ habet vocabulum. Et alio vocabulo, aliaq; voce appellatæ sunt à Græcis, alio à Latinis populis, alio ab Ægiptijs, et sic ab vnaquaq; gente. Necesse est enim vnamquanq; rem & actionẽ apud quamlibet nationem suum habere vocabulũ, quo res, atq; actio ipsa nominetur, significet, & animi conceptus exprimatur & hoĩes vniuscuiusq; gentis se inuicem intelligãt. Nam, ait Aristoteles, voces sunt signa earũ rerum, quæ sunt in anima. Et nomina imposita sunt rebus, & actionibus, ait Varro analogiæ libro primo, vtilitatis causa, vt significẽt. Itaq; quæq; res, ac quæq; actio suo proprio vocabulo, quo ab institutore, qui peritus fuit, & sapiens, ac prudens, appellãda est, non alieno, non quo ab imperito vulgo appellat̃, appellari debet. Nam, vt Plato in Cratylo differit, vt qua de grãmatica, nulli rei natura nomen inest, sed lege & lex nobis nõia statuit, neq; imperitorũ, & quorumuis hoĩm opus est nomina imponere rebus, Sed periti ac sapientis. Et vt Cicero ad pętum scribens ait, nil turpe in verbis, neq; in re. Si enim quod verbo significatur, id turpe non est, verbum quod significat, turpe esse non potest. Anũ appellas alieno nomine, cur non suo potius? Si turpe est, ne alieno quidem, si non est, suo potius. Cæterum eæ res, & actiones, quæ facile stomachũ faciunt, vt merda, vt cacare, & eiusmodi, efferendæ non sunt eo tempore, quo facile auditores stomachantur, idest, cum discumbitur. Neq; etiam hæc; neq; virilia, & muliebria verenda temerè, & leuiter sunt nominãda. Latini autem, græciq; scriptores præfantur honorẽ

non cum porcum, aut asinum, aut excrementa vt merdã, & stercus quod idem est, aut cacare siue egerere et excernere quæ idem sunt, & soluere aluum, & eiusmodi latinas voces suis in scriptis nominant, vt vanum, & imperitũ vulgus facit. Sed nec quidẽ in diuinis literis cũ Moses, & prophetæ, alijq; hæc scribunt, præfantur honorem. Sed cum fœda, & obscœna nominare contigerit, quæ dicere, aut facere, vel quidem meditari turpe est. Vt quintilianus decl. tertia. Tuis honos sit habitus sanctissimis auribus, iubet prostare gladio cinctum, & vim turpissimam, ac nefandam inferre. Et Plinius. Fœdum dictu, verenda cõtundit. Nisi fortè dixerint vrbaniores modestiores, & verecundiores, esse vulgares homines, quàm literati, illorumq; aures nobiliores, & delicatiores, q̃ horum. Quare arcenda est procul à nostra Italia omnis barbaries & sermonis, & morum, rituumq;, tum maxime ancillaris ipsa adulatio vitiorum altrix Itala grauitate indignissima. Sit noster sermo rectus, purus, & simplex, sit modestus, & verecundus, grauitatis plenus, & procul ab adulatione ac vanitate, redoleat Romanam grauitatem. sit demum qualem Cicero Offic. primo docet, & Augustus, Tiberius, Alexander, cæteriq; viri modesti & graues loqui, & audire volebant. Hæc de adulatione teterrimo vitio, quæ vnà cum alijs vitijs, & vocabulis à barbaris in Italiam importata est, dicenda nobis visa fuere.

G. B. F. PRO LINGVA LATINA LIBER TERTIVS





NDVOBVS *superioribus libris quirites* Cur *latinarum, græcarumq; literarum studia, ingenuaq; disciplinæ à plerisq; negligantur ostendimus · ac de ratione docēdi disseruimus· & quod latina lingua ab omnibus propemodum gentibus vti sua, ac sibi patria alacriter sit recepta, & piè, ac religiosè custodita innuimus · necnon satis superq; & rationibus, & aućtoritatibus iam manu demonstrauimus apud maiores & latinum regularem, grammaticumq;, & vulgarem sermonem extitisse, & illum ex hoc arte factum. quodq; vulgaris* Romanus, *latiusq; sermo à Romanis per Italiam, quo nūc, paucis barbaris vocabulis exceptis, vtitur, diffussus· quodq; non semel à barbaris corruptus fuit, & à vestris progenitoribus diligentia adhibita correćtus insinuauimus . nec non de adulatione teterrimo vitio non nihil loquuti sumus.* Nunc *superest, vt reliqua, quæ de latina lingua nobis dicenda sunt, prosequamur.* Caterum *quia, vt semel atq; iterum ac sæpius dixi, latina ipsa lingua ex arte grammatica est instituta, & quid sit ars grammatica innui· nunc operæpretium est vel ostendere*

quis artem ipsam primus inuenit. Sed quia ars ipsa grammatica sine literis institui minime potuit, interest primum de literis ipsis loqui, atque planum facere quis eas primus reperit, quisque eas artemque grāmaticam primus in Latiū attulit. Equidem literas, & grāmaticam artem in Latiū aduexit, quod ostendemus, Euander Arcas, *& ante eum* Saturnus *rudiores, qui* Iano *regnante concessit in Latiū.* Quas Tusci, *qui vndique* Thrasonicas *iactationes, & glorias maxime omnium spirant, & ambiunt, seque prae omnibus gloriosos praedicant,* Romanos *ab ipsis mutuasse nugantur. Easque sibi vnà cum lingua* Noe, *quem* Ianum *esse dicunt, ex* Armenia *adduxisse somniant, & inde eū in* Armeniam *remeasse. Quasi vero* Noe *pone vniuersale* Diluuium *nulla alia solicitudine fuerit occupatus, nisi, vt ex* Armenia *in* Tusciam *contenderet, cum* Noe *tempore literae nondum fuerint inuentae. Quare aliquanto altius repetenda est oratio, & pauca de* Saturno, *&* Iano *dicenda sunt, & si fortasse aliquibus orationem statim à principio longius vagari, atque ad aliud propè diffluere videatur. Sed certe expedit quis fuerit* Saturnus, *quis* Ianus *quoque tempore in latio regnarint pandere, licet alibi plura de eis dicentur.* Expedit *etiam veritatem aperire, atque ostendere profanum esse* Noe Ianum *dicere.* Quandoquidem Tusci *ipsum* Noe, Ianum, Deucalionem Vertumnum, *et à graecis* OEnotrum Phoenicem *appellatū fuisse fabulātur.* Et *iccirco, credo, in* Tuscia *optimum vinum nascitur, quia ibi* Noe *vitem plantauit.* Vxorē Noe *deam vestam fuisse ferunt; quam alio nomine* Noamam

vocant. cum Noe vxor, ait Epiphanius libro primo, Barthenos appellata sit. Iaphet filium Noe Iapetum esse dicunt. quem Noe Ianum Oenotrum montē incoluisse commentantur, quem à suo nomine Ianiculum appellauit, idq; persuasissimum habent. Italiamq; ab eodem appellatam Oenotriam: & postea Saturniā à Saturno, nescio quem, Cassio nomine pronepote Noe, quem in Italiā ad Noe Ianū proauum suum concessisse fabulantur. Florentiam, quæ nudiustertius, vt ita dicam, condita est, de qua aliàs pauca dicentur, ab Hercule nescio quem Ægyptio nepote Cham conditam aiunt. Et dum vetustatem falsò expetunt, ac tueantur, ab improba se, ac nefaria illa Ægyptiaca stirpe originem ducere dicunt. Aliasq; sexcentas ineptias mēdatijs conspersas confingunt, quorum sibi modū, cum is suus sit mos, præscribere nequeunt. Doctores grauissimos citant, quos non intelligu[n]t, & omnia ad suum commodum referunt. Multa suis libellis infulciunt, quo magis crescat voluminis magnitudo, sibiq; potius videtur curæ esse, vt libri essent magni, q̄ boni. Et post multa nugamenta, concludunt non id quod verum sit, sed quod sibi est cordi. vt credat vulgus vanum, & imperitū oraculum è tripode reddi, & folium recitari sybillæ, cum eas legit. fragmentis quibusdam fabulosis, quæ circunferuntur, quæ Beroso, alijsq; quibusdam ascribuntur. freti. Quæ fragmenta conficta esse vel ex hoc maxime intelligi potest. nam Iosephus locupletissimus imprimis auctor, qui se ex alijs multis, tum ex Beroso ipso historiam suā scripsisse fatetur, huiuscemodi ludibria, et risu digna

minime

minime scribit, quæ in fragmentis ipsis leguntur. licet quædam, vt mendatia alia veritate aliqua tegantur, ex Iosepho petita sint, ex ijs potissimum locis, vbi ab eo Berosus adducitur. Sacri item nostri doctores talia minime scribunt, cum vtique & veritati, & nostræ religioni obsistant. Et certe aut fragmēta ipsa tum non extabant et sic fateantur oportet ea postea fuisse consicta, aut si extabant, ea vti fabulosa contempserunt. Quippe Ianum ethnicum idolatram, quem Deum ethnici dixerunt, qui collem incoluit, qui ab eo Ianiculus nuncupatus est, et Ianuarius mensis, qui bifrons dictus est, à quo Saturnus è creta profugus hospitio exceptus est, centum quinquaginta annis ante excidium Troiæ in Latio regnasse, & ab hoc Saturno Italiam dictam Saturniā non modo ethnici ipsi prodiderunt, sed nostri quoque doctores in eam ipsam sententiam iere omnes. Qui Ianus, si Plutarcho in problematibus creditur, Perrhebus græcus fuit ex Perrhebea ciuitate Thessaliæ filius Cœli, & Hecates, vt Arnobius aduersus gentes libro tertio tradit, duxitque vxorem Iuturnam filiam Vulturni, ex qua genuit filium nomine Faunum. Ait itaque Sextus Rufus. Regnauit in Italia Ianus, Saturnus deinde, post eum Picus, quem Faunus secutus est, huic Latinus successit, quo regnante Æneas venit in laurentem agrum. Et Eusebius. Latinis post tertium annum captiuitatis Troiæ, siue, vt quidam volunt, post octo regnauit Æneas annis tribus. ante Æneā Ianus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus in Italia regnauerunt annis centum quinquaginta. idem scribit.

Eutropius libro primo. Virgilius Æneid. lib. primo La tij reges, Latiniq; genealogiam describens, Saturnũ, qui Iano regnante venit in Italiam, Latini proauum fuisse, & Æneam Latino ipso iam sene regnante aduentasse his verbis ostendit.

Rex arua Latinus, & vrbes
Iam senior, longa placidas in pace regebat
Hunc Fauno & nympha genitum laurente Marica
Accipimus, Fauno Picus pater, isq; parentem
Te Saturne refert· tu sanguinis vltimus auctor

Et libro octauo de aduentu Saturni in Latium ait.

Primus ab æthereo venit Saturnus olympo
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis
Is genus indocile, ac sparsum montibus altis
Composuit, legesq; dedit, Latiumq; vocari
Maluit his quoniam latuisset tutus in oris.

Ibidem Ianum, & Saturnũ vrbes condidisse, & eas suis appellasse noibus scribit. Vbi ita Euander Æneæ refert.

Hæc duo prætera disiectis oppida muris
Relliquias, veterumq; vides monimenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit vrbem.
Ianiculumq; huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Et Ouid. Fast. libro primo.

Hac ego Saturnum memini tellure receptum
Cœlitibus regnis à Ioue pulsus erat
Inde diu genti mansit Saturnia nomen
Dicta est quoq; Latium terra latente deo.

Cicero item libro secundo de natura Deorum de Iano ita

scribit. Cum dij in omnibus rebus vim haberent maximã prima & extrema, principẽ in sacrificando Ianum esse voluerunt, quòd ab eundo nomen est ductum. ex quo trã sitiones perviæ, iani, foresq́; in liminibus profanarum ædium, ianuæ nominantur. Et Ouid. Fast. secundo.

Primus enim Iani mensis, quia ianua prima est.

Et Ciprianus in libro de Idolorum vanitate ait. Antrum Iouis in creta visitur, & sepulchrum eius ostenditur, & ab eo Saturnum fugatum esse manifestum est. Inde Latium de latebra eius nomen accepit. Hic literas imprimere, hic signare numos in Italia primus instituit. Vnde ærarium Saturni vocitatur. nam & rusticitatis hic cultor fuit, inde ferens falcem pingitur. Hunc fugatum hospitio Ianus excepit, de cuius nomine Ianiculum dictum est, & mensis Ianuarius institutus est. Ipse bifrons exprimitur, quòd in medio constitutus annum incipientem, pariter & recedentem spectare videtur. Et Augustinus contra Faustum. Porrò Ianuarius mensis à Iano appellatus est. Et libro octauo de Ciuitate Dei asserẽs Deos inferiores minori opprobrio infamari ait. De Iano quidem non mihi facile quicquam occurit, quod ad probrum pertineat. & fortassis talis fuit, vt inocentius vixerit, & à facinoribus, flagitijsq́; remotius. Saturnum fugientem benignus excepit, cum hospite partitus est regnum, vt etiã ciuitates singulas conderent, iste Ianiculum, ille Saturniam. Et Tertullianus in Apolog. Si quæras rerum argumenta, nusquam inuenio fideliora, q̃ apud ipsam Italiam in qua Saturnus, post multas expeditiones, postq́; attica

hospitia, consedit exceptus ab Iano *vel* Iane, *vt* Salij *volunt, mons, quem coluerat.* Saturnus *dictus, ciuitas, quam debellauerat,* Saturnia *vsque nunc est, tota denique* Italia *post* Oenotriã, Saturnia *cognominabatur: ab ipso primũ tabula & imagine signatus nummus: & inde erario praesidet.* Et Arnobius *aduersus gentes libro primo.* Ianus Ianiculi *conditor, & ciuitatis* Saturniae Saturnus *auctor.* Et Ambrosius *sermone decimoseptimo.* Ianus *enim hõ fuit vnius conditor ciuitatis, quae* Ianiculum *nũcupatur in cuius honore à gẽtibus* Kalẽdae *sunt* Ianuariae, *nuncupatae.* Vñ *qui* Kalendas Ianuarias *colit peccat, quoniã homini mortuo defert diuinitatis obsequiũ.* Ianus *primus in* Italia, *ait* Xenon *apud* Macrobiũ *satur. libro primo, dijs tẽpla fecit, & ritus instituit sacrorum.* Qui, *ait* Ouid. Fast. *libro sexto,* Cranem *nympham stuprauit.* Et *certe* Lucilius *apud* Lactantium *in libro de* Vera Religione, *quòd* Ianus Deus *pater appellaretur, irridet.* Quare *viderint qui* Ianum, *quem non modo ethnici ipsi idolatrae* Deũ *dixerunt, sed nostri quoque doctores inter falsos deos cõnumerant,* Noe *sanctum* Dei *virum,* Vestam, *quam ethnici ipsi deam dixerunt,* Noe *vxorem,* Iapetum Iaphet *faciunt, profani sint.* Absit *à pijs auribus tanta impietas, tantumq; facinoris crimen, vt* Noe *dijs gentium sacrificia & templa instituerit, & stuprum patrauerit, quae* Ianus *fecisse constat.* Oenotrus *autem quingentis annis ante ruinas* Troiae *venit in* Italiam, *vt* Dionysius Halicar. *grauis locuplexq; imprimis auctor libro primo tradit.* Deucalion *vero, cuius tẽporibus diluuium fuit, vt idem* Dionysius *li-*

bro primo ferè Thessaliæ rex fuit, filius Promethei, & Oceanæ, quo duce Pelasgi Tessalia pulsi sunt. Sacerdos item quidam Ægyptius apud Platonem in Timeo Solonem alloquens multas aquarum inundationes præcessisse inundationem Deucalionis, eamq; in Ægyptum minime peruenisse ait: quod idem Diodorus siculus libro primo asserit, qui & libro sexto ait. Tradunt Samothraces ante Deucalionis diluuium aliud quoq; antea magnum apud eos extitisse. Fuit autem Deucalion ipse Areopagi Atheniēsis tempore, vt Augustinus libro decimo octauo de Ciuitate Dei scribit. Qui cum multa de Areopago ipso disseruisset, subdit. His temporibus, vt Varro scribit, regnāte Atheniensibus Cranao successore Cecropis, vt autem nostri Eusebius & Hieronymus adhuc eodem Cecrope permanente diluuium fuit, quod appellatum est Deucalionis, eo, quòd ipse regnabat in earum terrarum partibus, vbi maxime factum est. Hoc autem diluuium nequaquā ad Ægyptum, neq; ad eius vicinia peruenit. His temporibus Moses eduxit populum de Ægypto. Proinde latissime patet Ianum, Deucalionem, Oenotrum, quibus nominibus Noe appellatum esse fabulantur, non modo ethnicos idolatras fuisse, diuersosq;, ac diuersis temporibus; sed etiam longe plurimum post Noe extitisse. Et vestam filiam siue matrem fuisse Saturni. Vertumnū autē, quo etiam nomine Noe nuncupatum nugantur fictum à Romanis Deum fuisse & Propertius libro quarto, & Augustinus tradūt. Sed nec quidē Deus permisisset diuinā scripturā ab idolatris impuris hominibus, qui eā totā despicatā

habentes deridebant, eaq; fabulis similis sibi videbatur, profanari. Et certe Demetrius apud Iosephum libro duodecimo ait plerosq; ethnicos multatos fuisse à cœlesti numine, quòd diuinam scripturam profanassent. inter quos fuere Theopompus, & Theodetes. quorum ille triginta dies mente motus fuit, & præcibus placato Deo, sibi sana mens reddita est. iste oculis glaucomate suffusis caligauit, & errato agnito, atq; exorato Deo restituta sibi acies fuit. Hæc de Iano, Saturno, Deucalione, Oenotro dicta sint. Id quod ideo nobis scribere curæ fuit, ne rudes mentes in hoc sceleris crimen incidant, vt honorem, qui Noe Dei viro debetur, Iano, Deucalioni, Oenetro ethnicis, & idolatris deferant, profaniq; fiant. Nunc, quia ab instituto transuersum vnguem discessisse videor, ad literas reuertendum est. Enimuero hæ literæ, quibus vtimur, Latij sũt à quo latinæ sunt appelatę, quas Euãder Arcas ex græcia secũ afferens latinis populis dedit. Sed præstat vtiq; vt de hac re aliquanto altius repetam, & quis eas primus reperit, vt polliciti sumus, pandã. Porrò Mercurium, qui & Theuth dictus est, qui Argum occidit, literas primum apud Ægyptios inuenisse omnium consensu perhibetur. Omnes enim non modo ethnici, sed nostri quoq; doctores id testatum relinquerunt. Ab Ægyptijs Phœnices acceperunt, à Phœnicibus Græci, à quibus latini eas habuerunt. In latium literas, & grãmaticam artem emendatiores aduhexit Euãder Arcas sexaginta annis ante Priami cladem. Nam ante eum circiter octoaginta annos, ante vero Ilij excidium circiter centum quinqua

ginta Saturnus eas attulerat at rudiores. Plato enim in Philebo ait. Apud Ægyptios Theuth fuisse dicitur, qui literas excogitauit. Et in Phædro: Audiui equidem circa Naucratim Aegypti priscorum quendam fuisse deorū, cui dicata sit auis, quam ibim vocant, dæmoni autem ipsi nomen Theuth, hunc primum numerum, & computationē inuenisse numerorum, geometriamq́;, & astronomiā, talorum rursus, alearumq́; ludos, & literas, quo tempore Thamus rex apud Thebas Aegypti regnabat. Quē Agyptij Deum ammonem vocant, ad hunc Theuth profectus artes demonstrauit suas, dixitq́; eas distribui deinceps Aegyptijs cæteris oportere. Et in Timeo græcos multis sæculis post Pyrrhæ, & Deucalionis inundationem literis caruisse scribit. Herodotus etiam in Terpsicore ait. Phœnices, qui cum Cadmo in Bœotiam venerunt, cum alias multas doctrinas in græciā introduxere, tum, vero literas, quæ apud græcos, vt mihi videtur, antea non fuerāt. Et primæ quidem illæ extiterunt, & quibus omnes Phœnices vtuntur progressu deinde temporis vnà cum sono mutauerunt modulum pristinum. Item Diodorus siculus libro primo ait. Aegyptij Mercurium maxime omnium ab Osiride honoribus affectum, vt repertorem rerum plurimarum, quibus vitæ hominum consuleretur, volunt. Hunc enim primum & verba in ordinem redegisse, & multis indidisse rebus nomina, fuisse quoq; literarum inuentorem aiunt, instituisseq́; quo honore, quibusue sacris colerentur dij. Et libro quarto: Dionysius idest Liber pater ait Cadmum primū ex Phœnicia aduexisse li-

alias Thoyth.

teras, primumq́; græcā linguam inuenisse, ac rebus dedisse nōīa. Adhæc characteribus formā dedisse, communiq́; verbo literas quoniā ex Phœnicia traductæ essent, appellatas fuisse Phœnicias. Sed à Pelasgis, qui primi eis literis vsi sūt Pelasgas dixere. Et Cicero libro tertio de Natura Deorū. Mercurius quintus, quem colunt Phœneatæ, qui Argū dicitur interemisse, ob eamq́; causam Ægypto præfuisse, atq; Aegyptijs leges, & literas tradidisse. Hūc Aegyptij Theuth appellant, eodem nomine anni primus mensis apud eos vocatur. Id totum Lactātius in libro de Falsa religione asserendo refert. Rursus Dionysius Halicarnaseus libro primo inquit. Euander ex Palantio vrbe Arcadiæ ānis sexaginta ante res Troianas in ea loca, vbi est Roma, cū classe cōcessit. Et paulopost. Dicūtur etiam literarū græcarū vsum nuper apparentem Arcadibus, hi primum in Italiā attulisse, & instrumenta musica, quæ quidē lyræ, & trigona, & lydi vocantur: cū nullo alio artificio musico illi antea vterentur, præterq̄ fistolis pastoralibus. Leges item posuisse dicunt ipsos, ac victū priscū ex ferino magna ex parte ad humanitatem traduxisse: artes quoq; & studia, & alia quædam cōmoda in publicū contulisse: horum dux Euander fuit, qui in ea loca venit, vbi nunc Roma est. Et de eius aduentus tempore libro eodem ait: Cū Euander in Latium venit, Faunus Latini pater, Martis, vt aiunt, pronepos, regnabat, à quo benignè est hospitio exceptus, eiq́; locus traditus, vbi vicū extrueret. Et libro quarto, Tullius rex extruxit Dianæ fanū in maximo Romæ collium Auentino collocatū: legesq́; con-

ſcripſit vrbibus inter ſe, ad eam celebrationē, & nundi-
nas, ac quēadmodū perficerentur, ſtatuit, Ac ne iſta dele-
ret vllū tēpus, baſem erigens Aeneā, in ea ſcripſit, &
quæ viſa eſſēt cōſeſſoribus, & quæ eſſent participes con
uentus vrbes. Permāſit autē baſis ipſa vſq; ad ætatē meā
in delubro Dianæ ſita; figuram habens literarum græca
rū, quibus vetus vtebatur græcia. Itē Liuius libro primo.
Euander venerabilis vir miraculo literaꝝ rei nouæ inter
rudes artium hoīes ex Arcadia ea loca tenuit, vbi Roma
eſt. Adhuc Plinius libro ſeptimo. Literas ſēper arbitror fu
iſſe, ſed alij apud Ægyptios à Mercurio, vt Cælius, alij a-
pud Syrios repertas volunt. Vtiq; in græciam attuliſſe è
Phœnicia Cadmū ſexdecim numero. Antoclides in Aegy
pto inueniſſe quendā noīe Menona tradit. xv. annis an-
te Phoroneū antiquiſſimū græciæ regem. id monimentis
approbare conatur. e diuerſo Aepigenes apud Babilonios
ſeptingentoꝝ octoginta ānoꝝ. Ex quo apparet æternus
literaꝝ vſus. In Latiū eas attulerunt Pelaſgi. ſunt nimi-
rū Pelaſgi Arcades. Rurſū libro eodem. Veteres literas
græcas fuiſſe eaſdē penè, quæ nūc latinæ, inditio erit del
phica tabula antiqui æris, quæ eſt hodie in palatio dono
principum Mineruæ dicata in bibliotheca cū inſcriptionē
tali ναυςικράτης τιςαμένου ἀθηνᾶιος ἀνέθη
κεν Et Quintilianus libro primo. vetuſtiſſimis tēporibus
pauciores literæ, nec ſimiles his noſtris eaꝝ formæ fuerūt,
et vis quoq; diuerſa. Itē Cornelius Tacitus lib. vndecimo.
Primi p̄ figuras aīlium Aegyptij ſēſus mētis effingebāt,
et antiquiſſima monimēta memoriæ īpræſſa ſaxis cernūt

& literarum semet inuentores perhibent. Inde Phœnices, quia mari præpollebant, intulisse Græciæ, gloriamq; adeptos, tamq̃ reperissẽt, quæ acceperant. quippe fama est Cadmum classe Phœnicum vectum rudibus adhuc græcorum populis artis eius auctorem fuisse. quidam Cecropem Atheniẽsem, vel Thebanum, & temporibus Troianis Palamedem Argiuũ memorant sexdecim literarũ formas, mox alios, ac præcipuum Simonidem cæteras reperisse. Et in Italia Etrusci ab Corinthio Demarato. Aborigines ab Euandro Arcade didicerunt, & formæ literis latinis, quæ veterrimis græcorum, sed nobis quoque paucæ primũ fuere, deinde aliæ ãditæ. Et Iustinus philosophus, & martyr. Mosis tempore græcæ literæ nondum erãt, sed Cadmus primus ex Phœnicia attulit, & græciæ tradidit. Plato in Timeo tradit posterius inuentas, quas Solon ex Aegypto rediens græciæ retulit. Item Arnobius aduersus gentes libro tertio. Mercurius quintus Argi interemptor fugitiuus atque exul, & proditor apud Aegyptum literarum. Et Tertullianus in libro de Corona militis. Mercurius primus literas enarrauit. Inde Cecrops Atheniensium, siue, vt alij, Cadmus Phœnix ex Phœnicia sexdecim literas in græciam attulit, & Bœotis tradidit, quatuor Palamedes inuenit. Itaque perlatè patet apud Aegyptios primum literas repertas fuisse. Et quidem ante Mosen, quas ipse didicit, vt Clemens Alexandrinus Stromate primo tradit. Eas Cadmus ducentos quinquaginta circiter annos ante Ilij excidiũ Bœotis attulit, à quibus Pelasgi accipiẽtes, vt valuerunt, eas emẽdarunt siue

vt Plato vult, Solon eas primus in græciã aduhexit lõge post Cadmũ. quas Saturnus in Latium intulit, vt Cypria nus ait, at rudes. Et certe quidam apud Eutropium libro primo asserunt nurum Saturni, coniugem Pici, matrem Fauni primum literas in Italia effinxisse. Fauni, inquit, mater creditur latinas literas reperisse. Cyprianus autem vt dictum est, Saturnum id egisse ait. Inde easdem, sed emendatiores, Euander Arcas in Latium attulit, eas enim græci. vt Diodorus ait, emendarunt. Et non solum literas Euander in Latium adduxit, sed et artes quoq;, & studia & vocabula etiam græca. Id ipsum antea egisse Satur num perspicuũ est, qui, vt Euander ipse apud Virgilium libro octauo ait, latinos populos rudes composuit, eisq; leges dedit, è quibus græcis vacabulis nõnulla Plutarchus in Romolo scribit, etiã tunc apud Latinos populos in vsu, sermoneq; quotidiano fuisse, Vbi ait. Talassius nuptia lis vox est. plurimi hanc exhortationem & prouocatione ad opus & lanificium, quod græci talasian dicunt, esse opinantur, cum nondum latina vocabula græcis essent cõ fusa. Et in Numa. Longe magis Numæ tempore, q̃ hodie græcis nominibus Latini admistis vtebantur. Tuscis autẽ Demaratus literas attulit. Ecce nũc tibi literæ tuæ Tuscia quas non Noe, vt ipsi fabulamini, cum eius tempore lite ræ nullæ essent, sed longe plurimũ post, vt ostẽdi, inuẽtæ, sed Demaratus Corinthius annis propè sexcẽtis quinqua ginta post Saturnum, quingentis vero septuaginta post Euandrum, vobis attulit. Cæterum licet ante Mercurium literarum figuræ nondum inuentæ, signatæq; essent, &

cognitæ nihilominus literæ ipsæ ab omnibus gentibus loquendo exprimebantur, quæ natura auribus compræhenduntur, præsertim vocales, quæ à natura sunt. Non enim literarum formæ prius erant, quàm homines loqui cœpissent. Et certè pueri cum primum fari incipiunt literas exprimunt licet earum formas non agnoscát, ita & rustici. Vocales autem, ait Macrobius libro primo de somnio Scipionis. septem sunt à natura, sed latinitas quinque tenere voluit, & eas modo longas, modo breues pronunciat, idque arte grammatica. Nunc autem quia de literis satis dictum habeo ad grammaticam reuertamur. Enimuero artem rectè loquendi, & scribendi, quæ grammatica dicitur, Theuth vnà cum literarum formis primum inuenisse in Philebo scribit Plato, vbi sic ait. Postquam infinitam vocem cogitauit, siue Deus aliquis, siue homo diuinitus, qualis apud Aegyptios Theuth fuisse fertur, primo in ipsa vocis infinitate vocales literas considerauit, quæ non vna, sed plures sunt, rursusque alias, quæ non vocis, sed phtongi participes essent. Atque harum numerum certum similiter definiuit. Tertiam deinde speciem literarum distinxit, earum quas mutas vocamus, postremo liquidas, mutasque discreuit vsque ad quodlibet vnũ, vocalesque & medias eodem modo, donec earum capiens numerum in vnaquaque, & cunctis elementum vocauit. Cumque videret neminem ipsum vnum secũdum seipsum seorsum à reliquis percepturum, huiusmodi vinculum meditatus vt vnum existens, & has omnes vnum quodamodo faciens, vnam in tempus artem nomine grammaticã statuit. quod ipsũ

Dio dorus Siculus libro primo asserit, qui ait Theuth pri mũ literas inuenisse, et verba in ordinẽ redegisse. Alij vero grammaticã ipsã artẽ Mosen primũ, qui omni genere scientiarũ Ægyptiorũ imprẽsè fuit eruditus, excogitasse memoriæ tradiderũt. Et eã tradidisse Hebræis, quam ipsi diduc, idest subtilitatem, et exquisitã artẽ appellant. Quã græci simitu cũ literarũ formis à Phœnicibus, qui eam ab Hebræis acceperant, accipiẽtes et paulatim curiosius expolientes, & primũ quidẽ Bœoti, inde pelasgi, postremo diligentius Attici grãmaticam, quod ipsi literas grãmata vocent, appellarũt, & eos, qui ipsã alios docerẽt, grãmaticos. A Græcis autẽ, et quidẽ à Saturno primũ, inde à pelasgis vnà cũ literarũ formis, vt relatũ est Latini ipsam accipientes literaturã à literis nuncuparũt, & eos, qui illam alios docerẽt, literatos nominarũt. Quã artem latini ipsi paulatim, vt sua quaque ætate poterant, præcipuè Romani simul cũ literarũ formis, quæ & ipsæ à primo rudes fuerũt, expolierũt. Ait itaque Clemẽs alexandrinus Stromate primo. Moses genere Chaldæus fuit natus in Aegypto cũ autẽ ætate esset grandior arithmeticã, & geometriã, & rythmicã. & armoniã, & præterea medicinã, simul et musicã edoctus est ab ijs, qui erant insignes inter Aegyptios. Et præterea eam, quæ traditur per symbola seu signa, philosophiam, quã in literis ostendũt hieroglyphicis. Aliũ autẽ doctrinæ orbem tanquam puerũ regiũ Græci eũ docuerũt in Aegypto, vt ait Philo in vita Mosis. Didicit autẽ literas Aegyptiorũ, & rerũ cœlestiũ sciam à Chaldæis et Aegyptijs. Vnde in eius rebus gestis dicitur doctus fuisse in

omni ſcientia Ægyptiorum. Eupolimus *autem in libro de* Iudææ *regibus dicit* Moſen *primum fuiſſe ſapientem, & grammaticam primum tradidiſſe* Iudæis, *&* Phœnices *accepiſſe à* Iudæis, *Græcos autem à* Phœnicibus: He rodotus *autem in* Terpſicore, *vt oſtendi, apertè fatetur græcos literas, & multas diſciplinas à* Phœnicibus *accepiſſe, cum antea græci literas nullas haberent.* Et *quidem* Hebræa *lingua, vt* Aguſtinus *libro decimoſexto de* Ciuitate Dei *probat, omnibus eſt prior. quæ ait* Hieronymus *in* Sophoniam, *omnium linguarum eſt matrix.* Et *in* Eſaiã *libro vndecimo dicit & græcam, & latinam linguam ad comparationẽ* Hebrææ *linguæ pauperes eſſe. quæ ait idẽ in* Danielem, *dualem numerum habet, quem græci ſeruãt* Et *certe credibilius eſt grammaticã artem* Moſen *primũ excogitaſſe, cum antiquiſſimus fuerit.* Qui, *vt* Origines *contra* Celſum *libro ſexto tradit, græcarum literarum tẽpore longe plurimum ætate præceſſit.* Tertulianus *quoq; in* Apol. *probat* Moſen *omnium deorum gentium, atq; omnium ſcriptorum vetuſtiſſimum fuiſſe,* Ait *enim* Moſes Argiuo Inacho *par ætate octingentis penè annis ante vrbem conditam: centum ſeptuaginta* Danaũ *ipſum apud vos vetuſtiſſimum præuenit* trecentos *circiter cladem* Priami *antecedit:* Euſebius *etiam in libro de temporibus &* Tatianus, *et* Theodoritus *in libro de principijs, alijq; noſtri doctores & rationibus, & auctoritatibus probãt* Moſen *antiquiorem eſſe omnibus gentium dijs, atq; ſcriptoribus. qua grammatica arte* Moſes, *ſiue ipſe, vt credibilius eſt, ſiue quiuis alius eo antiquior eam adinuenerit*

diuinam legem, pentateucumq́; suum, & Iob historiam scripsit (fuit enim liber Iob, ait Origenes, lingua Syra scriptus, & à Mose in Hebræam translatus) quo & reliquū totum vetus testamentum fuit exaratum, & ex nouo Pauli Epistola ad Hebræos, & Mathæi Euangelium. Cæterum & Hebrææ literæ paucæ primo fuere. Ita enim Ireneus libro secundo aduersus hæreses fert. Antiquæ, & primæ Hebræorum literę, & sacerdotales nuncupatæ decem quidem fuere numero. scribunť autē quæq; per quindecim nouissima litera copulata primæ. Ante vero hanc grammaticam artem, & literarum formas cæteræ artes, ac disciplinæ, siquæ antea repertæ erant, per manus tradebantur. Verum Hebræa grammatica, quam Moses, vt credibilius est, diuino nutu excogitauit, sub paucis admodum regulis simpliciter est contenta: Eam Græci, quia verbosiores sunt, sub pluribus regulis dilatarunt, & ob id eam difficiliorem reddiderunt. Latina medium tenet: Quare probè Cicero Græcam linguam ambitiosæ meretricæ confert, quæ multo luxu superfluat, Latinam vero honestæ, ac pudicæ matronæ, cui nihil deest, quod ad honestam pertineat mundiciem. Hebræa autem lingua si Græcæ, vel Latinæ conferatur, modicum quid grammaticæ artis habere videbitur. Non enim translatis, aut compositis aut nouis à se repertis vocabulis vulgo reconditis, et ignotis vsus est in scribendo Moses, ceu Græci, & Latini egerunt, sed natiuis, communibus Hebræis vocabulis, & eis simplicibus vsus est, ratione tamē, idest arte grammatica adhibita, literis aut syllabis additis, aut detractis.

aut imutatis quo arti subderentur & à populari, quotidianoq; sermone differret. Neq; eleganter, & polutè scripsit Moses sicut multi græcorum, & latinorum, sed simplici stylo, quem imitati sunt Apostoli. *Quæ tres principales linguæ* Hebræa, Græca, & Latina Dei numine idcirco ita ex arte institutæ sunt vt per eas tanquam per tres idoneos testes (tres enim sunt in diuinitate personæ) diuina scriptura toti orbi pateret, & rudi & audaci vulgo occasio auferatur eam interpretandi, ac profanandi. quæ quia omnes barbaras linguas excellunt Christi Crucis titulo & illustratæ, & consecratæ fuerunt (His enim tribus linguis Dei nutu titulus ipse fuit inscriptus) & ob id, vt in titulis psalmi quinquagesimisexti & duorum sequentiũ prænotatur, tres ipsæ linguæ æternæ sũt vbi præcipitur, nequis ipsius tituli inscriptionem corrumpat. Licet enim Christi fides, ac doctrina per vniuersum orbem, in quo innumeræ propè dixerim linguæ inter se prorsus diuersæ sunt, disseminanda erat, non tamen omnium gentium linguis, sed his tribus principalibus tãtum linguis Christi Crucis titulus diuinitus scriptus fuit, & nouum testamentum editum. Nam Paulus Epistolam ad Hebræos, & Mathæus suum Euangelium Hebræa lingua, & ea regulari scripserunt. Marcus autem suum Euangelium latina grammatica lingua scripsit. Cætera vero quæ in nouo testamento continentur, græca lingua, & ea itidem grãmatica fuerunt, lucubrata. quorum Euangelium Ioannis, & actus Apostolorum, ait Epiphanius libro primo, de græca lingua in Hebræam translata sunt. Et

certe

certe Paulus imperitũ se esse sermone, vtiq; græco grāmatico, fatetur. Et Hieronymus in psalmũ octuagesimũ octauũ Paulũ ob imperitiā græci regularis sermonis solœcismos fecisse ait. Et Seneca monet Paulũ, quia simplici stylo Epistolas suas scribebat, ne eis sermonis ornatus deesset. Eusebius ecclesiasticæ historiæ libro secũdo & sexto ait. Marcus à Romanis rogatus scripsit Euangeliũ vt quę Petrus prædicabat ad perpetuā eorũ cōmonitionē habendā scripturæ traderet, quo domi forisq; in huiusmodi verbi meditationibus permanerēt. Petrus vtiq; Romanis nō Græcè aut Hebraicè, sed Latinè prædicauit. Quē concionandi ritũ imitati, secutiq; sũt eius successores, qui latino eloquio ad populũ in tēplis declamare soliti sũt, ita et Matthæus egit, qui, vt idem Eusebius eiusdē voluminis libro tertio scribit, cũ primo prædicasset Hebræis, & ad gētes trāsire pararet patria lingua scripturā cōposuit ea, quæ prædicauerat, cōprehendenīē, quā Hebræis ipsis admemoriā reliquit. Damasus etiā Romanus pōtifex quatuor Euāgelia tribus linguis Hebræa, Græca, & Latina scripta, eaq; à beato Petro Apostolorũ principe approbata fuisse his verbis ōndit. Beatus petrus igressus est in vrbē Romā Nerone Cæsare, ibiq; sedit in cathedra epātus ānis .xxv. mēsibus .ii. diebus .iij. Fuit autē tpībus Tiberij Cæsaris, et Gaij, et Tiberij Claudij, et Neronis. Hic scripsit duas epistolas quæ catholicæ, ac canonicæ noiantur, et Euāgeliũ Marci, qd Marcus auditor eius fuit, et filius à baptismo. Post oēm q̄tuor Euāgeliorũ fontē, quæ ad interrogationē, et testimonio eius, hoc est Petri, firmata sũt, dũ alius

Græcè, alius Hebraicè, alius latinè consonent, tamen eius testimonio sũt confirmata. Et Canthaguzenus Imperator græcus homo contra Maumetum ait. quatuor scripserunt Euangelium vnus nomine Matthæus, qui Hebraicè scripsit Palestinæ, & Hirosolimæ. Alius Marcus latinè scripsit in Italia, & Romæ, & in omnes partes occiduas. Lucas Græcè edidit in Ethiopia, Asia, Persia, India, & Arabia, Ioannes & ipse Græcè scripsit in partes Europæ et in insulas, & ita Euangelium disseminatũ est per omnem orbem terrarum. Augustinus etiam libro primo de mirabilibus sacræ scripturæ nouum testamentum tribus his linguis scriptum fuisse astruit. Ait enim. Omniũ linguarum noui testamenti tempore tribus linguis Hebraicæ vtiq; Græcæ, & latinæ principatus committitur. Quia in eis Crucis Christi titulus literis Hebraicis, Græcis, & Latinis scriptus Euangelica auctoritate perhibetur. Et in psalmũ quinquagesimumquintum. Christi Crucis titulus erat inscriptus Hebraicè Grecè & latinè, tribus linguis; tanquam tribus testibus titulus approbatus, quia in ore duorum, vel trium stabit omne verbum. Et in psalmum quinquagesimumoctauum. Titulus inscriptus est à Pilato, & positus Rex Iudęorum tribus linguis Hebræa Græca, & Latina, quæ linguæ toto orbe maxime excellunt, Et Hieronymus in Esaiam, Nemo scandalizari debet quòd dicatur apud Hebræos spiritus genere femino, cũ nostra lingua appelletur genere masculino, et græco sermone neutro. In diuinitate enim nullus est sexus. et ideo tribus principalibus linguis, quibus titulus Domini

cæ scriptus est Passionis, tribus generibus appellatur, vt sciamus nullius esse generis, quod diuersum est. Et in Marcum spiritus sancti auctoritate has tres linguas æternas esse ostendit. Ait quidē. Et erat titulus causæ eius inscriptus Rex Iudeorum, quod in titulis prænotatur psalmorum, in finē ne corrūpas, & hoc tribus linguis rex cōfitentium. Hæ tres linguæ in Crucis titulo coniūctæ sunt vt omnis lingua commemoret perfidiam Iudæorum. Item Arnobius in psalmum centesimum septimum. Et diuidam siccimam Apostolis, & conuallem tabernaculorum eius dimetiar in tres partes: ita vt ipsas tres partes in vno regno coniungam, vt sit trinitas Dei in trinitate populi Hebræorum, Græcorum, & Latinorum, & ex his tribus eatur in cunctis partibus mundi, vt nostri sint omnes per fidem, qui sine fide esse non possunt. Adhuc Nicolaus Romanus Pontifex huius nominis primus ad Michaelem Imperatorem græcum hominem scribens, qui eò furoris prorupit vt latinæ linguæ detrahens ei conuitium irrogaret, sic ait. Latina lingua inter cæteras in nomine domini, hortante Apostolo, confitetur · quia dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei patris, & quæ cum hebræa, atque græca in titulo domini à reliquis discreta, insignem principatum tenens omnibus nationibus prædicat Iesum Nazarenum Regem Iudæorum: quem titulū multi Iudæorum corrumpere voluerunt, sicut vos nunc huius celeberrimæ linguæ tentatis insigne destruere, sed minime valuerunt. Scriptum quippe diuinitus fuerat in libro psalmorum ne corrumpas tituli inscriptionem. Cum enim barba

ri omnes vt insensata animalia viuant. Deum verum nesciant, ligna, & lapides adorēt in eo ipso quo verū D. ū colit lingua latina quantū barbaram liguam antecedat agnoscitur. Ecce quotidie imⁿo vero in præcipuis festis diebus inter græcā linguam veluti quidpiam pretiosum latinā linguam miscetis, Istius enim dictione linguæ Cōstantinopolitana ecclesia lectionem Apostolicā, & Euangelicā in stationibus fertur primitus recitare. Itaq; iam perlatè patet has tres linguas diuinitus & ex arte institutas esse, eisq; et Christi Crucis titulum, et nouū testamentū diuinitus scriptū. quæ tres linguæ haud dubiū, vt dixi, æternæ sunt, sicut diuina ipsa scriptura est æterna. Natiuus vero popularis, cōmunis, et publicus hebræus sermo deprauatus fuit à barbaris. Equidem regum tempore Hebræa popularis lingua omnino diuersa erat à syra, quę eadem, vt Crisost. & Hier. aiunt, & Chaldea dicitur, vt Hebræi, & Syri, se inuicem intelligere nequissēt, ni Hebræi Syram, et siri Hebræam linguā dedicissent. Id quod latissimè patet in Esaia: Vbi Hebræorum procerum quidam, qui Sirā linguā callebant, Rabsacem Syrum qui Hebraicè loqui sciebat, ita compellant. Loquere ad seruos tuos Syra lingua, intelligimus enim, ne loquaris ad nos iudaicè in auribus populi, qui est super murum. Nūc, quia trāsuersum digitum ab instituto discessisse videor, ad rem reuertamur. Et quo tempore latina literaria lingua originem habuit, ac per quot ætates correpta, vt sua quaq; ætate fieri potuit, peruenit ad summum ostēdamus. Et licet per omnem, vt creditur, ætatem correpta fuerit, tamē

per quinq; præcipuè ætates fuit emendata. Nam quinq; temporis curricula ab ortu suo ad Ciceronis ætatem quo tempore latina ipsa lingua, atq; eloquentia ad summum peruenit, enumerantur. A Saturno ad Euandrum. Ab aduentu Euandri, qui, vt ostendi, Fauno Latini patre regnante annos sexaginta ante Priami cladem venit in Latium, et literas, & grammaticam artem emendatiores aduexit, ad ea tempora, quibus Latinus ætate, vt creditur, senex eam, vt temporibus illis, emendauit, & auxit. A latino ad Numam. A numa ad Liuium poetã. A Liuio ad Ciceronem. Et ita paulatim tanquam per tot gradus, atq; ætates ascendit ad summum, quo tempore, vt dixi, latina lingua exquisitè, ac perfectè expolita fuit. quæ tan diu vigebit, quandiu sæculum durabit. Licet non longe post Ciceronis sæculum sensim retroferri, minuiq; cœpit, non equidem latina lingua, quæ vel post Ciceronem à plerisq; claris, atq; eruditis latinæ linguæ auctoribus aucta est, atq; vnà cum vrbe Roma. cum fide & ecclesia Romana, Romanoq; Imperio æterna erit, sed eloquentia. quam à plerisq; neglectam esse multi periti viri, latinæq; linguæ, atq; eloquentiæ studiosi grauiter questi sunt. At reuiuiscet tandem cũ fide, Imperioq; ipso Romano. Ennimuero latinam regularem, & literariam linguã Saturnus, qui iam senex à filio regno exactus cum diu errasset, vt Ouidius in fastis ait, Iano regnante concessit in latium, cui in regnũ succeßit. grãmaticã artem et literas ex Attica, vbi aliquando, vt Tertul. ait commoratus est, secum deferens primus latinis populis tum rudibus

dedit tradidit, at rudem tamen admodum. Equidem Cyprianus, vt dictum est, Saturnum primum literas in Latio effinxisse ait. Quod ex veterum auctorum scriptis eruisse atque excerpsisse haud dubie quidē censendum est. Licet apud Eutropium, vt retuli, quidam Saturni nurū, Pici vxorē, Fauni matrē primū literas in Latio finxisse velint Quod quomodo muliercula illa efficere potuerit, nisi à socero didicisset, non video. Ante autem Saturnum Latinos populos literas habuisse nusquam legitur. Quinetiam rudes admodum eos fuisse multi è nostris testatum relinquerunt, vt Virgilius, Horatius, Ouidius, Liuius, alijq́;, vt nec quidem colendi agros peritiam aliquam haberent. quos ipse ad vrbanitatē latis à se legibus, sacrisq́; traditis, deduxit. Nisi forte quis dixerit Ianum Græcum & ipsum hominem literas, & artem grammaticam è Græcia in Latium aduexisse, & Latinos populos legibus, & bonis institutis formasse. quod ipsum tamen Saturno omnes tribuūt. Qua de re ita Euander apud virgilium libro octauo Æneam alloquens fatus est.

Hæc nemora indigenæ Fauni nymphæq́; tenebant,
Gensq́; virūm truncis, & duro robore nata.
Queis neque mos, neque cultus erat, nec iungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto.
Sed rami, atque asper victu venatus alebat.
Primus ab ætereo venit Saturnus olympo
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, ac sparsum montibus altis
Composuit, legesq́; dedit, Latiumq́; vocari

Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris:
Aureaq; (vt perhibent) illo sub rege fuere
Secula. sic placida populos in pace regebat.

Non quidem leges componere, & ferum illum, atq; agrestem populum tanta pace regere poterat Saturnus nisi græcis literis, vt tẽporibus illis, eruditus esset. Iã enim ostendimus Græcos literas, & grammaticam artem à Phœnicibus accepisse. De grammatica vero arte, latinitateq; rudi, & metro, quo Latini populi sub Saturno vsi sunt, meminit Horatius in Epistolis. Et quidem ruditas illa, ac rusticitas latinitatis Saturni multa sæcula durauit, vt Horatius ipse in secundo Epistolarum libro scribit. Nã Græcia, & Carthagine Imperio subactis Romani græcis literis attentius, & studiosius operam nauantes latinam linguam expolierunt, & liberales artes, cæterasq; disciplinas tractare cœperunt. Ait quidẽ Horatius ipse:

Græcia capta ferum victorem cœpit, & artes
Intulit agresti Latio sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, & graue virus
Munditiæ pepulere. sed in longum euum
Manserunt, hodieq; manent vestigia ruris:

Inde Euander Arcas ex Arcadia in Latiũ traijciẽs literas emẽdatiores ijs, quas Saturnus deuexarat, et artẽ grãmaticam aliquanto lautiorẽ (græci enim ipsas paulatim, vt dixi, expolierunt) secum transtulit, & Latinis tradidit. qui & leges, & artes, & studia, & vocabula multa græca eis, vt ostendi, dedit. Et certè ex Ennij testimonio perlatè patet Faunum nepotem Saturni carmina composuisse

se, haud dubio quidem & alios tum poetas, vt temporibus illis, extitisse. Licet posteritas ethnicorum more Faunum, et Faunam eius sororem filios Pici in deorum numerum retulerit. quam Faunam C. Basus, apud Lactantium in libro de falsa Religione, Fatuam nominatam tradit, q mulieribus fata canere cōsueuisset, vt Faunus viris. Quos tamen veteres poetas Ennius ipse, q rudè scripsissent, contemnebat, vt Cicero in Oratore scribit, qui ait. Ergo Ennio licuit vetera contēnenti dicere versib' *quos olim Fauni vatesq; canebant. Et in Bruto. Nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poetæ, quod ex eis carminibus intelligi potest, quæ apud illum & in Phœacum, & in procorum epulis canuntur. Quid nostri veteres versus vbi sunt? Quos olim Fauni, vatesq canebant. Aristoteles in poetica ante Homerum plura heroica poemata extitisse asserit, & si inquit, ante eum nullum omnino tale poema habemus: et rursus. A principio, inquit, tragœdiæ & comœdiæ rudes, & informes erant. Et Varro, vt ad Faunos redeā, lib. sexto linguæ latinæ de Faunis ipsis ait*

Versus, quos olim Fauni vatesq; canebant.

Fauni Dei latinorū, ita vt Faunus & Fauna sint in his versibus, quos vocāt Saturnios in syluestribus locis tradi tū est solitos fari, quo fando Faunos dictos. antiquos poetas vates appellabant à versibus viēdis. Et quidem censendū haud dubie est aut Saturnū, aut Faunū salios sacerdotes Herculi, qui et Mars dicit, instituisse primum, & saliaria carmina, quæ sacerdotes ipsi canerēt, edidisse, et eos, cæterosq; latij reges latinarū, græcarūq; literarū studia, vt tē-

poribus illis, in claris latij opidis disposuisse. Inde Roma cõdita Numa apud Romanos salios sacerdotes Marti instituit, & saliaria carmina clariora edidit. Virg. enim lib. octa. cũ Euãder Æneã hospitio excepit ante arã salios carmine cecinisse Hectoreas laudes his verbis oñdit.

Tum salij ad cantus incensa altaria circum
Populeis ad sunt euincti tempora ramis.
Hic iuuenum chorus, ille senum qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt,

Et certe apud Tyburum Laty vrbem salij sacerdotes Herculi instituti erant. Vñ Octauius Hersenius apud Macrobiũ Sat. lib. tertio de sacris saliaribus Tiburtium salios Herculi institutos, operari diebus certis, et auspicatò docet. Et Antonius Enipho sa'ios Herculi datos probat. Et Hercules apud Pontifices idem, qui & Mars habetur. Id etiã probat Varro in Menippea. Et Chaldæi stellam Herculis vocãt, quã reliqui oẽs Martis appellant, Macrobius salios Herculi assignat propter vbertatem doctrinæ altioris. Inde Latinus rex latinam ipsã linguã, artem q; grãmaticam diligentiã adhibẽs, vt valuit, emẽdauit, expoliuit, et auxit verba fingẽdo, et innouãdo. Id quod etiã Eutropius libro primo scribit. Et Afranius apud Macrobiũ Sat. lib. sexto arguẽtibus se ꝙ plura sũpsisset à Menãdo respõdens fateor, inquit, sũpsi, nõ ab illo modo, sed vt quisq; habuit, quod conueniret mihi quodq; me nõ posse melius facere credidi ẽt à Latino. & Varro libro primo de lingua latina ait. Nõ videbat consentaneũ, me eo in verbo, quod finxisset Ennius, causã negligere, quod ante rex Latinus finxisset. Cũ

poeticis multis verbis magis delecter, q̃ vtar, antiquis & magis vtar q̃ delecter. An non potius mea verba illa quæ hæreditate à Romulo venerunt, quàm quæ à poeta Liuio relicta? Et libro sexto ante Numam latinos poetas extitisse asserit et si verba eorum accepta à posteris nõ sint propter nimiam vetustatem, Sed à Numæ tantum tempore poetarum verba à posteris sunt recepta, ait vtiq;. Ad hoc quid ad verborum poeticorum ætatem? Quorum si Pompilij regnum fons in carminibus saliorum neq; ea à superioribus accepta, tamen haberent septingentos annos hinc ad initium saliorum, quo Romanorum prima verba poetica dicunt latina. Albæ quoq; latinos poetas fuisse liquet. Vnde quidam & poetas illos veteres, & scriptores alios commedabant, vt Horatius in secundo Epistolarum libro scribit. vbi ait.

Sic fautor veterum, vt tabulas peccare vetantes
Quas bis quinq; viri sanxerunt, fœdera regum
Vel Gabijs, vel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum.
Dictitet Albano musas in monte locutas

Macrobius quoq; Sat. libro quinto vetustissimorum carminum meminit, vbi ait. In libro vetustissimorum carminũ qui ante omnia quæ à Latinis scripta sunt, compositus ferebatur, inuenitur hoc rusticum vetus canticum. (tes:
Hyberno puluere, verno luto grãdia farra camille me)
Romulum item & Remum latinis, græcisq; literis Gabijs Latij vrbe instructos fuisse nõnulli volunt. Dionysius enim Halicarnaseus libro primo de eis loquens inquit. Postq̃

autem lactendi tempus elapsum est, datos esse dicunt pueros ab educatoribus in Gabios vrbẽ haud procul Palantio, vt disciplinam græcam perciperẽt, atq; ibi ab hospitibus priuatis Faustuli esse nutritos, & literas, & musicã discentes, & armorum grecorum vsum vsq; ad pubertatem. Id etiam Plutarchus in Romulo asserit, eosq; studijs liberalibus intentos fuisse ait. Et libro secundo Dionysius ipse infit. Romulus Camerinis superatis secundum triumphũ duxit, currumq; æreum Vulcano obtulit, posuitq; propè effigiem suam, literis inscribens græcis res suas gestas. Et certe vrbem non ita sapienter cõstituisset, regissetq;, neq; tot præclaras leges, & instituta latina lingua scriptas Romanis dare potuisset si latinarum, græcarũq; literarum ignarus fuisset, quas omnes leges & Romuli, & sequentium regum Sex. Papirius suo ordine in vnum volumen redegit. Inde Numa Pompilius secundus Rex Romanorum eam ipsam latinam linguam vnà cũ literarum formis aliquanto etiam melius, vt credibile est, emendauit, cum ipse perpetua fruitus pace fuerit, & in ferendis legibus, vrbeq; exornanda, atq; optime gerenda operam maximo nauauerit studio. Ipse enim etiã Romanis leges dedit latino grammatico eloquio scriptas. qui, ait Liuius libro primo, consultissimus vir fuit, vt illa quisq; ætate poterat, omnis diuini, atq; humani iuris. A Pythagora philosopho Crotone disciplinis institutus, & si id quidam abnuant. Plutarchus vero in Numa quosdam scripsisse refert, Numam Pythagoræ philosophi Crotoniẽ discipulũ fuisse. Et Hieronymus aduersus Iouinianũ ad

Iam dederat Saliis à saltu nomina dicta
Armaq; & ad certos verba canenda modos.

Item Cicero libro tertio de Orat. inquit. *Nihil est autem tã cognatũ mentibus nostris, quam numeri, atq; voces, quibus & excitamur, & lenimur, & languescimus, & ad hilaritatem, & ad tristitiam sæpe deducimur. Quorũ illa summa vis carminibus est aptior, et cantibus, non neglecta, vt mihi videtur, à Numa rege doctissimo, maioribusq; nostris, vt epularũ solenniũ fides ac tibiæ, saliorũq; versus indicant.* Plutarchus etiã in Numa ait. *Numa saliorum carmen cum pyrichij modulo absolutum edidit.* Et Diomedes grãmaticus libro tertio ait. *Numã Pompilium diuinare præditum spondeũ pedem pontificiũ appellasse memorant: cũ salios iuniores æquis gressibus circulantes inducerent, spondeo melo patrios placaret indigetes.* Varro sæpe saliaria carmina citat. Scripsit Numa septẽ libros græca lingua oratione soluta Pythagoræ philosophiæ præcepta continentes, & septẽ alios latinè de iure pontificio. Qui libri sub Ianiculo in agro L. Petilij scribæ in arca lapidea inuenti sunt: & græci igni traditi, latini magna diligentia asseruati, vt Liuius libro quadragesimo, & Val. Max. libro primo, et Plinius libro tertiodecimo tradunt. Legum vero quarũdam Numæ meminit Sex. Pompeius. Pomponius etiam de origine iuris ait. *Extabat liber sex. Papirij legum Romanarum qui fuit ijsdem temporibus, quibus Superbus regnabat.* Cæterum tribus primis latinæ linguæ, veluti hominis, ætatibus, vt putà eius veluti tenera, & inualida infantia à

cunabulis suis à Saturno ad Euandrum · & ab eo veluti pueritia ad Latinum, & à Latino veluti adolescentia ad Numã quamq̃ ars ipsa grammatica, latinaq; lingua rudis erat, nec adeo fortasse homines delectabat, tamen opinari licet per eas ætates plerosq; & poetas, & alios latinos scriptores, extitisse, tũ maxime a Latino ad Numã, qui græcos imitati et metro, & pedestri oratione scripserunt, & si rudè, & impolitè. A Numa vero quasi in iuuenem, & virũ erecta latina ipsa lingua ad Liuij poetæ tẽpora itidem permultos latinos scriptores extitisse liquet, qui latina græcaq; lingua, vt temporibus illis, eruditi maiores suos latinos scriptores, & græcos imitati latinè scripserunt · & maximè historias, & quæ ad ius ciuile spectabant, et carmina confecerũt, et si nõ admodũ politè, ac sine verborũ delectu, emendatius tamen q̃ illi superiores. Et certe mos erat vt currũ triumphantiũ carmina triumphalia canentes nonnulli sequerentur, vt in Liuio libro tertio perlate patet vbi scribit q; epulantes Quintij triumphantis currũ cum carmine triumphali secuti sunt, qui trecentesimo anno post triumphauit, quàm condita Roma erat, centesimo decimo ante quàm Liuius fabulam dedit. Sed eorum monimenta vetustas, quòd rudis esset, obliuione obruit, Nec defuere temporibus illis iureconsulti, qui leges regum interpretarentur. Non enim sine doctrina, ac disciplina & reges ipsi, & alij Romanorũ magistratus ab initio vrbis, & deinceps remp. tam preclarè administrassent. Vnde Cicero Tusc. libro primo ait. A primo vrbis ortu Regijs institutis partẽ etiam legi-

bus auſpicia, cerimoniæ, comicia, prouocationes, patrum consilium, equitum peditumq́; deſcriptio, tota res militaris diuinitus eſt conſtituta. Poetica autem ad Liuij tempora, qui primus ſuos libros digeſſit in ordinē, & fabulā dedit, apud latinos haud multi fiebat. quocirca poetæ latini minime aut cogniti ſunt, aut in poſterorum memoriam eorum ſcripta non peruenerunt, & ſi per multi vt dixi, poemata ſcripſerint. Enimuero, præter ea quæ hac de re dicta ſunt, ante Liuij tempora multis ſæculis & poeſim, & eloquentiam apud Romanos floruiſſe, orationes vero haberi cœptum eſſe Seruio Tulio regnante, quo tempore oratores viguerunt, Cicero grauiſſimus, & locupletiſſimus auctor imprimis, & antiquitatis exactiſſimus indagator in Bruto ſcribit. Sed eorum oratorum, cæterorumq́; ſcriptorū monimenta ad ſuam memoriam nō perueniſſe, nec digna eſſe proferenda, ſi perueniſſent, præter Cethegi ſcripta quædam: Quòd, inquit, vetuſtas hūc, vt alios multos, obliuione obruiſſet. Illius autem ætatis, qui ſermo fuerit, ex Næuianis ſcriptis intelligi poteſt. Et paulopoſt de Catone loquens ait. Antiquior eſt huius ſermo, & quædam horridiora verba ita enim tum loquebantur. Vbi enumeratis aliquot claris oratoribus, qui per ſucceſſiones temporum poſt exactos reges floruere, cū ad Cethegum ipſum peruenit ita de eo dicit. Nec vero habeo quempiam antiquiorem cuius quidem ſcripta proferēda putem, niſi quem Appij Cæci oratio hæc ipſa de Pyrrho, & nōnullæ mortuorum laudationes forte delectent, & hercule hæ quidem extant. Et ruſus. Liuius,

qui primus fabulã C. Claudio Cæci filio, et M. Tuditano cons. docuit anno ipso ante quam natus est Ennius post Romam conditam autem quadringentesimo decimo. Et paulopost. Atq; vtinam extarent illa carmina, quæ multis sæclis ante suam ætatẽ in epulis esse cantitata à singulis conuiuijs de clarorum virorum laudibus in originibus scriptum reliquit Cato. Tamen illius, quem in vatibus, & Faunis enumerat Ennius, bellum punicum, quasi Myronis opus delectat. Sit Ennius sanè, vt est certè, perfectior, qui si illum, vt simulat, contemneret, non oĩa bella prosequẽs, illud punicũ primũ acerrimũ bellũ reliquisset. Sed ipse dicit. cũr id faciat. Scripsere, inquit, alij rem versibus. Et luculentè quidem scripsere, & si minus quàm tu, politè. Et in prohœmio Tusc. quæst. Serius poeticam nos accepimus. Annis enim fere quadringentis decem post Romam conditam Liuius fabulam dedit C. Claudio Cæci filio M. Tuditano consulibus, anno ante natum Ennium, qui fuit maior natu, quàm Plautus et Næuius. Sero igitur à nostris poetæ vel cogniti sunt, vel recepti. Quanquam est in originibus, solitos esse in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum hominũ virtutibus. Honorem autẽ huic generi non fuisse, declarat oratio Catonis, in qua obiecit vt probrum Marco Nobiliori, quòd is in prouinciã poetas duxisset: duxerat autem consul ille in Ætoliam, vt scimus, Ennium. quo minus ergo honoris erat poetis, eò minora studia fuerunt. Et libro quarto. Nam carminibus solitis illi esse dicantur, & precepta quædam occultius tradere, & mentes suas à cogitationum intentione cantu,

fidibusq;

fidibusq; ad tranquillitatem traducere, grauissimus au-ctor in originibus dixit Cato*, morem apud maiores hunc epularum fuisse, vt deinceps, qui accubarent canerent ad tibiam clarorum virorum laudes, atq; virtutes,* Ex *quo perspicuum est, & cantus tum fuisse rescriptos vocum sonis, & carmina. quanquam id quidem etiam duodecim tabulæ declarant, condi iam tum solitum esse carmen: quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam, leges sanxerunt.* Nec *vero illud non eruditorum temporum argumentum est, quòd deorum puluinaribus, & epulis magistratuum fides præcinunt. quod proprium eius fuit, de qua loquor, disciplinæ.* Mihi *quidem etiam* Appij Cæci *carmen, quod valde* Panetius *laudat epistola quadam, quæ est ad* Q. Tuberonem Pythagoreorum *videtur.* Multa *sunt etiam in nostris institutis ducta ab illis, quæ prætereo, ne ea, quæ peperisse ipsi putamur, aliunde didicisse videamur.* Et Varro *in* Vita *populi* Romani *apud* Nonium Mar. *de veteribus carminibus, quæ in conuiuijs canebantur, ait: Pueri modesti in cōuiuijs cantabant carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum et assa voce, et cū tibicine.* Horatius *quoq;* Epistolarū *libro secundo dicit* ꝙ *à* Liuio *tantum latini poetæ habiti sunt, qui sua scripta in corpus redegerunt, et in libros digesserūt.* Proinde *latissimè, patet ab ortu ipso latinæ linguæ latinos scriptores semper extitisse, qui græcos imitati et carmina, & pedestrem orationem componebant.* Verum *veteres illi vel quidem certe vsq; à* Liuio *per multa tempora rudè scripsere et impolitè sine cultu, ac fine verborum delectu aliquo.*

Q

Quare Cicero in Bruto ait. Liuianæ fabulæ non satis dignæ sunt, quæ iterum legantur & Ouidius libro secundo de Tristibus de Ennio ait.

Vtq; suo Martem cecinit grauis Ennius ore
Ennius ingenio maximus arte rudis.

Et alibi priscos durè locutos scribit. Scripsit autem Liuius ipse, ait Gellius libro decimo octauo, post primum punicum bellum. Inde Næuius. Post secundum bellum punicum Plautus, & Ennius iam senex. Inde Cæcilius, et Terentius. subinde Pacuuius, quo sene Accius, & Lucilius: qui omnes græcis literis erant eruditi. Quorum Ennius, Pacuuius, et Accius, ait Cicero Academico primo, nõ verba, sed vim græcorum expresserunt poetarum. Et de Fin. libro primo. Locos quosdam ab Homero Ennius transtulit, Afranius à Menandro. Plautus etiam, ait Gellius libro tertio, veterum poetarum comœdias retractauit, & expoliuit. Et quamq̃ latini scriptores tum maxime poetæ semper græcos imitati sunt, tamen post punica bella, Carthagine Imperio subacta attentius, ac diligentius discipli nis vacantes græcos ipsos imitati sunt. Id quod etiam Horatius Epistolarum libro secundo scribit. Qui de Latino Romanoq; populo loquens ait.

Serus enim græcis admouit acumina cartis.
Et post punica bella quietus quærere cœpit
Quid Sophocles, & Thespis, & Eschylus vtile ferrẽt.

Ciceronis autem ætate, quo tempore præclara ingenia floruerunt, latina lingua, atq; eloquentia ad fastigium per ætates perueniens perfecta fuit, et vber. Licet non de

fuerint posterioribus tēporibus clari auctores, qui eā magis acmagis augere, et ditare studuerūt. In qua cur plura synonima sint ostendere operæpretiū esse reor. Tribus enim de causis id factum esse reperio. Nam, vt persæpe dictum est, è Latio vocabula sumebantur, & in latinā regularem linguam referebantur sed præter ea vocabula, quæ toti latio communia erant, quædam latij oppida vocabula quædam inter se diuersa habebāt, vt putà quidam è latinis populis dicebant cito, quidam subito, quæ omnia, quia clara sunt in latinam linguam relata sunt. quædam vero vocabula ab ipsis latinæ linguæ auctoribus ficta sunt, vt sæpe dictum est, nō nata. Id ipsum in Attica lingua factitatum est. quædam à græcis sūpta sunt: et ita plura synonima sunt in latina lingua. A cuius ortu ad nostram memoriam nongenti anni aut circiter, supra duo millia annumerant. Ab aduentu enim Saturni, qui Iano regnante venit in Latium, ad Ilij exidium anni fluxere centumquinquaginta. Nam Euander sexaginta annis ante captiuitatem Troiæ in latium concessit. Ab Ilio capto ad vrbem conditam, ait Solinus, anni quadringenti triginta tres supputantur. Ab vrbe condita, ait idem, ad consulatum Augusti decimumoctauū ætatis annum agentis anni intercessere septingenti quadraginta. Ab eo consulatu ad Christi natale anni sunt octo & triginta. A Christi Natali iam annus agitur hic millesimus quingentesimus quinquagesimus quartus. Igitur ab aduentu Euādri annus est hic vigesimus quintus supra duo millia octingentos. Ab aduentu vero saturni hucusque anni abierunt

duo millia nongenti quindecim, Paulo amplius, aut minus. Græca vero lingua à Cadmo ad hanc ætatem ad tria millia circiter annorum floruit. Proinde græca lingua latinam centum tribus annis ætate præcedit. Siquidē si Eusebio creditur, ducentis quinquaginta tribus annis post Troia euersa est, quàm Cadmus ex Tyro Phœniciæ vrbe in Bœotiam concedens & literas, & grammaticā artem primus in grætiam secum afferens Thebas condidit. Itaq; ab aduentu Cadmi in Boeotiam ad aduentum Saturni in latium, qui primus literas, & grammaticam artem in illud aduexit, anni sunt centum tres, paulo amplius. Non enim rem compertam habeo quo anno regni Iani Saturnus in Latium venit. Fieri tamen potest vt ab initio regni eius venerit, qui regnare cœpit ante centum quinquaginta annos, q̄ Troia ruerat, Ab aduentu vero Cadmi in Bœotiam ad aduentū Euandri in Latium anni effluxerunt centum nonaginta tres, nihilo amplius. Itaq; viguit iam tot sæcula, viget'q; modo, atq; vigebit in omne æuum Latina Romanaq; lingua dirumpantur licet, ac torqueantur liuore, et peruersitate eius infestissimi hostes ignorantes, plebeij doctores, populares philosophi, vulgares grammatici, virtutum omnium osores. Et deintegro vnà cum fide Romana, atq; Imperio Romano ad citimas vsq; Orbis terrarum oras redibit. Id quod iamiam futurum esse nemo sapiens, prudens'q; non videt. Et horum temerariorum, atq; insolentium vanitas, ac nugacitas, qui latinam ipsam linguam flocipendentes modis omnibus perdere contendunt, iam propediem in bullæ morē

euanesceret. Nũc autem, quia iam quo tempore latina, nec non & græca regularis, grammaticaq; lingua initium habuit perspicuè ostendimus, interest vt vel de augmento eius aliquid dicamus, vt intelligant quo in errore versentur qui, tot latinæ linguæ auctoribus repudiatis, ac reiectis, non nisi Ciceronem volunt. Equidem omnes boni, latinæq; linguæ studiosi & amantes, vt quisque potuit, vel à principio ipso, & maxime omnium Cicero, enixum elaborarunt, quo eam augerent, locupletarent, & expolirent, atq; exornarent & vocabulis, & eis lectissimis, & elocutionibus, & sententijs, & disciplinis, neue græcis inferiores essemus, neue eorum egeremus institutis monentq; alios, vt eam augeant, ditent, & exornent. Et quidem Saturnus, vt dixi, cæteriq; Latij reges, & præcipuè Latinus eam augere, ac ditare, vt temporibus illis, studuere. Atq; & Gabijs, vbi Romulus & Remus peregrinis, græcis inquam, & patrijs latinis literis eruditi sunt, & Tyburi, & Albæ, cæterisq; Latij oppidis latinæ, græcæq; linguæ studia disposuerunt. Et quanq; latina ipsa regularis grãmaticaq; lingua è natiuo, populari, quotidiano, communi, & publico Latio sermone facta, ac sensim aucta sit, ex omniq; Latio verba sumerentur, tamen postea ex vrbe potissimè verba sumi placuit, quòd vrbana clariora, & speciosiora sint. quamobrem monet passim Cicero ex L. Crassi persona vt Romanam præcipue vocem sequamur, Idq; tum in vulgari, & quotidiano sermone, tum in latino, idest, in deligendis è medio, & in latinitatem referendis

vocabulis, vtq; rusticam asperitatē, & peregrinam insolentiam, qualis est Tusca, fugiamus. Iubetq; nihil addi, aut mutari, aut detrahi ex latijs, Romanisq; natiuis vocabulis. Romani enim, quòd suo natiuo latio sermone loqui gauderent, studebant diligenter, vt dixi, in quotidiano, et communi loquendi vsu non nisi suis latijs, Romanisq; vocabulis vti, ne peregrinis, barbaris, ac rusticis assuefacerēt se, neue inconsultò in regularē sermonem peregrina, barbara, et rustica vocabula pro Romanis latijsq; (deligebantur enim è medio & in latinitatem referebantur etiā tum, etiam longe post Romana, latiaq; vocabula) referrent. qui & in regulari, & in vulgari sermone latinè nō barbarè loqui elaborabant. Quales præter cæteros, erāt permulti, qui à Cicerone ipso vulgò laudantur, inter quos erat L. Flaminius, qui tamen literas nesciebat: quales etiā erant, vt de mulieribus loquar, præter alias, Lælia, ac Cornelia antiquitatis studiosæ. Nimirum natiui, vernaculi, quotidiani, publiciq; sermonis vsum, optimamq; enunciationem, quam haud minoris, q̄ latia ipsa vocabula & Cicero, & alij faciunt, penes mulieres tenacius seruari, vt seruatur quidem, & Cicero ipse, & Plato, vt ostendi, scribunt; quod peregrinorum loquendi cōsuetudinem nō habeant, ait itaq; Cicero ipse libro tertio de Oratore. Suauitas legendi, & loquendi, quæ exit ex ore. quæ quidem vt apud Græcos Atticorum, sic in latino sermone huius est vrbis maxime propria. Et paulopost. Eruditissimos homines Asiaticos quiuis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sono vocis, nec tam benè; q̄ suauiter loquendo

facile superabit. Et mox. Quare cum sit quedam vox Romani generis, vrbisq́; propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animaduerti possit, nihil sonare, aut olere peregrinum, hanc sequamur, nec solū rusticam asperitatem, sed peregrinam etiam insolentiam fugere discamus. Equidem cum audio socrum meam Læliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem, conseruant, quam multorum sermonis expertes, ea tenent semper, quæ prima didicerunt) sed eam sic audio, vt Plautum mihi, aut Næuium videar audire. Sono ipso vocis ita recto, & simplici est, vt nihil ostentationis, aut imitationis afferre videatur, ex quo sic locutum eius patrem iudico, sic maiores, non asperè vt ille, quem dixi, non vastè, non rusticè, non hiulcè, sed pressè, & æqualiter, & leniter. Quis est igitur tam iudicij inops, tamúe inscius, & ieiunus, vt dicat Ciceronem hic ex Crassi persona de latino literario sermone locutum? Vt latinus regularis sermo tenacius apud mulieres, quam apud literatos, & eruditos homines, immo quàm in bonorum auctorum, & grammaticorum scriptis custodiretur? Cum dicat eam Plautina, & Næuiana verba efferre, eaq́; optime enunciare. Quasi etiam regularis ipse latinus sermo corrumpi possit à peregrinis. Cum his verbis Cicero ostendat Læliam antiquitatis studiosam in communi & quotidiano loquendi vsu antiquitate vsam fuisse. Nam virorum multi ob barbarorum in vrbem frequentiam, quibus cum versabantur, inquinatè loquebantur. Quoniam autem Plautus, et Næuius castè, purè, atque optimè latinè locuti sunt latiis tātum vocabulis,

& tis claris non peregrinis, non rusticis, non duris vsi, & Romana quotidiana, vulgarisq; lingua idm à barbaris aliquantisper, vt ostendimus, viciatu fuerat; Lælia, præter cæteros Romanos, tũ quia mulieres, vt relatũ est te nacius antiquitatẽ seruant, tũ quia antiquitatis sectatrix erat, in quotidiano, communiq; loquendi vsu Plautinis et Næuianis vnà cũ cæteris vulgi vocabulis (studebãt enim vel nonnullæ Romanæ mulieres, vt dixi, latinis literis (vti studebat, ne barbara voce assuesceret. Et non modo Lælia ipsa summo studio latijs tantum vocibus in communi, vulgariq; sermone vti enitebatur; sed alij quoq; omnes, qui barbarã, & rusticam vocem abhorebant, & detestabantur. Nunc quidam, vel vanæ mulieres, barbariei patroni, non è Plauto, aut Terẽtio, aut aliquo alio optimo latinæ linguæ auctore, sed è putidis lacunis, ex impurissimis inquam vulgaribus libellis putida, & insolentia vocabula exhauriunt. Quintilianus quoq; libro primo nos latiam tantum vocem, tum maxime Romanam sequi iubet, vt videlicet in latinam grammaticã regularemq; linguã (diligebantur enim etiam tunc è medio vocabula; & in latinam linguam referebantur) nonnisi latia, tum maxime Romana vocabula referentur, ait itaq;. Verb a aut latina, aut peregrina sũt, Peregrina porro ex omnibus prope dixerim gentibus. Taceo de Tuscis. et Sabinis, et Prænestinis quoq;. Nam vt eorum sermone vtentem Vectiũ Lucilius insectatur. Et libro octauo. In singulis intuendũ est, vt sint latina, perspicua, ornata, & ad id, ad quod efficere volumus, accomodata sed ea, quæ de ratione la-

tinè atque emendatè loquendi fuerunt dicenda in libro primo, cum de grammatice loqueremur, executi sumus. Verum illic tantum ne viciosa essent præcepimus hic non alienum est admonere, vt sint quamminime peregrina & externa. Multos enim, quibus eloquendi ratio non desijt inuenias, quos curiosè potius loqui dixeris, quàm latinè. quare si fieri potest, & verba omnia, & vox huius alumna vrbis oleant, vt oratio Romana planè videatur, non ciuitate donata. Et libro vndecimo. Os facile explanatum iucundum, vrbanum sit, idest, quo nulla rusticitas, neque peregrinitas sonet. Iubent igitur omnes, vt barbara, rustica, & peregrina vocabula, & in vulgari, quotidianoque sermone; & in regulari grammaticoque à Romanis fugiantur. At tamen græcis vocabulis latinos in latino literario sermone vti, sed parcè Cicero, si latina desunt, nequaquam prohibet. ait quidem Academico primo: quin etiam græcis vti licebit, vtere cum voles, si latina forte desunt, sed enitar, vt latinè loquar, nisi in huiusmodi verbis, vt philosophiam, aut rhetoricen, aut phisicen, aut dialecticen, appellem, quibus, vt alijs multis, consuetudo iã vtitur vt latinis. Et de Fin. libro tertio. Ea verba, quibus ex instituto veterũ vtimur pro latinis, vt ipsa philosophia, vt Rhetorica, dialectica, geometria, musica, quanquã latinè ea dici poterant, tamẽ quoniã vsu percepta sũt, nostra dicamus. Et nõ solũ græcis vocabulis, si latina desũt, nobis vtendũ esse vult Cicero, sed noua etiã fingere, si opus fuerit, at parcè et cũ delectu, et è latio tantũ, ut aliàs dixi, tũ maxime ex urbe eligãtur. Nec sint rustica

aut horrida, aut putida, sed speciosiora ac selecta. Nouis *quoque rebus noua sunt imponenda nomina.* Nam Ennius, & Cato, & *ante eos* Latinus *rex verba nonnulla finxerunt.* Sed *neque etiam* Lucretius *abhorruit ob nouitatem rerum, & latinæ linguæ tum egestatem noua vocabula fingere, & græca latina facere qui libro primo inquit.*

Nec me animus fallit graiorum obscura reperta
Difficile illustrare latinis versibus esse
Multa nouis verbis præsertim cum sit agendum
Propter egestatem linguæ, & rerum nouitatem

Cicero *quoque, qui, vt retuli, præ omnibus latinam ipsam linguam augere, ditare, & exornare & verbis, & elocutionibus & sententijs, & scriptis enixè studuit, complura latina vocabula excogitauit, vt* Plutarchus *in eo scribit.* Qui sit. Hic *primus, vt aiunt, assensum, retensionē sententiæ, præterea insecabile, vacuum, aliaque; plura huiusmodi vocabula hactenus latinis insueta noua, & appellanda dedit.* Et *ipsemet* Cicero *libro primo de* Oratore *sub* L. Crassi *persona ait (* Quintilianus *enim libro decimo* L. Crassum *græca in latinum vertisse scribit)* Postea *mihi placuit, eoque; sum vsus adolescens, vt summorum oratorum græcas orationes explicarem, quibus lectis hoc assequebar. vt cū ea, quæ legerem græcè latinè redderem non solum optimis verbis vterer, & tamen vsitatis, sed etiam exprimerem quædam verba imitanda, quæ noua nostris essent, dūmodo essent idonea.* Et *libro primo de natura* Deorum. *Sunt enim rebus nouis noua ponenda nomina.* Sæpe *græcorum, tum maxime* Zenonis *exemplo latinam*

linguam ditandam nouis adinuentis verbis, quæ vulgo sint ignota, esse dicit·qui academico primo ait. Dabitis enim profectò, vt in rebus inusitatis, quod græci ipsi faciunt, à quibus hæc iamdiu tractãtur, vtamur verbis interdum inauditis. Ibidem. qualitates igitur appellaui, quas ποιότητας græci vocant, quod ipsum apud græcos non est vulgi verbum, sed philosophorum, atq; id in multis. Dialeticorum quoq; verba nulla sunt publica, suis vtuntur. Et id quoq; cõmune omnium ferè artium· aut enim noua sunt rerum nouarum facienda nomina, aut ex alijs transferenda. Quod si græci faciunt, qui in ijs rebus tot iam sæcula versantur·quanto id magis nobis concedendũ est, qui hæc nunc primum tractare conamur? Et libro primo de Fin. Ita sentio, & sæpe disserui latinam linguam non inopem, vt vulgò putarent, sed locupletiorem esse, q̃ græcam. Et libro tertio de his, qui non latini, sed græci esse volebant, querens, quod ipsum sæpe facit, omnino enitendum esse ait quo, latina lingua locupletetur, vberiorq́; fiat, inquit enim. Stoicorum autem non ignoras quàm sit subtile, vel spinosum potius differendi genus, idq́; cum græcis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda sunt, imponendaq́; noua nouis rebus nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cuius vsus vulgaris, cõmunisq́; non sit, multam nouitatem nominum, cum constituantur earum rerum vocabula, quæ in quaq; arte versentur. Itaq; & dialectici, & phisici verbis vtuntur ijs, quæ ipsi græciæ nota non sunt. Geometræ vero, musici, grãmatici etiam more quodam

loquuntur suo. Item ipsę rhetorum artes, quæ sunt totæ forenses, atque populares, uerbis tamen in dicendo quasi priuatis vtuntur; ac suis. Atque ut omittam has artes elegantes, & ingenuas, ne opifices tueri sua artificia possent, nisi vocabulis vterentur nobis incognitis, vsitatis sibi. quinetiam agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia, tamen eas res, in quibus versatur, nominibus notauit suis. Ibidem. Zeno stoicorum princeps non tam rerum inuentor fuit, quàm nouorum verborum. Quòd si in ea lingua quam plerique vberiorem putant, concessum à græcia est, vt doctissimi homines de rebus non peruulgatis inusitatis verbis vterentur: quanto id vel nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere? Et si, quod sæpe diximus, & quidem cum aliqua querela non græcorum modo, sed etiam eorum, qui se græcos magis, quàm latinos haberi volunt, non modo non vinci à græcis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores, elaborandum est. Vt hoc non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum consequamur. Et rursum. Si Zenoni licuit cum rem aliquam inuenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni? Et rursum. Zeno cum vteretur in lingua copiosa fastis tamen nominibus, ac nouis, quod nobis in hac inopi lingua non conceditur. Et libro tertio de Orat. Ergo vtemur verbis aut ijs, quæ propria sunt, & certa quasi vocabula rerum penè vnà nata sunt cum rebus ipsis, aut ijs, quæ transferuntur, & quasi alieno in loco collocan-

tur, aut ijs, quæ nouamus & facimus ipsi. Et paulopost quomodo verba innouentur docens ait. Nouantur autem verba, quæ ab eo, qui dicit, ipso gignuntur, ac fiunt, vel coniūgendis, verbis ut hæc expectoro, & versutiloquax malitia, quæ verba ex coniunctione facta sunt, non nata, vel sæpe sine coniunctione verba nouantur, vt sensus disertus indigenitalis, & incuruesco, vel cum transferuntur. Et rursum. Vt omnis singulorum verborum virtus, atque laus tribus existat ex rebus, si aut vetustum verbum sit, quod tamen consuetudo ferre possit, aut factum vel coniunctione, vel nouitate in quo item est auribus, consuetudiniq; parendum aut translatum; quod maxime tanquam stellis quibusdam notat, & illuminat orationem. Et in Parti. Vnum igitur genus est eloquendi sua sponte fusum, alterum versum, atque mutatum. Prima vis est in simplicibus verbis, in coniunctis secunda, simplicia inuenienda sunt, coniuncta collocāda sunt. Et simplicia verba partim natiua sunt, partim reperta. Natiua ea, quæ significata sunt sensu, reperta, quæ ex his facta sunt, & nouata aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione verborum: Id ipsum scribit Horatius in Poetica, vt nouentur verba, si necesse est, parcè tamen, ut latina lingua ditetur uberiorq; fiat, modo rustica, aspera, horrida, putida, sordida, peregrina, barbaraq; non sint. Sunt enim, ut disserui, è latio, tū maxime ex urbe; ut Quintilianus itemq; Cicero, alijque docēt, sumēda habito delectu, aut è græcis, sed parcè, qui Cæcilij, Plauti, Virgilij, Varij, Catonis & Ennij,

exemplo latinam linguam locupletare est nixus, ait itaq;.

In verbis etiam tenuis, cautusq; serendis
Dixeris egregiè, notum si callida verbum
Redidertt iunctura nouum. si forte necesse est
Indicijs monstrare recentibus abdita rerum
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget. dabiturq; licentia sumpta pudenter
Et Noua, fictaq; nuper habebunt verba fidem. si
Græco fonte cadant parcè detorta. quid autem
Cæcilio, Plautoq; dabit Romanus ademptum
Virgilio Varioq; ? Atq; suis obtrectatoribus, æmulisq; respondens subdit.

Ego cur acquirere pauca
Si possum inuideor? Cum lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperq; licebit,
Signatum præsente nota producere nomen.

Signatum inquit, idest selectum, & speciosum. Et Epist. libro secundo græcorum exemplo probat monetq; augendam esse latinam linguam nouatis speciosis, & optimis vocabulis, vbi ait.

Quód si tam græcis nouitas inuisa fuisset
Quàm nobis, quid nunc esset vetus ? Aut quid haberet,
Quod legeret, tereretq; viritim publicus vsus ?

Idem fecerunt & alij boni latinæ linguæ auctores, quo latinam linguã ditarent, & exornarent. Quintilianus quoq; non modo latinam linguam pro virili parte ditare studuit multis & vocabulis, et elocutionibus, sed etiam libro

primo laudandos eos asserit, qui latinam linguam græca vberiorem, ditioremq́; fecerunt. quinetiam inquit, laudet virtutem eorum, qui potentiorem facere latinam linguã studebant, nec alienis egere institutis fatebantur. Et libro secundo de eis ipsis loquens; qui latinam ipsam linguam locupletare laborarunt ait. quos equidem non fraudauerim debita laude, quòd copiam Romani sermonis augere tentauerunt. & libro octauo queritur de eis, qui noua vocabula aspernantur, ait enim. At veteres ne expectorat quidem timuerunt. Et sane eiusdem notæ est exanimat. At in tractu, et in declinatione talia sunt, qualia apud Ciceronem beatitas, & beatitudo, quæ dura quidem sentit verumtamen vsu putat posse molliri. Nec à verbis modo sed à nominibus quoq; deriuata sunt quædam. vt à Cicerone subuculatum, & ab Asinio fimbriatum, & fibulatum. Multa ex græco formata noua; ac plurima a Sergio, Flauioq́; quorum quædam dura admodum videntur, vt ens, & essentia, quæ cur tantopere aspernantur nihil video, nisi quod iniqui iudices aduersus nos sumus, ideoq́; paupertate sermonis laboramus. Quædam tamen perdurant. Nam & quæ vetera nunc sunt, fuerunt olim noua. Et quædam in vsu perquàm recentia. vt Messalla primus reatum, numerarium Augustus primus dixerunt, reatum nemo ante Messallam, numerarium nemo ante Augustum dixerat. Piraticam quoq; vt musicam, & fabricam dici adhuc dubitabant mei præceptores. Fauorem, & vrbanum Cicero noua credit. Nam in Epistola ad Brutum. Eum, inquit, amorẽ et eum, vt hoc verbo vtar

fauorem in consilium aduocabo. Et ad Appium Pulchrũ. Te hominem non solum sapientem, verum etiã vt nunc loquimur, vrbanum. Idem putat à Terentio primum dictũ esse obsequium Cæcilius ad Sisẽnam, albenti cœlo ceruicem videtur Hortensius primus dixisse. Nam veteres pluraliter appellabant. Audendum itaq;, nam neq; accedo Celso, qui ab oratore verba fingi vetat. Nam cum sint eorum alia, vt dicit Cicero, natiua, id est, quæ significata sunt primo sensu, alia reperta, quæ ex his facta sunt, vt iam nobis ponere aliqua, quæ illi rudes homines, primiq; fuerunt, fas nõ sit, at deriuare, flectere, cõiungere, quod natis postea concessum est, quando desijt licere? Et siquid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remedijs præmuniendum est, Vt ita dicã, Si licet dicere. Quodammodo, Permittite mihi sic. Et libro decimo, præter cætera sanè pulchra, multis rationibus, & exemplis probat nos nullo pacto sola imitatione esse contentos, sed laborandum nobis esse dicit noui aliquid reperire, quo alios adiuuare possimus. Ait itaq;, Ante omnia imitatio per se ipsa nõ sufficit, vel quia pigri est ingenij cõtentũ esse ijs, quæ sint ab alijs inuenta. Quid enim futurum erat temporibus illis, quæ sine exemplo fuerunt, si homines nihil, nisi quod iam cognouissent, faciendum sibi, aut cogitandum putassent? Nempe nihil fuisset inuentum. Cur igitur nefas est reperiri aliquid à nobis, quod ante non fuerit? An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc, vt tam multa generarent, nos ad quærendum non eo ipso cõcitemur, quod certe scimus inuenisse eos, qui quæsierunt?

Et cum

Et cum illi, qui nullum cuiusquam rei habuerint magistrũ plurima in posteros tradiderint, nobis vsus illarum rerum ad eruendas alias non proderit? Sed nihil habebimus nisi beneficij alieni? quemadmodũ quidã pictores in id so.ũ student, vt describere tabulas mensuris, ac lineis sciãt. Turpe est contentũ esse id sequi, quod imiteris. Nã rursus quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? Nihil in poetis supra Liuium Andronicum, nihil in historijs supra Pontificum annales haberemus. Ratibus adhuc nauigaremus, non esset pictura, nisi quæ lineas modo estremas vmbræ, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet. Ac si omnia percenseas, nulla sit ars qualis inuẽta est, nec intra initiũ stetit. nisi nostra potissimum tempora damnamus huius infelicitatis, ut nunc demum nihil crescat. nihil enim cresit sola imitatione. Et certe, ut egregie Plato reipub. libro sexto ait, exile ingenium nihil unquam uel priuatim, uel publicè magnum efficit. Item Varro linguæ latinæ libro quinto ait. Nouissimum idest postremum senes, quod nouum uerbum esset, uitabant; & mea memoria uulgò dici cœptum. Et Diomedes grammaticus libro primo non approbat modo, sed gloriatur etiam & disciplinam, & latinum literalem sermonem à posteris cultiores, & uberiores redditos esse, ait quidem. Sed iniecit postera ætas manum, & uelut disciplinam pristini sæculi, ita & sermonem fastidire cœpit, & noua uelut parturire uerba, quæ iuuenum ritu, ipsa modo florent, & uigent, ut ait Horatius.

Vt siluæ folijs pronos mutantur in annos.

Prima cadent, ita verborum vetus interit ætas
Et iuuenum ritu florent modo nata, vigentq;.

Et Priscianus libro octauo. *Nec incongruum, vel absonum mihi videtur posse verba quoq; ex his ipsis ad similitudinē eorum, quibus vsa est auctoritas proferre. Quid enim impedit, nos quoq; aliquid copiæ ad opulentiam latinæ conferre eloquentiæ. & ad imitationem armo & armor armatus, dicere tunico & tunicor tunicatus, & vt roboro & roboror roboratus, & vt æro & æror æratus ferro ferror ferratus, plumbo plumbor plumbatus, & vt vestio & vestior vestitus, & togo & togor togatus? si enim auctoribus timiditas obstitisset, vt nullis nouis vterentur dictionibus, ipsa natura, & significatione rerum exigente perpetuis latinitas angustijs damnata mansisset.* Omnes demum latinæ linguæ studiosi, atq; amatores latinam ipsam linguam augere, ac ditare & nouis vocabulis siue compositis, siue translatis, siue à se excogitatis, et elocutionibus studuerunt, monentq; elaborandū esse, quo plusplusq; augeatur et editetur. Verū docent ne temerè verba innouentur, sed parcè, &, vt retuli, cum delectu. Vnde Cicero in Oratore ait. *Ergo ille tenuis orator modo sit elegans, nec in faciendis verbis erit audax, et in transferendis verecundus, & parcus, & in priscis, reliquisq; ornamentis & verborum et sententiarū demissior.* Et in Bruto monet ne nimis vetustis vtamur, ait enim. *Sed nimia vetustas non habet eam, quam quærimus summitatē, nec sanè tolerabilis.* Idem iubet Horatius, vt ostendi, vt tenues, ac cautissimus in verbis nouandis. item Quintilia-

nus libro primo præcipit ne temerè, sed parcè verba innouentur, sed vsitatis vtamur, vbi ait. Vsitatis verbis tutius vtimur, noua non sine quodam periculo fingimus. nam si recepta sunt modicã laudem afferunt, repudiata etiam in iocos exeunt. Audendum tamen nam, vt Cicero ait, quæ primo dura visa sunt, vsu molliuntur. Ibidem vetustis interdum vtendum censet inquiens. Verba & à vetustate repetita non solum magnos assertores habent: sed etiam afferunt orationi maiestatem aliquam non sine delectatione. nam & auctoritatem antiquitatis habent, & quia intermissa sunt, gratiam nouitati similem pariunt, Sed opus est modo, vt neq; crebra sint hæc, nec manifesta, quia nihil est odiosius affectatione, nec vtiq; ab vltimis etiam obliteratis repetita temporibus, qualia sunt topper, & antigerio, & exanclare, & prosapia, & saliorum carmina vix sacerdotibus suis intellecta. Et Aristo. Rhet. libro tertio. Verba obsoleta grauiorẽ reddunt orationem. Cicero etiam obsoletis interim vsus est, vt prosapia, vt alijs. vnde Fortunatianus libro quarto ait. Sunt quædam verba, quæ quamuis obsoleta sint, illis melius expeditur oratio, vt M. Tullius & feracum, & ficem, & scalas dicere non erubuit. dixit etiam feras soliuagas. Sidonius Apollinaris ad polentum ait Ciceronem essentiam dixisse, ac recte dici posse, vt à sapere sapientiam & ab intelligere intelligentiam regulariter dicimus. quint. libro tertio. οὐσίαν Flauius essentiam vocat nec sanè aliud est eius nomẽ latinum. Porphyrio in Poeticã Horatii vsus est verbo vulgaritas. Multisq; alijs verbis

& ipse et alij grāmatici ad latinam linguam augendam vsi sunt. qui ait Seneca Epist. libro qintodecimo, sunt custodes latini sermonis. Et libro vigesimo secundo dicit se analogia græco verbo vsurū, quia illud latini grāmatici, ciuitate donarūt. quòd grāmatici, modo eruditi sint, et nec à rōne abscedant, ius habeant vocabula ciuitate, ac latinitate donare. & Tiberius Cæsar omnes vrbis grāmaticos consuluit an verbū quoddā, quo incautè vsus fuerat latinum esset. Proinde nullo pacto profectò assentiendū, est his, qui nonnisi illis vocabulis, et elocutionibus vtendū esse sentiunt, quibus Cicero est vsus, præter ea, quibus latina lingua caret, et in Cicerone nō reperiuntur. Cætera vero quibus alij auctores vsi sunt, licet ij apprimè docti atq; eruditi fuerint, veluti incōpta, ac minus latina reijciēda, ac repudianda. Nā, inquiunt Ciceronē tantum latinæ linguæ parentem est nobis imitandum, ac tanq̄ scopum præ oculis proponendum. O mirā hominum sapientiam, O istorum in latinam, Romanamq; linguam, atq; eloquentiam cumulatiorem, atq; vberiorem amorem. Sed quid tandem id est, vt hi nonnisi Ciceronem velint, cæteri eis puteant? Ergo nequicquam tot præclarissimi auctores magna doctrina, præclaro ingenio, ac iudicio præditi, latinæ linguæ impendiò studiosi, in quos isti animo ingrato, atq; impio sunt, tantum laborem subierunt, quo latinam linguam & vocabulis, & elocutionibus, & scriptis ditarent? Incassum leguntur? Contemnendi sunt igitur, & è medio tollendi? Ergo ne erit vsquequaq; latina lingua inops? erit enim inops si verū tantum se-

quemur. Quam Cicero non modo locupletare ipse magnopere elaborauit, sed monuit quoque ditandam. Qui latinae linguae parens est dictus, non modo quòd eam sua mirabili, ac propè diuina quadam eloquentia, atque incredibili scribendi stylo, ac phrasi exornauerit, ac nobilitauerit, sed etiã quòd quàmplurimis a se excogitatis vocabulis et elocutionibus, vt ostendi habito eorum delectu & auxerit, & ditauerit. Nonne & alijs etiam auctoribus disertis admodum hominibus, quos isti nescio qua tenti phrenesi aspernantur, meritae, atque immortales gratiae sunt nobis agendae, quód vel ipsi magnis laboribus, atque vigilijs aut proxime atque Cicero, aut etiam aequè & vocabulis, & elocutionibus nec absque eorum delectu, item scriptis sententijsq́; eam adiuuerint, auxerint, ditauerint, exornauerint? Et qui Ciceronem praecesserunt, & qui cum eo aetatẽ degerunt, & qui eũ per varia saecula sunt subsecuti. Quorum laudes quàm plena manu, q̃ ingenuè, quàm ornatè ad astra tollendae sunt. inter quos fuere Laelius & Scipio, quorum labor in Terentiano opere magno adiumento latinae linguae fuit: & Lucretius, & Cethegus, & L. Crassus, & Caecilius, & Hortensius, et Caesar, & Pollio, & Augustus, caeteriq́ Romani optimates clarissimi oratores, alijq́; scriptores, ab usq́; vrbe condita & ante latij homines, ac regis, tum maxime Latinus. Item Ennius, et Cato, quos latinam linguam ditasse gloriatur Horatius & Plautus, et Virgilius latinus Homerus diuino propè et ipse iudicio praeditus. cuius versus quosdam cũ audisset Cicero eloquentiae antistes,

Donatus ait, & statim acri iudicio intellexisset non communi vena editos, iussit ab initio totam æglogam recitari, quam cũ accuratè pernotasset in fine ait: Magnæ spes altera Romæ, quasi ipse latinæ linguæ spes prima fuisset, & Maro futurus, esset secunda. Et, vt auguror, id tũ Cicero de Virgilio fatus est, cum populus Romanus, ait Cornelius Tac. in Dialógo de Orat. auditis in theatro Virgilij versibus surrexit vniuersus, & fortè præsentem spectantemq; Virgiliũ veneratus est, sic quasi Augustũ. quód si vna tantum Virgilij ægloga percepta lætitia immodica captus Cicero, hominisq; iudicium, ingenium, ac doctrinam admiratus in hęc verba prorupit, quid credis dixisset, si totum mirabile, ac propè diuinum illud virgilianum opus perspicere potuisset? quanto gaudio gestisset? Haud sanè dixisset, quod de Liuio dixit, Liuius inquit, fabulas docuit non satis dignas, quæ iterum legantur. Nec minus Horatij, Ouidij, Titi Liuij, quem Hieronymus, & quidem iure, lacteum eloquentiæ fontem manantem appellat, cuius vbertatem Quintilianus libro decimo lacteam nominat, atq; aliorum propera, ac diuina ingenia admiratus esset. Gauderet vtiq; in immẽsum si latinam linguã auctiorem, ditioremq; cernere posset. Neq; profectò tot grammatici doctissimi homines summo & ipsi iudicio præditi, qui sunt custodes latini sermonis, quorum opera multum latinæ linguæ accessit, tot disertorum auctorum vocabula & elocutiones aspernati sunt. quin etiam ipsi latinam linguam ditandam esse monuerunt. At hi qui se Ciceronianos esse putant, eloquentiæ penè di

xerim simij ubi suis scriptis alteram, aut tertiã Ciceronis vocẽ asperserint, protinus se Ciceronianos esse iuuenili- ter nimis iactitãt. Tum apicẽ Romanæ eloquẽtiæ assecu tos se credunt. Tum sibi, quasi cornicũ, vt dicitur oculos confixerint, alij omnes putent. Sibi mutum, elingue, & infans videtur vbicunq; Ciceronis voces non videntur, cum ipsi suam infantiam non agnoscãt. Sed nec quidem ille ipse Cicero eius animi fuit, vt nonnisi ijs vocabulis, et elocutionibus vterentur posteri, quibus ipse est vsus. qui, vt ostendi, pluribus rationibus, & exemplis probauit, mo nuitq; latinam linguam ditandam esse, & exornandam, vtendumq; nouis vocabulis, ne græcis egeremus, modo delectus adsit, & necessitas exigat, quæ licet dura pri- mo videantur, vsu tamen molliunt. Vsus enim, penes quẽ loquendi ratio est, vocabula, quæ per se voces tantum, ac soni sunt, aut recipit, aut repudiat. qui non in vno, sed in pluribus hominibus, & ijs peritis, et ingenio, iudicioq; præditis consistit. Nam à multis vocibus abstinuit Cicero quibus probatissimi auctores vsi sunt, & qui eum præces serunt, & qui cum eo ætatem vixerunt, & qui post eum per varia sæcula viguerunt. Et certe, vt de alijs taceam, Cæsar, quem ipsemet Cicero vulgò, & quidem meritò mi rificè commendat, optimum iudicium in deligendis, nouã disq; vocabulis habuit, qui, vt ipse Cicero refert, libros scripsit de analogia, & in primo libro dixit, delectũ ver borum esse eloquentiam, & tamen multis vocabulis, & elocutionibus vsus est Cæsar ipse, quibus Cicero vti nol luit. Contra quoties. s, litera media vocalium longarum,

vel subiecta longis esset. geminabatur, vt caussæ, cassus, diuissiones: quod & si Ciceronis temporibus, vt Quintilianus libro primo scribit, paulumq; infra & à Cicerone ipso, & ab alijs quibusdam seruaretur, non tamen ab omnibus seruabatur. Ac demum in desuetudinē abijt. Quibusdam etiam vocabulis vsus est Cicero ipse siue priscis, siue à se nouatis, quibus alij eius ætatis clarissimi auctores vti noluerunt, quæ à posteris vti dura sunt reiecta, vt minatio, vt alia multa. Item in primo de natura Deorum *libro ait. Siue beatitas, siue beatitudo dicenda est, vtrunq; omnino durum sed vsu molliendà nobis verba sunt. Beatitas repudiatum, beatitudo receptum est. Quare omnes bonorum auctorum benè loquendi consuetudinem, modo ratio non absit, seruandam iubent.* Nimirum Cicero *passim, & præsertim libro primo de* Oratore, *benè loquendi consuetudinem bonorum videlicet auctorum plurimum valere dicit.* Et Varro *vulgò, & præcipuè in libris de analogia, consuetudinem bonorum auctorum, cum ratione tamen laudat.* Nam *consuetudinem rationi obtemperare debere docet.* Nam *quòd* Quintilianus *ait. Ille se plurimum profecisse sciat, cui Cicero valde placebit, de arte ipsa oratoria, de phrasi, et stilo scribendi loquitur, non de vocabulis, & elocutionibus, quibus latina lingua ditanda erat.* Nam *ipse multis vocabulis, & elocutionibus vsus est, quibus Cicero vsus non fuerat: ediuerso à multis vocabulis, & ipse, & alij, vt diserui, abstinuerunt, quibus Cicero est vsus.* Et *certe si ijs tantum*

vocibus vti voluerimus, quibus vsus est Cicero, *innumerabilia defectiua & manca verba, & fortasse ipsum verbum amo, innumeraq; heteroclita haberemus.* Et *forsitan nullum vocabulum haberet latinitas; quod non defectiuum. mancum, esset, & heteroclitum*, Equidem *Meo quædam verba defectiua, & nomina aptota, diptota, & eiusmodi habet latinitas, quia illis non per omnia vsi sunt auctores.* Ita *& in græca lingua accideret, si vnum tantum auctorem græci sequerentur.* Apud quos *nequaquam huiuscemodi hæreses, verius phrenesis, viget vt vnius tantum vtcunq; docti viri siue* Platonis, *siue* Demosthenis, *siue alicuius alterius vocabulis, & elocutionibus vtantur, tot alijs clarissimis auctoribus neglectis* V*tiq; qui latinam linguam in vnum, aut in paucos auctores coartant, non eam ditare, vt illi, quos repudiant, sed inopem reddere modis omnibus connituntur.* Atq; *vtinam hi nostri* Ciceroniani *in* Romanis *latijsq; vocabulis enunciandis tam in regulari, quàm in quotidiano, vulgariq; sermone* Ciceronem *imitarentur, eiusq; præcepta seruarent.* Qui *passim iubet vt non asperè, non vastè, non crassè, non rusticè, non hiulcè, non putidè sed pressè, & æqualiter, & leniter loquamur.* Et libro *tertio de* Oratore *ait.* Nolo *exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius, nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata, & anhelata grauius.* De *ipsa autem consuetudine bonorum auctorum bene loquendi seruanda, ita quintilianus libro primo dicit.* Consuetudo *est certissima loquendi magistra, vtens*

dumq; plano sermone vt numo, cui forma publica est. Et infra. quid enim tam necessariũ, quàm certa locutio? Et rursum. Ergo consuetudinem sermonis vocabo consensum eruditorum, sicut viuendi consensum bonorum. Et libro decimo certissimã loquendi regulam in consuetudine esse ait. Dicunt prætereà hi nostri Ciceroniani qui historias conscribunt verbis vtantur ijs, quibus prisci historici vsi sunt. Qui vero poemata cõponunt verbis vtantur ijs, quibus antiqui poetæ vsi sunt. Qui Epistolas, verbis vtantur ijs, quibus vsi sunt qui è veteribus epistolas scripserunt. Qui de re rustica scribunt, verbis utantur ijs, quibus vsi sunt qui de re rustica scripsere. Ita vt latinam linguam diuersas in partes dilacerent. quasi alijs verbis prisci historici, alijs oratores, alijs alij scripserint. Sed dicant obsecro qui hæc anilia, ac puerilia loquuntur, cum latina lingua longe ante Ciceronem extiterit, ac tota ferè in poematibus historijs et orationibus & iure ciuili contineretur, nõne Cicero Pacuuij, Liuij, Plauti, Terentij, Lucretij, aliorumq; poetarum, et historicorũ, & legũ verbis & elocutionibus est vsus? Nũ Cicero ipse, qui varia scripsit, vtpotè qui epistolas, qui rhetoricam artem, qui poemata, qui orationes, qui de philosophia libros, alijs atque alijs verbis vsus est? Vt in rhetoricis ita lapis & vinum vsus sit, vt alijs eiusdem significatus verbis nõ vteretur. & in orationibus ita saxum, & merum vsus sit, vt illa superiora prorsus abijceret? Puerilia sunt hæc et risu digna. An non oratoribus, historicis, poetis, legisperitis, cæterisq; scriptoribus his vocabulis vti licuit, vt aratrum, vt

vomer, vt ligo, vt sarculum, vt alijs eiusmodi, quia rustica sunt? Aut his, vt ensis, vt sica, vt gladius, ut pugio, ut eius generis alijs, quia militaria sũt? Et certe neq; Cicero ipse prohibet scriptores poeticis uerbis vti. Verum quia quædam verba poetica obscura sunt, et licentiora, monet ne huiusmodi vtamur in orationibus, in quibus claris, & apertis verbis est nobis utendum. Ait enim in tertio de Oratore libro. Poetarum uerba sunt licentiæ uberiora, quàm oratoria sed tamen rarò habet in oratione poeticũ aliquod uerbum dignitatem. Quamuis in oratione poetica quædam uerba, et elocutiones se minime fugere dicat. Neq; enim, inquit, illud fugerẽ dicere, ut Cælius, qua tẽpestate pœnus in Italiam uenit, neq; prolem, aut sobolem, aut effari, aut nuncupari, aut ut tu soles Catule, non rebar, aut opinabar, & alia multa, quibus loco positis grandior, atq; antiquior oratio sæpe uideri solet. Alij Sallustiũ & Cæsarem, & Terentium admitunt, cæteris nihilominus repudiatis, quasi neq; hic poeta, neq; illi historici, sint. Itaq; Ciceronis stylum, phrasim, ut possumus imitemur, uocabulis uero, & elocutionibus non Ciceronis tantum, sed omnium etiam bonorum auctorum, tum maxime, qui ante Gothorum in urbem irruptionem fuere, utamur. Nam si, ut Cicero in Oratore ait, non solum primis, sed secundis, & infra secundos excellentiæ doctrinæ locus tribuitur, quis neget hos dignos esse, quos imitemur, eorumq; uocabulis, & elocutionibus utamur? qui latinam linguam, ut sæpius dixi, locupletare magnopere studuerunt. Non enim, ait Seneca, & quidem proba

decl. lib. primo, est vnum, quis præcipuus sit, imitandus. A vocabulis iré, quibus Cicero semel aut iterũ vsus est, quibus alij auctores vsi sunt, veluti inconcinnis, ac minus latinis abstinẽt, quasi eis Cicero absq; delectu, et cultu atq; iudicio sit vsus. Et cũ se Ciceronianos esse curiosè et iuueniliter iactitent, plusquã Cicero, maiorıq; iudicio in deligendis vocabulis prædici, atq; etiam in latinã linguã cumulatiorẽ, ac vehementiorẽ amorẽ habere videri volunt. cum reuera potius latinæ linguæ contẽptores, et irrisores, ac destructores, q̃ sectatores dici possint. Hinc, vt cõijcio quibusdã ansa data est cogitandi quosdam latinæ linguæ ethnicos auctores è medio esse tollendos, quo facilius, ac citius latina lingua pessum eat, aut certe mutiletur, mãcaq; fiat. Quasi solus Cicero latinæ linguæ sufficiat, quod si forte ethnicos auctores ideo tollendos esse censẽt, quia in eis quædã sunt quæ christianæ pietati, ac religioni auersant, neq; Cicero ipse idolatriæ, tantorumq; deorum, quo nihil nostræ religioni est obnoxius, & augurandi, & auspicandi vanissimæ, & superstitiosissimæ artis & scriptor diligens, & peracer assertor relinquẽdus esset. Neq; Plato, neq; Aristoteles, sed neq; Demum alius ethnicorum quisquãm. Id quod non egerunt, neq; agi existimauerunt tot ecclesiæ eruditissimi, & sanctissimi vtriusq; linguæ doctores, qui auctores ipsos persæpe suis in scriptis citant. Quorum dicta quædam vel Paulus suis in Epistolis proferre non est grauatus, quem patres illi, quos dixi, si nunc in terris agerent æmulati, tot ludicros, obscænos, & libidinosos plebeios libellos nullis idoneis auctoribus, ac nul-

lius momenti, animorum labē, qui in vani vulgi manus ver ſantur, omnino è medio tollerent. Illos enim, quia latinè ſcripti ſunt, nō omnes legunt, ſed pauci, qui eos non vt di uina oracula legunt. Sciunt enim ipſos ethnicos fuiſſe, & idolatras. Nonnulli alij, & præſertim huius, & aliquāto ſuperioris ætatis legisperiti, verius quidē imperiti, & in legibus iuris imprudentes, qui ſe ad album, et rubricas trā ſtulerunt, latinè ſcribendi elegantiā, atq; ornatū, & ver borū proprietatē aſpernantur, et ad ſenſa ſolummodo re ſpiciūt qua in hæreſi ita hærent, et tabeſcunt, vt ad ſuā opinionē vel leges per capillos attrahant repugnantes. Adducunt enim Vlpianū de adimēdis legatis, lege, ſiquis ita loquentem. Sed melius eſt magis ſenſum, q̄ verba am plecti. Et Celſū de legibus. Scire leges nō eſt verba earū tenere, ſed vim ac poteſtatem. Et Paulum de fundo in ſtructo lege cum declam. Optimum ergo eſſe Pedius ait, non propriam verborum ſignificationem ſcrutari, ſed imprimis quid teſtator demonſtrare voluerit. deinde in qua, præſumptione ſint, qui in quaq; regione commoran tur. Quaſi vero hi iureconſulti latinè ſcribendi elegan tiam, & verborum proprietatem aſpernati ſint. Cū om nes illi priſci iuriſconſulti latinè, elegāter, atq; ornatè ſcri pſerint, & verborum proprietatem ſeruauerint, qua ne glecta orationem ipſam penitus conturbari, & incer tā, atq; ambiguam reddi optime nouerint. atq; hæ leges ſanxerint, vt teſtamenta clara ſint, vtq; in teſtamentis ipſis, in quibus vſu venit aliud ſenſiſſe teſtatorem, quam dixiſſe aut ſcripſiſſe, voluntas teſtatoris, & vniuſcuiſq;

regionis præsumptio idest consuetudo, non verba ponderentur. quare leges ipsæ sanxerunt testamenta claris vocabulis confici, & à proprietate verborũ, quibus totũ orationis corpus veluti filis quibusdam contexitur, recedendum non esse. Vnde Licinius Rufus de fideicon. liber. lege libertates iubet vt planis, clarisq; verbis, & vsitatis à latinæ linguæ auctoribus testamenta conficiantur, eius verba hæc sunt. Libertas per fidei commissum non tantũ proprijs, sed alienis seruis dari potest. ita tamen vt vulgaribus verbis, & quibus euidẽter voluntas testatoris exprimi possit. Vulgaribus verbis idest claris, quibus vulgus, sine tamen arte grammatica, vtitur, vel vulgaribus verbis hoc est simplici et apertissimo stylo, ac sensu (nõ enim obscuris, secretioribusq; verbis, aut elegãti stylo testamẽta cõfici debent) quò clarè volũtas testatoris exprimatur. Et Marcellus de Legatis tertio ait. Non aliter à significatione verborum recedi oportet, q̃ cum manifestum est aliud sensisse testatorem. Et subdit. Cum plerumq; abusiuè loquantur, nec proprijs nominibus, ac vocabulis semper vtãtur, Et Celsus de suppellectili legata lege, Labeo. Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex cõmuni vsu nomina exaudiri debere Seruius ait. Et subdit. Et quidem non arbitror quenquam dicere quod non sentit vbi maxime nomine vsus sit, quo id appellari solet. Et infra. Non tamen à Seruio dissentio, non videri quenquam dixisse, cuius non suo nomine vsus sit. Item Paulus de rebus dubijs, lege in ambiguo sermone non vtrunq; dicimus, sed id duntaxat, quod volumus. Itaq; qui aliud dicit, q̃ vult

neq; id dicit, quod vox significat, quia non vult, neq; id quod vult, quia id non loquitur. Et Cicero libro primo de *de inuentione ciuilē scientiam eloquentiam indigere ait· quinetiam eloquentiam ciuilis scientiæ partem esse dicit.* Et in Oratore inquit· *In republica nostra primas eloquentia tenuit semper vrbanis, pacatisq; rebus, secundas iuris scientia.* Quæ *auxilium ab eloquentia sæpe petijt, ea vero repugnante vix suas regiones, finesq; defendit. quare nihil habent, quod se ab ignorantia, & barbarie defendant, qui latinè loquendi eloquentiam, elegantiam, atq; ornatum, & verborum propietatem aspernantur·Iustinianus Cæsar libro primo* Cod. *legum annotationes latinè nō barbarè scribi iubet, ne tātis legibus auctoritas, ac maiestas derogetur.* Hi *leguleij iuris imperiti, latinæ linguæ ignari, non latinè, sed barbarè scribunt.* Vnde *& ex barbarie ipsa, et ex magna sua uerbositate* Romanis *legibus ex cōfusione non minimū dedecus attulerunt. id quod ipse studiosè lege cauit.* Hos *imitantur tabelliones, qui et ipsi non latinè, sed barbarè loquūtur.* Hi *sūt latinæ linguæ corruptores, & destructores, non* Gothi, *qui eam, ut alij omnes, piè coluerunt, coluntq;.* Quem *insanum errorem sequuntur qui his temporibus philosophiam, aut alias disciplinas attingunt, ad easq; pertinentia aliqua conscribunt·quasi non &* Plato, *& noster* Cicero, *qui philosophiæ libros scripserunt, eloquenter & eleganter* Atq; *ornatè scripserint.* In*sana est horum ratio, non modo uana, fucusq; puerilis est.* Hactenus *de augumēto latinæ linguæ.* Quoniam *uero non desunt, qui in alium inci*

dentes errorem asseuerent quidem apud Romanos olim & literarium, & vulgarem loquendi vsum, sicut & nūc vterq; est, extitisse: licet hi neq; ratione neq; auctoritate id probent. At dicunt tragœdias, & comœdias, & orationes ad populum & ad milites non latino literario, & ex arte grammatica quemadmodum extant scriptæ, sed quotidiano, communi, & publico, vulgariq; sermone recitatas, cæteroquin inquiunt, eas populus intelligere minime valuisset. Iccirco ostendere interest & tragœdias, & comœdias, & orationes ad populum, & ad exercitū latino grammatico, literarioq; sermone, vt extant scriptæ, vtq; edebantur, sicut & aliæ oēs, fuisse recitatas, & eas populus intelligebat: at alio modo eruditi, & literati, alio modo rudes, & ignorantes, quod ostendemus. Cæterum præstat, vt aliquanto altius repetam, Sed enim populi appellatione, vt in Gellio, & Pomponio de Origine iuris liquet, omnes ciuitatis ordines, vel patres continentur. Itaq; cū orationes ad populum habebātur, nequaquā opus erat caupones, coquos, cerdones, lanios, cætarios, fartores, cupedinarios, pistores, et alios eiusmodi infimæ sortis homines rudes, & imperitos interesse. Intererant tamen qui volebant & nobiles, & ignobiles; literati, & igorantes. Et omnes, qui Romani Latiiq; erant, eas intelligebant, sed non æquè, vt dicemus. Nempe orationes ipsæ ad eos potissimè habebantur, qui in administratione reip. versabantur, qui literati erant, quorū intererat quid populus decerneret. Vnde literati orationes ipsas plenè, ac perfecte percipiebant, rudes vero licet latine

ex arte

ex arte grammatica loqui, & scribere nescissent, nec carmina conficiendi artem, rationemq́; habuissent, verba tamen, quia Romana latiaq́; sunt, percipiebant. Nam oratores, tragœdi, & comici claris, & quotidianis, vulgoq́; vsitatis vocabulis, grammatica tamen, & oratoria, & metrica arte adhibita, vtebantur. Item cum ab imperatoribus orationes ad milites linguis, moribusq́; dissonos habebantur, minime opus erat, vt omnes aut interessent, aut intelligerent, sed ij tantum, qui in exercitu magistratus aliquos gerebant, qui literati erant. Equidem si orationes ad populum, ad milites, in concionibus, & tragœdiæ, & comœdiæ vulgari sermone recitabantur, nullum in eis audiẽdis fuisset discrimen inter eruditos, & rudes. Omnes enim qui Romani tamen, latijq́; erant, aut latium vulgarem sermonem callebant, æquè eas intellexissent, quod tamen longe secus esse ostẽdemus. quid præterea opus erat orationes tragœdias, & comœdias latinè componi, si vulgari, populariq́; sermone recitabantur? Quæ laus data fuisset pueris nonum, aut duodecimum annum agentibus, vt Octauiano, Tiberio, alijsq́;, qui pro concione, ac pro rostris aliquem è suis defunctum laudauere, si vulgari sermone laudationes ipsas recitassent? Mirantur Romæ orationes eiusmodi, tragœdias, & comœdias latino literario sermone recitatas à populo intelligi potuisse, cum et Romæ, et in alijs Italiæ vrbibus, itẽ in prouincijs, anteq̃ à Gothis in vrbẽ impressio facta esset et etiã post homiliæ et sermones ad populũ in templis à sãctis patribus latino sermone, sicut apud græcos græco regulari, facti sint.

Recitabantur vtiꝗ latino grammatico sermone orationes ad populum, ad milites, in concionibus, tragœdiæ, & comœdiæ, & eas populus intelligebat. Atꝗ tragœdiarum, & comœdiarum actores, recitatoresq́; latinam literariā linguam callebant, saltem mediocriter. Idꝗ certe iū maxime eis opus erat, vt rectè enunciarent, ne à populo irriderentur. Gellius enim libro decimo octauo ait. Iuliano socio nunciatur lectorem quendam non indoctum hominē voce admodum canora Ennij annales legere ad populum in theatro, Versus primus erat ex septimo annali.

Deniꝗ vi magna quadrupes equus atꝗ elephanti

Proijciunt se se. Cornelius Tacitus in Dialogo de Oratoribus de Saleio Basso, & Materno poetis loquens ostendit poetas sua carmina plerunꝗ recitasse. Et iam ostendimus, Virgilij eclogas in theatro fuisse recitatas. Nero Cæsar, ait Suetonius, declamauit sæpius publicè. Recitauit & carmina non modo domi, sed in theatro. Et paulo post. Deinde in orchestiam, Senatumq́; descendit, & orationis quidem carminisꝗ latini coronam, de qua honestissimus quisꝗ contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit. Latini, inquit, carminis, & orationis. Edebat enim interim certamen latini, græciq́; sermonis præmio præposito, quo iuuenes exercerentur. Quare Caligula Cæsar, ait Suetonius, edidit certamen græcæ, latinæq́; facundiæ, quo certamine ferunt victoribus præmia victos cōtulisse. Domitianus, ait idem. Instituit quinquennale certamen Capitolino Ioui, in quo certabant etiam & prosa oratione græcè latineq́;. Apud Senecam palàm

est passim multos populo declamasse. Cicero *vulgó versus latinè recitatos et recitatores latinā linguā aliq̃tenus calluisse ostendit.* Ait *enim in parad.* *Histrio si paulo se moueat extra numerū, aut si versus pronunciatus est syllaba vna breuior, aut longior, exibilatur & exploditur.* Latini *enim versus, sicut & græci, numero, certisq́; pedibus, syllabisq́;, his breuibus, his longis constant.* Et *in* Oratore. *in versu quidem theatra tota exclamant, si fuit vna syllaba aut breuior, aut longior.* Nec *vero multitudo pedes nouit, nec vllos numeros tenet, nec illud quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit. & tamen omnium longitudinum, & breuitatum in sonis, sicut acutarum grauiumq́; vocū, iudicium ipsa natura in auribus nostris collocauit.* Et Horatius Epi. *libro secundo multitudinem, quæ in theatro & veterum, et aliorum poetarum versus spectabat, interim iudicium habere ait.* Interdū *inquit, vulgus rectum videt.* Seneca *vulgo, vt dixi, orationes ad populum latinè recitatas esse ostendit.* Qui *præter cętera, decl. libro quarto inquit.* Declamabat, Marius *admisso populo ex tempore solus omnium* Romanorū, *quos meo tempore cognoui, in latinam linguam transtulit græcam facultatem.* Et Ælius Lampridius *in* Alex. Seuero *ait.* Sed *in latinis literis non multum profecit, vt ex eiusdem orationibus apparet, quas in* Senatu *habuit, vel in concionibus, quas apud milites, vel apud populū.* Et Quintilianus *libro octauo de* Perspicuitate *orationis loquens orationes ad populum latino sermone recitatas fuisse, & eas imperitos intellexisse his verbis innuit.* Nobis *prima*

fit virtus perspicuitatis, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio, nihil neque desit, neque superfluat, Ita sermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Cicero quoque in Oratore orationes populares, idest ad populum habitæ, & apud Athenienses, & apud Romanos regulari, grammaticoq; sermone, vt edebantur, recitatas fuisse declarat. Quomodo autem vulgus, rudisq; multitudo intelligit, ac iudicat, Cicero ipse insinuat: qui in Bruto ita scribit. Orator vulgi assensu, & populari approbatione iudicari solet. Itaque nunquam de bono oratore, aut non bono doctis hominibus cum populo dissensio fuit. An censes, dum illi viguerunt, quos ante dixi, non eosdem gradus oratorum vulgi iudicio, & doctorum fuisse? Et paulopost. Quid est, quod expectetur docti alicuius sententia? Quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum est. Denique hoc specimen est popularis iudicij, in quo nunquam fuit populo cum doctis, intelligentibusq; dissensio. Cum multi essent oratores in vario genere dicendi, quis vnquam ex his excellere iudicatus est vulgi iudicio, qui non idem à doctis probaretur? Et infra. Sed ego, quæ de me populi sit opinio, nescio, de reliquis hoc affirmo, quod qui vulgi opinione disertissimi habiti sunt, eosdem intelligentium quoque iudicio fuisse probatissimos Et paulopost. Poema enim reconditum paucorum approbatione, oratio popularis ad sensum vulgi debet moueri. Et infra: Hoc tantum interest, quòd vulgus interdum non probandum oratorem probat, sed probat sine comparatione, cum à mediocri, aut etiam à malo delectatur, eo

est contentus, esse melius non sentit, illud quod est, qualescunque est, probat. Tenet enim aures vel mediocris orator sit modo aliquid in eo, nec res vlla plus apud animos hominum, quàm ordo, et ornatus orationis valet. Et paulo post. Si quereretur vter præstaret orator, nunquã profectò sapientis iudicium à iudicio vulgi discreparet. qui præstat igitur intelligens imperito? Magna re & difficili, siquidem magnum est scire quibus rebus efficiatur, amitaturúe dicendo illud, quicquid est, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti non oportet. Præstat etiam illo doctus auditor indocto, quod sæpe cum oratores duo, aut plures populi iudicio probantur, nec intelligenti quidem auditori probari potest. Et libro tertio de Oratore. Illud autem nequis admiretur quonam modo hæc vulgus imperitorum in audiendo notet, cum in omni genere, tum in hoc ipso magna quædã est vis, incredibilisq́; naturæ. Omnes enim tacito quodam sensu sine vlla arte, aut ratione quæ sint in artibus, ac rationibus recta, ac praua dijudicant, idq́; cum faciunt in picturis, & in signis, & in alijs operibus, ad quorum intelligentiam à natura minus habent instrumenti, tum multo ostendunt magis in verborum, numerorum, vocum q́; iudicio, quod ea sunt in communibus infixa sensibus, neque earum rerum quenquam funditus natura voluit esse expertem, itaque non solum verbis arte positis mouentur omnes, verum etiam numeris, ac vocibus. quotus enim quisque est qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paulo modo offensũ est, vt aut cõtractione breuius fieret, aut productione lõgius,

theatra tota reclamant. quid hoc, nō idem fit in vocibus ? vt à multitudine, & populo non modo cateruæ, atq; conuentus, sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes eÿciantur. Mirabile est, cum plurimum in faciendo intersit in terdoctum, & in rudem, quam non multum differat in iudicādo. Et post pauca. Verum in versu vulgus, si est peccatū, videt, sic siquid in nostra oratione claudicat, sentit. sed poetæ non ignoscit, nobis concedit, tacitè tamen omnes non esse illud, quod diximus, aptum perfectumq; cernūt: Ibidem non modo vulgus, sed nec leuiter eruditos verum iudicium habere posse dicit, ait enim· Sed quoniā oppressi iàm sumus opinionibus non modo vulgi, verum etiam hominum leuiter eruditorum, qui quæ complecti tota nequeant, hæc facilius diuulsa, & quasi discerpta contrectant, & qui tanquam ab animo corpus, sic à sententÿs verba seiungunt, quorum sine interitu fieri neutrum potest. Ibidem vulgò de oratoribus ab imperitis dici solet bonis hic verbis, aut aliquis non bonis vtitur· non arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi naturali sensu iudicatur. Ibidem. Vulgus quid absit à perfectò nō ferè intelligit, quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum. Et in Oratore· Conciones sæpe exclamare vidi, cum aptè verba cecidissent, etenim expectant auribus, vt ex verbis colligetur sententia. Et rursus de versus inuentione ait. Versus non ratione est cognitus, sed natura, atq; sensu, quem dimensa ratio docuit, quid acciderit, ita notatio naturæ, & animaduersio peperit artem. Proinde satis planè, atq; apertè mihi ostendisse videor orationes ad

populum, & ad milites, in concionibus, item tragœdias, & comœdias latino grammatico, literarioq́; sermone, vt edebantur, recitatas fuisse & eas vulgus imperitorum intellexisse sed aliter, quàm eruditi, & literati viri intelligebant. tum quidem maxime eas intelligebat vulgus, q orationes omnes præsertim populares, & militares, & tragædiæ & comœdiæ et apud græcos, & apud latinos clarissimæ erant, & verbis proprijs, vrbanis, planis, quotidianis, vulgo vsitatis, at cultis tamen, & selectis, et arte grammatica, versus vero vel metrica ratione adhibita, & ordine recto seruato conficiebantur. Peregrina vero verba, & obsoleta prorsus vitabantur, & fugiebantur. Idq́; fieri omnes præceperunt. Vnde Aristoteles in Poetica *ait.* Ex *linguarum varietate barbarismus fit.* Et Rhet. *libro tertio.* Initiũ *elocutionis est græcè loqui, idest proprijs græciæ, hoc est atticæ, vocabulis, & non peregrinis vti. ita apud latinos* Latijs *tantum* Romanisq́;. *Ibidem,* Orationem *perspicuam, & claram esse oportet.* Et *rursus.* A *nitido sermone verbũ obscurum, et sordidum discordat.* Q*uare qui laborat hoc vitio non orator, sed planè comicus est habendus.* Comici *enim interdum sordidis, & obscuris vocabulis vtuntur.* Et *rursũ.* I*lla vocabula, quæ intelligentiam nobis facilem pariunt, iucundissimè audiuntur.* Et Cicero *in* Oratore *de versu loquens ait.* A*ristoteles iudicat iambum numerum nimis è vulgari esse sermone.* I*bidem.* A*pud comicos nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.* E*t rursus.* Nec *numerosa esse, vt poema, neq extra numerum,*

vt sermo vulgi, debet oratio. Ibidem. Ennius nō discedit à cōmuni more verborū. Itē Plato in Gorgia: Poesis tragœdorum sine concentu, & numeris popularis quædam oratio est. Cicero passim præsertim in libris de Oratore præcipit, vt oratores, & poetæ, aliiq; scriptores latinè loquantur, & purè, planè, dilucidè, & ornatè, quæ sunt, inquit, ornamenta orationis, vtq; vsitatis vocabulis, non reconditis, non peregninis, sed proprijs, non obsoletis nisi parcè, vtantur. ait enim libro primo de Orat. In orationis ornamentis præcipitur primum, vt purè, vt latinè loquamur, deinde planè, & dilucidè, tum ornatè. Et libro tertio. quinam igitur dicendi est modus melior? quàm vt latinè vt planè, vt ornatè dicamus. Ibidem. Neq; tamen erit vtendum verbis ijs, quibus iam consuetudo nostra nō vtitur, nisi quando ornandi causa parcè quod ostendam, sed vsitatis, ita poterit vti lectissimis, vt vtatur ijs, qui in veteribus erit scriptis studiosè & multum volutatis. Rursum. In verborū genere propriorum delectus est habendus quidam, atq; is aurium quodam iudicio ponderandus, in quo consuetudo benè loquendi valet plurimū. Ibidem. Orator abiecta, & obsoleta fugiat. Et rursus. Ea, quæ dicamus, intelligantur, latinè scilicet dicendo, verbis vsitatis, ac propriè demonstrantibus ea, quæ significari, ac declarari volemus, sine ambiguo verbo, ac sermone. Et in Orat. Narrationes credibiles neq; historico, sed; propè quotidiano sermone dilucidè. Irridetur Sisenna in Bruto à C. Roscio, quòd inusitatis verbis vteretur, et si emendator sermonis vsitati esse vellet. Et rursum. Cæsar in ma

ximis occupationibus de ratione latinè loquendi accuratiſ ſimè ſcripſit, primoq́; in libro dixit verborum delectum originem eſſe eloquentiæ. Et Quintilianus libro octauo. Erit autem narratio aperta, atq; dilucida ſi fuerit primũ exppoſita verbis proprijs, & ſignificantibus, & non ſordidis quidem, non tamen exquiſitis, & ab vſu remotis. Et rurſum. At obſcuritas fit etiã verbis ab vſu remotis, vt ſi cõmentarios quis Pontificũ, & vetuſtiſſima fœdera, & exoletos ſcrutatus auctores, id ipſum petat ex eis, vt quæ inde contraxerit, non intelligant. Et Gellius libro vndecimo, verbis vti aut nimis obſoletis, et exculcatis, aut inſolẽtibus, nouitatiſq́; duræ, et illepidæ par eſſe delictũ videt. Sed moleſtius, culpatiuſq́; eſſe arbitror verba noua incognita, inaudita dicere, q̃ inculcata, & ſordentia. Noua autẽ videri dico etiã ea, quæ ſunt inuſitata et deſita, tam etſi ſint vetuſta. Auguſtus, ait idẽ Gellius libro decimo, memoriaꝝ veteꝝ exequẽtiſſimus, linguæ latinæ nõ neſcius, munditiarũ patris ſui in ſermonibus ſectator fuit. Itẽ Suetonius, Octauianus, inquit Cæſar arguebat eos, qui reconditis verbis vterentur. Ipſe genus loquẽdi executus eſt elegans, & temperatum vitatis ſententiarũ ineptis, atq; concinnitate, et reconditorum verborum, vt ipſe dicit, fœtoribus præcipuamq́; curam duxit ſenſum animi quàm apertiſſimè exprimere, quod quo facilius efficeret, aut ne cubi lectorem vel auditorem obturbaret, ac moraretur, nec præpoſitiones verbis addere, neq; coniunctiones ſæpius iterare dubitauit, quæ detractæ afferunt aliquid obſcuritatis, & ſi gratiam augent. Cacozelos, & antiquarios

vt diuerso genere vitiosos pari fastidio spreuit. Neq; Tiberio parcit & exoletas interdum, et reconditas voces aucupanti. Marcum quidem Antonium vt insanum incre pat, quasi ea scribentem, quæ mirentur potius homines, q̃ intelligant. Sed opus est, inquit, dare te operam, ne molesle scribas, aut loquaris. Tiberius, ait Dion. libro quinquagesimo septimo, magna diligentia vtebatur vt elegã ter latinè loqueretur. Atq; vsq; adeo diligens fuit, vt cũ aliquando in quadam sua schedula verbo quodam, quod latinum non erat, vsum se esse aduertisset, omnes vrbis grãmaticos acciuit, quos hac de re consuleret. Satis itaq; abundè ostendisse mihi videor quomodo, & quare vulgus orationes ad populum, ad milites, in concionibus, itẽ tragœdias, & comœdias intelligebat, licet latinè, vt ede bantur, vtq; extant, recitarentur. Quòd autem modo vo cabula aliqua obscura populo videntur, ideo porrò fit, quia ea quorundam temeritate, qui barbariem in vrbẽ & per Italiam intulerunt, penè à communi, vulgariq; loquendi vsu recesserunt, quæ tamen in medium, communemq; loquẽdi vsũ euocanda sunt. Rursũ in tragœdijs, et comœdijs, præter id, quod magna imperitorũ turba ad ludos tantũ scænicos spectãdos conueniebat: nam fabulæ in genti ædilium apparatu agebantur, & actores personati, & gestibus, & tibiarum modis prodibant è scæna, nõ ex verbis modo, sed ex gestibus, & actionibus ipsis risus captatur, licet verba non percipiantur. Nã Plautus quædam græca, nonnulla etiam punica verba suis comœdijs inseruit, quæ pauci, aut nulli intelligere poterant. Vnde

qui aderant spectatores potius, q̃ auditores dicebantur. Et Horatius Romam in theatro poetas spectare dicit. Histriones Tusci, vt relatum est, à Romanis acciti, vt populus post pestem ludis animos relaxaret, non verbis, vocibusq́; cum quia barbari erant à Romanis intelligi non potuissent, sed gestibus risum populo excitabant. Et Cæsar, ait Suetonius, ludos edidit regionatim vrbe tota per omnium linguarum histriones. Et Augustus, ait idem, ludos edidit nonnunquam vicatim, ac pluribus scenis per omnium linguarum histriones. Qui gestibus populum ad risum prouocabant. Cicero item libro tertio de Oratore corporis gestibus auditores commoueri luculenter insinuat, ait quidem. Atq; in ijs omnibus, quæ sunt actionis, interest quædam vis à natura data. Quare & hac imperiti, hac vulgus, hac deniq; barbari cõmouẽtur. Verba enim neminem mouent, nisi eum, qui eiusdem linguæ societate coniunctus est. Sententiæq́; sæpe acutæ non acutorum hominum sensus præteruolant, actio, quæ præ se motum animi fert, omnes mouet. Iisdem enim omnium animi motibus concitantur, & eos ijsdem notis, & alijs agnoscunt & in se ipsi iudicant. Proinde hactenus videor iam mihi Quirites & rationibus multis, & auctoritatibus plurimis probasse apud veteres vnam & alteram linguam, vulgarem, inquam, & regularem fuisse, & hanc ex illa arte factam, huiusq́; initium ac quomodo sensim aucta sit & culta, ostendisse, nec non orationes ad populum in concionibus ad milites, tragœdias, & comœdias latino regulari, grammaticoq́; sermone recitatas, atq; hunc

vulgarem sermonem, quo nunc tota Italia vtitur, latium esse. Vnde quorum animi antehac pendebant, nunc hac in re acquiescant. Quare suaserim nostris, id quod non semel feci & latinæ linguæ studere, ex qua non modicos sibi fructus, ac sempiternam laudẽ comparabunt, et græcæ, qua magnos itidẽ fructus, & gloriã ingentem assequentur. Atq; ita ad harum linguarũ studia animũ adiungant, vt nullius rei sint cupidi præter virtutem, et gloriã. Contemplantes ita natura constitutũ, & inde more maiorum comparatũ esse, vt non ad desidiam et socordiam, non ad ludos & ganeas, non ad luxum & libidinem moveré bellaarum, non ad ignorantiam, vt barbari, nati esse videamur, sed ad virtutes & gloriã. Nũc vero quirites, operæpretium esse censui, vt de liberorum altura & educatione vti de totius vitæ hominis stabilimento, & ad ingenuas artes arripiẽdas primordijs, ac base quadam aliquid dicamus. Quod ipsum superuacaneum esset admonere, nisi vt d prauata sunt omnia, cernerem parentes ita hac in re segniter se gerere, vt nihil minus, quàm de liberorum salute solliciti sint. Nutrices in educandis pueris non modo barbaræ, aut Romana latiaq; vocabula malè enunciantes non eligantur, sed ne rusticæ quidem, neq; perditis moribus affectæ, sed aut ex vrbe, aut ex latio omnino, aut certè quæ Romanè latieq; rectè loqui sciant, & quæ mites, sint, ac probis moribus præditæ. Nam præter pessimam loquẽdi consuetudinem, quam ex ijs pueri edis cunt, per alimoniam lactis nutricum mores ac natura vnà cum lacte ipso pueris infunduntur. Locus item & aer ani-

mantibus vim suam ac naturam præstant. Qui quidem mores ac natura animantibus ipsis quoad viuent insunt, aut certe quàm difficulter amouentur. id quod probè ac doctè Homerus, & eum secutus Virgilius asseuerántes scribunt. Ille quidem Illiad. libro decimosexto Achillem iam grandē natu à Patroclo increpitũ facit veluti à mare & in asperis locis genitũ, ac mores & naturam, quos à loco et genitrice suscepisset adhuc grandis natu retineret quia græcis periclitãtibus suppetias ire abnuisset. Vbi ad verbum translata sententia sic eum Patroclus alloquitur.

Non quidem tibi pater fuit nobilis Peleus
Neq; Thetis mater. sed glaucum te genuit mare,
Et cautes celsæ. quoniam tibi animus est immitis.

Hic vero Æneid. libro quarto Didonem Æneæ itidem grandi natu hæc eadem exprobrantem facit & vel educationem nutricationis tanquàm bellualem, & asperam criminatur inquiens.

Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, hyrcanæq; admorunt vbera tigres.

Cicero et Quintilianus, aliję; omnes in educatione oratoris iubent, vt relatum est, præcipuas nutrices adhiberi, si forte matres lactis defectu filios suos proprijs vberibus alere nequeunt. Cum per obsequium vberum natura ex alia in aliam mutetur. Seneca item libro secundo de Ira probos et placidos præceptores et pædagogos & nutrices pueris tradi oportere ait, Nam proximis applicatur quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit.

nutricum & pædagogorũ retulere mox in adolescentia mores. Sed quanto melius agerent matres si ipsæmet suis vberibus filijs suis lac præberent, & non eos alijs traderent alendos. Pecudes vbera ad fœtus commodum atque vsum lacte distenta gerunt, eumq; alere gestiunt, mulieres nonnullæ ad delicias, & ad libidinis incitamẽta· quasi vero natura ea non ad prolis vtilitatem, sed ad delicias & ad pectoris ornamentũ mulieribus præstiterit. Quæ prodigiosæ mulieres siue desidia ac tædio affectæ, siue vt cõmodius petulantiæ & luxui vacent, vt primum enixæ fuerint, humanæ societatis iura dissoluentes, cum nulla sibi in filios suos charitas, nulla dilectio sit, fœtum ipsũ ab se se abijciunt & ablegant, ac cuicunque vel improbæ nutrici alendum, verius perdendum, tradunt, vt potius iniustæ atque impiæ nouercæ, q̃ matris officium agant· Nam vt plurimum seruilis, & plerunque barbaræ conditionis adhiberi solet· Atque huiusmodi superbæ, iracundæ, arrogantes, effrontes, blasphemæ, inuerecũdæ, loquaces, ebriæ vanæ sunt, & impudicæ. Sed nec mirum si materna pietate reiecta natum infantem ab se se abijciunt, & ablegant, cum longe maius erratum, ac facinus patrent. Nã earum quædam tota propè die per vrbem vehiculis inuectæ ita quatiuntur, vt fœtus ipsi iam in vtero suo concepti facile aboriantur· aliæ eo indumentorum genere diaboli inuento vtuntur, vt potius thoracatæ militari more q̃ indutæ videantur· ita vt vel ipsæ facile aborsum faciant, fœtumq; ex vtero abigant, quæ impudentia atque impietas monstrum est, non vitium. Nempe non satis æstimari

potest quanta laude dignæ, quantumúe Deo gratæ sint mulieres, quæ, quia inest eis viua illa ipsa & vera ac syncera materna charitas et dilectio, suis vberibus liberos suos educant. Quales inter cæteras, fuit pudicissima & honestissima illa Graxia, quæ & si admodũ iuuenis ac tenella fuerit, licet nobilissima et ditissima filijs suis nõ nutrices, non alienum lac adhibuit, vt pleræq; prodigiosæ mulieres facere assolent, sed ipsamet proprijs vberibus eos aluit. Extat in Cœlio monte in ædibus sanctorũ Ioannis & Pauli sarcophagus in suam ipsius præcipuam & sempiternam laudem à viro suo erectus his literis inscriptus. Graxiæ Alexandriæ insignis exempli ac pudicitiæ, quæ etiam filios suos proprijs vberibus educauit. Puden. Aug. lib. maritus merenti vix. ann. XXIIII. M. III. D. XVI. Atq; vtinam mulieres & hanc, & Corneliam Gracchorum, & Aureliam Cæsaris, & Attiam Augusti matrem, aliasq; clarissimas et pudicissimas Romanas matronas imitarentur. quæ licet ethnicæ essent & idolatræ ingenti tamen in filios suos charitate, & incredibili dilectione tenebantur, ac cuncta muliebria ornamenta in hoc vno statuerunt, vt liberos suos benè educarent proprijs vberibus eos alentes. Atq; & ipsæ et patres filios suos non adulationem teterrimũ ac detestabile vitium, quod nũc maxima virtus, & vrbanitas esse à multis existimatur, docebant, sed veras virtutes, et vrbanitatem, quæ illa est, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum neq; sensu, neq; verbis neq; ore, gestuúe posset deprehendi. Tantaq; cura & di

lectio fuit Corneliæ in liberos suos, quo eos quàm optimè & splendidè educaret, vt Ptolomei regis nuptias respuens in uiduitate viuere maluerit, licet ille regni & diademaitis communicationem offerret. quæ semper probos & exquisitos vtriusq; linguæ magistros liberis suis delegit, qui eos & bonis literis, & moribus imbuerent. Ita & Aurelia, & Attia, aliæq; egerunt. His & eiusmodi pudicis, & honestis mulieribus curæ erat manere domi, viros suos, vt par est, colere, pudicitiam & castitatem seruare, suis inseruire liberis, gubernare domum, manibus colum, fusum, calathum, et acum incubiculo vel in medio ædium inter pedissequas tenere, trahere pensa, pectere lanas & linum, & texere telas. Qualis etiam fuit, præter cæteras, Lucretia illa nobilissima Romanæ pudicitiæ dux, quæ, ait Liuius libro primo, non in conuiuio & luxu tempus terebat, vt quædam facere assolent, sed nocte sera dedita lanæ inter lucubrãtes ancillas in medio ædiũ sedebat. Et quidẽ Romani, ait Plu. in Romulo. vxores ad nullũ aliud opus, q̃ ad lanificium ducebant. Et Sabini cũ Romanis pacem inientes percusso fœdere conuenerunt de mulieribus, vt nulla alia in re viris quàm in ijs. quæ ad lanificium pertinerẽt, operam suam nauarent, quales vel Homerus principum & clarorum virorum coniuges fuisse scribit, non tota die per vrbem vehiculis inuehi, non cytharas & liras, non libellos obscœnis amoribus & fabulis refertos tenere, non psallere saltare et cantare, quæ sunt instrumenta luxuriæ, non vanis ornamentis delectari. Considerabant enim q nec vestimentorum nitor, &

delicio sus

delicioſus cultus, nec excellentia pulchritudinis, nec aurei ornamenti magnitudo tantum valent ad mulieris laudem quantum modeſtia in rebus, & ſtudium honeſtè decoreq; viuendi, & liberos ſuos quàm ſplendidè educandi. Qua ex re *ingentem, atq; immortalem laudem & ſibi, & liberis ſuis compararunt.* Sed de puerorum alitura Phauorinus philoſophus apud Gelliũ libro duodecimo mulierem quampiam puerperæ matrem alloquens, quæ infantem nutrici adhibitæ alendum tradere ſtatuerat, hunc in modum prudentiſſimè diſſeruit. Oro te mulier, ſine eam totam integram eſſe matrem filij ſui. quod eſt hoc contra naturam imperfectum, atq; dimidiatum matris genus peperiſſe, ac ſtatim ab ſe ſe abieciſſe? Aluiſſe in vtero ſanguine ſuo neſcio quid, quod non videret, non alere nunc ſuo lacte quod videat iam viuentem? Iam hominem? Iam matris officia implorantẽ? An tu quoq; putas naturam fœminis mammarum vbera quaſi quoſdam næuulos venuſtiores non liberorum alendorum, ſed ornandi pectoris cauſa dediſſe? Sic enim quod à vobis ſcilicet abeſt, pleræq; iſtæ prodigioſæ mulieres, fontem illum ſanctiſſimum corporis generis humani educatorẽ areſacere, & extinguere, cum periculo quoq; verſi corruptiq; lactis laborant, tanquam pulchritudinis ſibi inſignia deuenuſtet. Quod quidem faciunt eadem vecordia, qua quibuſdam commentitijs fraudibus nituntur, vt fœtus quoq; ipſi in corpore ſuo concepti aboriantur, ne æquor illud ventris irrugetur, ac de grauitate oneris, ac labore partus fatiſcat. quod cum ſit publica deteſtatione cõmuniq;

odio dignum, in ipsis hoīem primordijs, dum fingit dum annimat, interipsas artificis naturæ manus interfectū iri, quantulū hinc abest iam perfectū, iam genitum, iam filiū, proprij, atq; consueti, atq; cogniti sanguinis alimonia priuare. Sed nihil interest (hoc enim dicit) dū alatur, & viuat, cuius id lacte fiat, cur igit iste, qui hoc dicit. si in capescendis naturæ sensibus tā obsurduit, nō id quoq; nihil interesse putet, cuius in corpore, cuius ex sāguine cōcretus homo, et coalitus sit? An qui à spiritu multo ex colore exalbuit, non idē sanguis est nūc in vberibus, qui in vtero fuit? Nonne hac quoq; in re solertia naturæ euidens est, quod posteaq̄ sanguis ille opifex in penetralibus suis omne corpus hoīs finxit aduētante iam partus tēpore, in supernas se partes profert, & ad fouēda vitæ, atq; lucis rudimēta præsto est, & recens natis notū, et familiarē victū offert? Quam ob rem non frustra creditū est, sicut valeat ad fingendis animi, atq; corporis similitudines vis et natura seminis nō secus ad eandē rem, lactis quoq; ingenia et proprietates valere. Neq; in hoībus id solū, sed in pecudibus quoq; animaduersū. Nam si ouium lacte hœdi, aut caprarū agni alerētur, constat fermè, in his lanā duriorem, in illis capillum gigni teneriorē. In arboribus etiam et frugibus maior plerunq; vis & potestas est, ad eaꝝ indolem vel detractandam, vel augendā, atq; terrarum quæ alunt quàm ipsius, quod iacitur, seminis, ac sæpe videas arborem lætam & nitentem in locum alium traspositam deterioris terræ succo deperisse. Quæ (malum) igitur ratio est nobilitatem istam nati modo hominis, corpusq; & ani

mum benignè ingenitis primordijs inchoatum insitiuo degeneriq; alimento lactis alieni corrumpere? Præsertim si ista, quam ad præbendum lac tunc adhibebitis aut serua, aut seruilis, & vt plerunque solet externæ atque barbaræ nationis, si improba, si informis, si impudica, si temulenta est. Nam plerunque sine discrimine quæcunque id temporis lactans est adhiberi solet, patiemur ne igitur infantem hunc nostrum pernicioso contagio infici? Id hercle ipsum est, quod sæpenumero miramur quosdam pudicarum mulierum liberos parentum suorum neque corporibus neque animis similes existere, scitè igitur noster Maro, quod cum versus illos Homeri cõsectaretur. (πηλεὺς οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα) λασ.(&c οὐδὲ θέτις μήτηρ γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα πέτραι τ' ἠλίβατοι ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής

Non partitionem solam, tanquam illam, quam ille sequebatur, sed alituram quoque feram & sæuam criminatur. Addidit enim hoc de suo, hyrcanæq; admorunt vbera tigres. Quoniam videlicet in moribus inolescendis magnam ferè partem ingenium altricis, & natura lactis tenet. Quæ iam à principio imbuta paterni seminis concretione ex matris etiam corpore & animo recentem indolem comfingunt. Et præter hæc autem qui illud etiam negligere aspernariq; possit, quod quæ partus suos deserunt, ablegantq; ab se se, & alijs nutriendum dedunt, vinculum illud, coagulumq; animi atque amoris, quo parentes cum filijs natura consociat, interscindunt, aut certequidem diluunt deteruntq;. Nam infantes aliorsum dati, su-

cta ex oculis amolitio est, vigor ille maternæ flagrantiæ sensim atq; paulatim restinguitur, omnisq; impatientissimæ solicitudinis strepitus consilescit. Neq; multo mitior *amandati ad nutricem aliam filij, quàm, morte amissi ob liuio est. Ipsius quoq; infantis affectio animi, amoris consuetudines, in ea sola, vnde alitur, occupatur: & proinde (vt in expositis vsu venit) matris, quæ genuit, neq; sensum vllum, neq; desiderium capit.* Ac propterea *obliteratis & abolitis natiuæ pietatis elementis, quicquid ita educati liberi amare patrem atq; matrem videtur, & magnam ferè partem non naturalis ille amor, sed ciuilis & inopinabilis.* Cornelius item Tacitus in Dialogo de Oratoribus *de vetere illa laudabili educandorum liberorum ratione ita scribit. Iam primum suus cuiq; filius ex casta parente natus, non in cella emptæ nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur. Cuius præcipua laus erat tueri domum, & inseruire liberis.* Eligebatur *autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis spectatisq; moribus, omnis cuiuspiam familiæ soboles cõmitteretur, coram qua nec dicere fas erat, quod turpe dictu, neq; facere quod inhonestum factu videretur.* Ac *nõ studia moresq;, sed remissiones etiam lusuq; puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat.* Sic Corneliam Graccoborum *sic* Aureliam *Cæsaris, sic* Attiam *Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus. quæ disciplina ac seueritas eò pertinebat, vt syncera & integra & nullis prauitatibus detorta vniuscuiusq; natura, toto statim pectore arriperet artes hone*-

ſtas, & ſiue ad rem militarem, ſiue ad iuris ſcientiã, ſiue ad eloquentiæ ſtudiũ inclinaſſet, id ſolũ ageret, id vniuerſũ hauriret. At nunc natus infans delegat græculæ alicui ancillæ, cui adiungit vnus aut alter ex omnibus ſeruis plerunq; viliſſimus, nec cuiquã ſerio miniſter accomodatus hoꝝ fabulis & erroribus teneri ſtatim, & rudes imbuuntur. Nec quicquã in tota domo penſi habet, quid coram infante domino aut dicat, aut faciat, quando etiã parentes ipſi nec probitati nec modeſtiæ paruulos aſſuefaciunt ſed laſciuiæ et libertati. Per quæ paulatim impudẽtia irrepit, & ſui contẽptus. Ideo vero propria & peculiaria huius vrbis vitia penè in vtero matris concepti mihi videntur, hiſtrionalis fauor, & gladiatorũ, equorũq; ſtudia, quibus occupatus & obſeſſus animus quantulũ loci bonis artibus relinquit. Quotũquenq; inueneris, qui domi quicquã aliud loquatur? quos alios adoleſcentulorũ ſermones excipimus, ſi quando auditoria intrauimus? Nec præceptores quidẽ vllas crebriores cũ auditoribus ſuis fabulas habent. Colligunt enim diſcipulos nõ ſeueritate diſciplinę, nec ingenij experimẽto, ſed ambitione ſalutantiũ, ſed illecebris adulationis. Tranſeo prima diſcentiũ elemẽta, in quibus et ipſis parum elaboratur. Nec in auctoribus cognoſcendis, nec in euoluẽda antiquitate, nec in notitiã vel rerum vel hoĩum, vel temporũ ſatis operæ inſumitur. Plato etiã lib. quarto de Rep: de puerorũ educatione. Præter cætera ſic ait. Hoc vnũ magnum ſeruandũ præcipimus educationẽ, et eruditionẽ. Nam ſi bene educati, viri moderati euaſerint, facile oĩa diſcernent, quippe educatio eruditioq; bona ſeruata

ingenia quoque bona efficit. Rursusque bona ingenia educationem huiusmodi consecuta, meliora etiam quàm prius euadunt, tum ad alia, tum ad filios generandos, quemadmodum in cæteris animâtibus. Et paulopost. *Quale cuiusque fuerit puerilis educationis initium, talia forè etiam quæ sequuntur. nam simile semper simile prouocat.* Et libro quinto iubet vt nutritio quàm similima generationi adhibeatur. *nam ex dissimili nutritione animus a sui generis claritate degenerat.* Et lib. sexto. *Natura optima, si sub aduersa forma nutriatur deterior euadit, quàm ignaua. Hac ratione animi præstantissimo ingenio præditi, si male fuerint educati, pessimi fient. atque infanda scelera & extrema nequitia non ex ignauo potius, ingenio, quàm generoso educatione corrupto procedunt.* Et libro septimo plura de educatione puerorum edisserat, atque, præter cætera ait. *Existimandum est rectam educationē & corpus, & animum quàm pulcherrima, & optima reddere.* Et libro septimo de Leg. *Puer est omni bestia intractabilior, nam cum prudentiæ fontem nondum perfectum habeat insidiosissimus est, & petulantissimus omnium bestiarum. ideo multis quasi frenis vinciendus est.* Et rursū *Deliciæ difficiles, morosos, & iracundos, & leui de causa excitabundos iuuenum mores efficiunt. contra vero nimia seruitus atrox abiectos & illiberales, & humana perosos facit, & ad humanam consuetudinem ineptissimos reddit.* Theano quoque Pythagoræ vxor, philosophiæ sectatrix multa pulchra, ac scitu digna de pueris educandis scribit: digna, inquam, vtique virili prudentia, ac sapien-

tiæ, nedum muliebri, ait quidem ad Eubolam *scribens: Audio te pueros delicatè educare, sed certè optimæ genitricis est liberos non deliciosè, & licenter enutrire, sed modestè, ac sobriè. Animaduerte obsecro ne non diligentis, sed adulantis opus agas. Siquidem voluptuosa educatio pueros assentatores reddit. Quid suauius iuuenibus domestica voluptate? Opotet equidem puerorum educationem carere peruersitate. Naturæ autem peruersitas est cũ pueri animo fuerint voluptuarij, corpore vero delicati, ac molles, laboresq́; omnes effugerint, ac molliores euaserint. Oportet autem cum educantur exercere eos ne terribilia metuant, siue cum affligi, siue cum laborare opus fuerit, ne turpium affectuum serui reddantur: Nam ob voluptates gulosi efficiuntur, et ob desidiam labores effugiunt. Debent pueri res honestas sũmopere complecti, abstinere à vitijs, & perseuerare in virtutibus: Cauenda est pueris ciborum facietas, & sumptuosa voluptas, & superflua licentia ludorum. Neq; permittendi sunt, vt intẽperatè & impudenter in ludis se se exerceant, neq; vt omnia dicant, aut agant. Neq; metuas si interim plorent, neq; læteris, & rideas cum nutricem pulsauerint, aut tibi maladixerint. Neq; in æstate frigus, aut in hyeme calorẽ suppedites, aut multas delicias, quibus inopes pueri omnino carent qui quidem facilius educantur, & crescunt nihilominus, ac lõge meliores efficiuntur. Tu vero, veluti Sardanapali progeniem, èducas pueros, marium naturã voluptatibus effeminas. Quid enim faciet aliquis puero qui, nisi celeriter comedat, plorat, et si comederit, delecta*

bilia obsonia querit? quòd si æstum senserit debilitatur, si frigus, concidit, si obiurgatur, reluctatur: et nisi ei ad voluptatem res administrabuntur, tristatur: & si non præmansum in eos inferatur, ægrefert: & ad voluptatem prauo ocio vtitur, ac molliter, et effeminatè circumagitur. Studiosè aũt cum scias ꝙ pueri deliciantes dum pubescent in viros mancipia reddentur, huiusmodi voluptates auferas, & educationem austeram, non delicatam adhibeas: ac permittas eos famem, sitim frigus, æstum et erubescentiam pati & ab æqualibus, & à præceptoribus. Sic enim et exercentur animo impigro, & corpore adolescunt. Labores enim quædam corroboramenta sunt pueris ad virtutem, quibus imbuti, quòd satis sit, virtutis colorem appræhendunt. Vide igitur ne quemadmodũ vites malè cultæ fructum non afferunt: ita propter delicias pueri petulantiæ, & multarum mugarum malitiam gignunt. Aristoteles etiam pueris conducere ait interdum plorare, & iuxta famem, ac sitim, iuxtaq; frigus, et æstum pati. Et Varro de liberis educandis apud Nonium ait: At puer cibo vtatur modico, & idoneo, & vitet acria, vt est sinapi, cæpa, allium. Et rursus: Mihi puero modica vna fuit tunica. Et rursus. Remouendi sunt pueri à consuetudine prauorum puerorum, et vt in grege opilio oues minus idoneas remouere solet, quas reiculas appellat: sæpe enim vnus puer petulans, atꝙ impurus coinquinat gregem puerorum. Et Seneca libro secundo de ira. Calentibus ingenijs subtrahatur vinum, quod plato putat pue-

ris negandum, & ignem vetat igne nutriri. Nec cibis quidem implendi sunt. distendentur enim corpora. & animi cum corpore intumescent: Et Gellius libro quarto. Pueros impuberes compertum est si plurimo cibo, nimioq; somno vterentur, hebetiores fieri, animaduertimusq; hinc elici tarditatem, corporaq; eorum improcera fieri minusq; adolescere. Idem pleriq; alij medicorum philosophorumq;, et M. Varro in libro de pueris educandis tradiderunt. Quare parentes, quibus curæ est, vt liberi sui morati, ac probi euadant, studiosè, ac diligenter caueant, ne eos deliciosè, & licenter educant, neúe, præter cætera pueri nimio cibo, potu, ac somno vtātur, quæ eiusmodi & corporibus, & animis puerorum officiunt. Hec habui Quirites de puerorum educatione quæ dicerem. Nunc reliquum est ostendere quàm pernitiosa res sit latinos, græcosq; libros, quos clarissimi auctores magnis laboribus, ac vigilijs, assiduisq; studijs ediderunt, ac sacros libros in vulgarem sermonem exprimi. Et liberales artes, ceterasq; disciplinas, atq; eam ipsam diuinam scripturam cum vulgo inerti, & ignauo communicari, Cæterum vt hi plebeij doctores auari, ac lucriones, qui, cum nesciant quid distēt æra lupinis, innanem vulgi auram venantes, eiusmodi libros in plebeium sermonem exprimunt, & ingenuas disciplinas, diuinasq; literas quæstui habentes cū vulgo cōmunicant, et cibum, vt aiunt in matellā immittūt, planius intelligant quo in errore versentur, quātaq; repræhensione et multa digni sint, et adolescentes vulgi vitā effugiant, quænā sit vulgi vita prius

ostendendum est. Equidem eius ingenij est vulgus, vt rarò aut nunq̃ ferè cedat rationi, cum eam minime cognoscat, ac semper victor videri contendit. Et vbi ei veritas, & ratio desunt, earum loco subeunt clamor, conuicium, & irrisio, quibus se plurimum vincere posse confidit. Nam cum cæcus sit, & indoctus non exultat modo, sed insultat atiam. Nil enim, ait Cyprianus, impudentius est vulgi, ac plebis arrogantia, qui garrulitatem, auctoritatem putat. Nam ex ignorantia pestem superbiæ, atq; audatiæ contraxerunt, & veritatem Varijs sermonibus dissipatam corrumpere solent, cuius persuasionibus inhærentes libenter erratis, stultitiæq; suæ fauent. Pompis item, ait Lactantius, innanibus gaudet, animisq; puerilibus spectat omnia, oblectatur friuolis. quod vulgus Hippodamus appellat audax, & præceps. Cleanthus, amens. Virgilius, ignobile miserabile, fallax, incautum, inerme; stolidum, & incertum. Cicero, Vanum, & imperitum. Horatius. malignum, infidum, profanum, & turbam ventosam. Ouidius rude, inane, indoctum, leue, mobile, attonitum, inerme, et expers artis. Propertius, indoctum. Cornelius Tacitus, mobile insultans, ignauum, imperitum, stolidum, credulum, præceps, auidum. socors, mutabile, cupiens voluptatum, ad deteriora promptũ, sine falsi veriq; discrimine, adulationes edoctũ. Ammianus, ad dementiam suapte natura procliue. Apuleius, imperitũ, ignobile, & indoctum. Columella imperitum. Seneca poeta, attonitũ, mobile, & rude. Plinius, sordidum, humile, ignorãs, & imperitum. Plinius Cæcilius, attonitum. Lucanus, iners,

& segne. Claudianus, iners, & mobile. Statius, mobile, inane, anceps, & plebem ociosam. Dionysius Areopagita, profanum. Clemens Alexandrinus, surdum, & cæcũ. Tertulianus, cæcum, & indoctum. Cyprianus, stultum, prodigum, & cænosam cloacam. Greg. nazanzenus, seditiosum, insanum, ignauum, imperitum, indocile, & rationis expers. Arnobius, imperitum, & indomitum. Hieronymus indoctnm, mobile, mutabile, seditiosum, vile, & imperitum. Augustinus imperitum. Cuius verba Cicero sibilos nuncupat. Iuuenalis murmura. Horatius ipsum insanire docet. qui libro secundo Car. glariatur ꝙ græcæ disciplne verè sibi vulgus malignum spernere dederint. Et libro tertio ait. Odi profanum vulgus, & arceo. Et Epistolarum primo. Non ego ventosæ plebis suffragia venor. Et Ouidius Amorum libro primo ait. Vilia miratur vulgus. Et Fastorum libro sexto dea monet poetam ne vulgi errore trahatur. Cicero libro tertio de Fin. laudat Catonem, qui inanem vulgi reprehensionem non reformidabat. Et libro secundo de legibus ait. Opinionibus vulgi trahimur in errorem, nec vera cernimus. Et libro tertio sub Attici persona. Mihi vero nihil vnq̃ populare placuit. Et pro Plancio. Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia. Et pro Murena. Nibil est incertius vulgo. Et pro Q. Roscio. Sic est vulgus, ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. Et Offic. primo. qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. Et libro primo de Nat. Deorum. Vulgi opiniones in maxima inconstans

tia, et veritatis ignoratione versantur, Et in Parad. Plus apud me valebit vera ratio, quàm vulgi opinio. Et de somnio Scip. Alte specta si voles nec sermonibus vulgi dederis te. Et libro tertio de Oratore sub L. Crassi persona dolet se vulgi opinionibus esse oppressum. q̃ omnia complecti nequeat. Sed quoniam, inquit, oppressi iam sumus opinionibus vulgi, & hominum leuiter eruditorum. Multo quidem plus doleret nunc si uiueret & sua scripta à temerarijs, et auaris vulgi iudicio exposita videret. Opinari quidem cuiq; perito & prudenti viro licet, q̃ et ipse Cicero, & alij omnes docti ac sapientes viri, quorum labores vano, et rudi vulgo sunt expositi, cuius iudicium semper formidarunt, & cauerunt, si ab inferis excitarentur, ad sidera clamores emittentes, hos temerarios, & auaros, qui aliorũ laboribus quæstũ faciunt, probris flagrisq; afficerent, innumeris, ac mordicus etiã peterent. Seneca persæpe cõmonet Luciliũ, vt vulgi vitam, & ea, quæ vulgo placent vitet. qui Epist. libro primo ait. Id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quàm vulgus. Et rursus. Clamo vitare quæcunq; vulgo placent. Et libro secundo. Non est nostræ professionis vulgi fauores appetere, quia quæ quis fugit, damnat. Circunspiciendum nobis est ergo quomodo à vulgo tuti esse possimus. Et lib. nono, Indue magni viri animum, & ab opinionibus vulgi secede: Paulisper cape quantum debes virtutis pulcherrimæ, ac magnificentissimæ speciem, quæ nobis non sertis, sed sudore, & sanguine colenda est. Et libro vndecimo. Nemo gratus esse potest, nisi contempserit ista propter quæ vul-

gus insanit. Et libro primo de Vita Beata. Argumentum pessimi turba est, quæramus quod optimè factum sit, non quod vsitatissimum, & quod nos in possessione felicitatis æternæ constituat. Non quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit. vulgus autem tam chlamidatos quàm coronatos voco. Et rursum. Omnia vulgi vitia non inuisa nobis, sed ridicula videantur. Democritum imitemur, qui quotiens in publicum processerat, ridebat. Et Clemens Alexandrinus vulgus cū sit surdum, & cæcum delectatur ijs, quæ sunt ei similia. non enim veritatem amplectitur. nam ea est austera, grauis, & Seuera. Et Cleāthus stoicus apud Clem. ipsum strom. quinto.

Ne spectes famam, dum vis sophos esse repente
Terreat amentis nec te sententia vulgi,
Iudicium sapiens & iustum non habet vllum
Vulgus, & in paucis vix hoc reperire licebit.

Et Euripides. Iners ego sum meos in vulgus versus dare. Et comicus. Pulchra in tumultu iudicare non decet, Et Plato in Assaxtocho. Populus est ingratus, morosus, crudelis, inuidus, vt qui sit ex colluuie turbæ, & stultis insolentibus collectus, huic autem qui assentatur multo tempore miserior est. Et in Hippia vulgus verum, minime cognoscit. Et rursum. Ego vero non quærebam quod vulgo pulchrum videtur, sed quod pulchrum ipsum est. Et in Protagora. Vulgus ea laudat, quæ ipsi prædicant. Et in Phedro corripitur à Socrare Orator boni, maliq; ignarus, qui vulgi opiniones aucupatus mala facere pro bonis inducit. Et rursum. Siquidem

ignorare quid verum sit, quid falsum de iustis, et iniustis, de bonis, & malis, etiam si vulgus vniuersum laudauerit, fieri nunq̃ potest quin sit reuera turpissimũ. Et in Apologia. Sed neglexerim quæcunq; multi faciit vulgus, quæstũ, rem familiarem, præfecturas, conciones, cæterosq; magistratus. Præterea vitauerim coniurationes, atq; seditiones, quæ in Rep. contingerunt. Arbitratus me ipsum reuera ad æquiora officia natum, q̃ ab his salutem meam pendere existimarem. Et libro octauo de Rep. gaudet vulgi cupiditates à sapientibus esse superatas inquiens. An non hæc in ciuitate hac vides, hic cupiditates vulgi, viliumq; personarum superatas à cupiditatibus, & temperantia paucorum modestorum hominum? Et libro nono Socrates omnino vulgi vitam quasi quodam oraculo pandens inquit. Homines igitur prudentiæ, virtutisq; expertes, & epulis, rebusq; similibus mancipati deorsum feruntur. Rursumq; ad medium vsq; perueniunt, & circa hæc per omnem vitam oberrant super hæc vero emergunt nunq̃, & quod verè summum bonum est, nequaquã suspiciunt, neq; ad superna euehuntur, neq; vera vlla re quandoq; fruuntur, neq; stabilem, puramq; gustant voluptatem, sed veluti pecora, humum proni spectant, ventriq; obedientes, pascendo, coeundoq; ætatem conterunt. Proq; his rebus vberius potiundis calcibus inter se, & cornibus ferreis, vnguibusq; decertant, se se inuicem ob inexpiabilem libidinem trucidantes, vt potè, qui neq; veram, & firmam sui partem veris pabulis implent, Et libro sexto vulgus ipsum vasto, & robusto, bruto anima

li comparat, negatq́; omnino liberales artes vulgo ipsi communicandas esse, vbi ait. An *differre tibi ab hoc ille videtur,* ꝙ *multorum, variorumq́; hominum in vnum cõuenientium, iram, voluptates calere, sapientiam ducit. Siue in pictura, siue in musica, siue in administrãdæ* Reip. *disciplina?* Patet *enim* ꝙ *si quis cum his versetur, eisq́; ostendat vel poesis, vel alterius artis opus, vel ad* Remp. *attinens ministerium, exhibeatq́; vulgo iudicandi operis auctoritatem vltra necessaria, diomedea, vt aiunt, necessitate cogetur ea facere, quæ isti probauerint.* Non *potest vulgus vel alio dicente admittere, vel ex se attingere ipsũ per se pulchrũ: philosophus enim vulgus esse nõ potest.* Et *in libro de natura* Hominis *multis rationibus probat vulgus neminem ad aliquid erudire posse, nisi tantum ad natiuam, communem, vulgarem, plebeiamq́; linguam, & ad talarem ludum, vt* Alcibiades, *qui se græcè vulgarè loqui à vulgo didicisse refert.* Nam *populus natiuam vulgarem, communemq́; linguam optime docere potest.* Omnes *enim, inquit, quid sit lignum, & quid sit panis intelligunt.* Et *in* Protagora. *Cũ enim omnes pro viribus virtutis præceptores sint, si quæreres quis præceptor nos græcè loqui docuerit, nullus vtiq; appareret.* Nusquam *enim gentium vernaculus vulgaris, popularisq́; sermo in scholis à magistris ediscitur, sed à vulgo ipso, vt iam manu demonstrauimus.* Et *in* Alcibiade *secundo poesim vulgo peruiam non esse ait,* Est *enim, inquit, ipsa natura vniuersa poesis ænigmatũ plena, nec quis eam dignoscit.* Et Socrates *apud eundem in* Theæteto *ait.* Protagoras

egregiè sapiens quædam plebeijs istis per inuolucrum quoddam dixit, nobis autem discipulis in adytis veritatem explicauit. Et libro secundo de Rep. Dei arcana diuulgari impium, & profanum esse censet. Atq; Hesiodum acerrimè increpat, quod diuina quædam cũ vulgo communicauerit, ait enim. Primum quidem, & maximum, & de maximis rebus mendatium, quod non probè mentitus est Hesiodus. quando gesta à Cælio fingit, additq; quemadmodũ Saturnus eum puniuit, quæue egit Saturnus recenset, & quæ à filio perpessus est. quæ quidem etsi vera essent, non tamen putarem tam apertè ad homines mentis inopes, adolescentesq; proferenda, sed tacenda potius. Sin autem necessitas esset loquendi, in arcanis audienda paucis non porcum sacrificantibus, sed preciosam quandam raramq; victimam, vt quàm paucissimos audire contingat. Et in Sophista. Vulgariũ animarũ oculi diuinitatis radios sustinere non possunt. quòd si Plato falsorum deorum fabulosa arcana rudi, & imperito vulgo manifestanda non esse censet, sed paucis, & ijs probis, & eruditis, ac sapientibus. quanto magis veri, ac summi Dei mysteria vulgus ipsum celanda sunt. Et non solum falsorum Deorum fabulosa arcana vulgo aperienda non esse vult Plato, sed nec etiam, vt ostendi, liberales artes, cæterasq; ingenuas disciplinas. quas animos prauis moribus affectos assequi non posse sent t in Sophista, nisi prius purgati fuerint, & puri euaserint. Et quidem iure Nam, vt probè Horatius ait, syncerũ est nisi vas quodcunq; infundis acessit. Pythagoras sectatores suos

res suos prohibuit sequi vulgus sentētiā, quæ caret studio, & non est sine cōtrouersia. Hipparchus *Phytagoreus, ait* Clem. Alex. *accusatus quòd aperte scripsisset secreta py- thagoræ expulsus fuit è schola, et propter ipsū tanq̄ pro pter mortuum facta est columna. Demū & pythagoras,* & Plato, et Epicurei, & Stoici & Aristotelei itē *poetæ multa habebant, quæ nō omnibus obuia erant. Sed et ipsi, & barbari suas doctrinas, suaq́; mysteria, ac dogmata texere, atq; obscurauere aut fabulis, aut tegmine aliquo ne manifesta essent omnibus.* Gallorum *druides, ait* Cæsar *belli Gallici libro sexto, ea, quæ in disciplina sua contine- bantur, neq; fas esse existimabant literis mandare, cū et in reliquis ferè rebus publicis, priuatisq́; rationibus græcis literis vterentur ne in vulgum disciplina efferretur:* In *qua nonnulli annos vicenos permanebant.* Ægyptij, *ait* Herodotus *in* Euterpe, & Diodorus Siculus *libro secun- do & quarto, literis bifarijs vtuntur, quarum vnas sa- cras vocant solis sacerdotibus notas a parentibus eorum priuatim acceptas populares alteras, quas vulgò di- scunt.* Petilius *prætor, ait* Liuius *libro quadragesimo,* & Plinius, & Plutarchus *in* Numa, *cum legisset libros* Numæ, *qui in arca eius inuenti sunt, retulit ad senatum non videri sibi neq; fas, neq; pium, vt quæ in libris scri- pta essent audidirentur à multitudine, proindeq́; li- bros illos in comitium igni tradidit. Id ēt* Valerius Ma- ximus *libro primo scribit. qui ait, septem libri græci* Numæ *de disciplina sapientiæ, quia aliqua ex parte ad soluendam religionem pertinere existimabantur,*

ex auctoritate Senatus à Petilio prætore in conspectu populi cremati sunt, ne animi hominum à deorum cultura auocarentur. Cumeæ Sibyllæ libri, ait Lactantius in libro de falsa religione, à Romanis occultabantur, neque eos ab vllo, nisi à quindecim viris inspici fas erat. Quod ipsum etiam Dionysius Halicar. libro quarto. & Gellius libro primo scribũt. Augustus, ait Dion. libro quinquagesimo quarto, iussit vt sacerdotes suis manibus libros Sibyllinos, qui vetustate ferè consumpti erãt, scriberent, nequis alius eos legeret. Cereris sacra, ac mysteria, ait Herodotus libro secundo, & Diodorus libro sexto, item Iustinus, nulla magis re, q̃ silentio sacrata erant, quæ in arcanis seruabantur solis initiatis nota. Et Ouidius libro secundo de Arte amandi profanum appellat eum, qui Cereris, & Iunonis sacra diuulgat. Quòd si Druidum, Ægiptiorum, Sibyllæ, Pythagoræ, aliorumq; mũdanas disciplinas, et falsorum deorum sacra rudi, & imperito vulgo obuia non esse censuerunt ethnici idolorum cultores, quid de veri Dei occultis mysterijs dicendum est? Alexander Seuerus Imperator, ait Lampridius, iussit quẽadmodum in eleusinis sacris dicitur, vt nemo ingrediatur, nisi qui se innocẽtẽ nouit. quod igit ethnicus princeps fecit de Cereris sacris, non faciet christianus princeps de diuina Scriptura? Non prohibebit, ne in popularẽ sermonem exprimatur? Theod. & valent. Imperatores, vt libro quinto Cod. liquet, verba latina legitima vocant, ꝓ Romanas sanctiones, ac testamẽta, & huiusmodi nulla alia lingua, q̃ latina scribi liceat. excepta græca, quæ in huiusmodi vti legitis

ma habetur. Iustinianus Cæsar, vt in Aut. Col. v. et Dig. libro quartodecimo liquet præcipit, vt gesta oīa etacta etiam publica, vel in iudicijs latinè scribantur · similiter & sentētias aut latina aut græca tantum lingua à iudicibus proferri. Qui vt libro septimo Cod. scriptum est, Romanas leges vtraq; lingua scribi voluit, Græca propter multitudinis frequentiam, & latina ob Reip. figuram. Siquidem resp. Latina, idest Romana, est. quiq; Aut. Col. tertia, & libro primo Cod. præcipit nequis leges ipsas interpretetur nisi verbis latinis, aut græcis, ait enim. Sancimus, vt nemo neq; eorum, qui in præsentia iuris peritiam habent, neq; qui postea fuerint audeant commentarios his legibus annectere · nisi tantum si velit eas in Græcam vocem transferre sub eodem ordine, eadem consequentia sub qua voce Romana positæ sunt quod græci κατὰ πόδα dicunt. Vel siquid forsitan per titulorum subtilitatem adnotare maluerit & ea quæ παράτιτλα nuncupantur. Alias autem legū interpretationes, immo magis peruersiones eos tractare non concedimus, ne verbositas eorum aliquid legibus nostris afferat ex confusione dedecus. quod in antiquis edicti perpetui commētatoribus factum est, qui opus moderatè confectum, huc atq; illuc in diuersas sententias perducentes, in infinitum distraxerunt, vt penè omnem Romanam sanctionem esse confusam cerneres, quod si non passi sumus, quemadmodum posteritatis admittatur vana discordia? Id ipsum præcipit lege præcedente. Et rursum Cod. libro sexto, Sancimus fidei iussoris dationem interpretandam nō esse

nisi hoc spāliter in græcis, vel in latinis verbis scriptū fuerit. Quòd si Rom. Impator tāto studio Romanis legibus prouidit, ne ī vulgi sermonē, neue in barbaras linguas trāsferant, ne deprauent, neue eis auctoritas, ac maiestas deroget. quāto id magis agere decet Romanū Pont. æterna sācione de diuina scriptura? quæ haud dubio leges ipsas auctoritate, dignitate, & vtilitate præstat. quā ignorātissimi, et scelestissimi quiq;, quorum Deus vēter est, pūcto tpis doctores esse et videri volentes attrectare præsumunt. Quos spūs sāctus increpās ait quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamētū meū p os tuū? Apud quos nullū discrimen est inter docere, et doceri. Cū Deus gratiarum dona distribuēs, nō oēs, sed quosdā, ait Paulus, posuerit in Ecclesia doctores. Eos autē, q temere doctores esse volūt, increpat Paulus. Qui enumeratis spūalibus gratijs repetit, ac dicit, nunqd oēs Apostoli? Nūquid oēs Prophetæ? Nōquid oēs doctores? Et rursus hos à charitate, et fide aberrātes cōuersos esse ait in vaniloquiū, volētes esse legis doctores nō ītelligētes neq; quæ loquunt, neq; de qbus affirmāt. Vtiq; nisi, īquit, credideritis, nō intelligetis. Et qui dē tota ferè sacra scriptura ænigmatica est, et parabolica. In qua vel syllabæ sedulò sūt pōderādæ. nā nō præteribit à lege vnū iota, aut vnus apex donec oīa fiāt. Itaq; nō ex ignorātia linguarum, artisq; grāmaticæ difficultas est sacræ scripturæ intelligēdæ, sed ex mistica, et occulta eius intelligētia. Nimirū velamē positū est in lectione veteris testamēti. & Euangeliū his qui pereūt est opertū. quare litera occidit, spūs autē viuificat. Et aīalis hō nō pcipit quæ sunt

ſpũs Dei. Et in aĩm maleuolã nõ intrabit ſapĩa, neq̃ hita=
bit in corpe ſubdito pcĩs. Apoſtolici viri, ait philo apud Eu
ſebiũ eccl. hiſt. lib. ſcdõ, diuinã ſcripturã aĩ ali, q̃d ex aĩa
et corpe cõſtat, ſimilẽ eſſe cẽſebãt. litera eſt corpus, ſenſus
ſpũalis eſt aĩa. Propheta Dauid, cuius iugis meditatio erat
teſtimonia Dei, Deũ exorat, vt ſibi mẽtis oculos aperiat,
quo mirabilia legis cõſideret, Et iã gratia impetrata ait.
Viã mãdatoꝝ tuoꝝ cucurri, cũm vero adiecit, quia, inquit
dilataſti cor meũ. Eius enĩ eſt, q̃ diuinę ſcripturæ cognitio
ne, et vitæ probitate eſt prædit9 ſcire q̃n, et q̃uo, et apud
quos debeat proferrè ſermone. Dñs, inq̃t, dat linguã diſci
plinæ, vt ſciã in tpe q̃n oporteat loqui ſermonẽ, et diſcipli
na dñi aperuit os meũ. Hieremias dño mittẽti ſe ad prædi
candũ humiliter, & verecundè reluctatus eſt, ſe puerum
eſſe, & loqui neſcire dicens. Chriſtus rudem, et impe
ritã plebẽ præcepta duntaxat moralia, ſalutariaq́; moni
ta clarè, & apertè docebat: cætera vero obſcurè, & æni
gmaticè loquebat. Apoſtolis autẽ, quibus datũ erat noſſe
myſteria regni Dei, ſeorſũ à turba clarè, et apertè loquẽs
profũda, et abſtruſa myſteria pãdebat. Et nec quidẽ cĩa,
ſed quæ capere poterant. Nã quædã in aliud tẽpus reie=
cit: multa inq̃t, habeo vobis dicere, quæ nõ poteſtis porta=
re mõ. Quibus iuſſit neue ſctm̃ canibus traderẽt neue mar
garitas præ porcoꝝ pedibus proijcerẽt conculcãdas. Nã
ſcrutamini ſcripturas nõ ad rudẽ plebẽ, ſed ad legis peri
tos dixit, vt ſuũ aduentũ, de quo teſtimoniũ ſcripturæ ipſę
perhibẽt, ſciſcitarẽt. Paulus optimus præceptor, et diligẽs
aĩarũ nutritius infantibus in Chrõ lac moralis doctrinæ

potum dat non escã, ne fortè suffocent. Sapientiã autẽ loquit inter perfectos. Ideo nõ ab omnibus per oĩa intelligi voluit, sed à doctis, & Deum timentibus hominibus. Siquidem in suis epistolis, ait Petrus, sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas in suam ipsorum perditionem. qui & Timotheo iubet, vt quæ ab eo audiuerit committeret fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Eius discipulus Dionysius Areopagita passim docet arcana mysteria rudi, & profanę multitudini aperiendá non esse. Atq; Mosis exemplo declarat nõnisi animum purgatum, & à vulgaribus turbis secregatum ascendere posse ad contemplanda diuina cum electis sacerdotibus. Hanc docendi formam omnes ecclesiæ doctores, qui doctrina & sanctitate longe plurimum claruere, seruauerunt, qua de re plura Origenes in Eze. & alibi. Item Ireneus. Clem. Alex. Basilius in Esaiam, & in libro de S. S. & Gregorius Nazian. in Apol. Hesychius in Leuit. Criso in Gen. & in Mat. Hieronyimus in Eze. & ad Paulinũ, Et Augustinus vulgò. qui & in lib. duodecimo de Ciuitate Dei ingenue. & humiliter fatetur multa esse in sacra scriptura quæ ipse intelligere non valuit. Monetq; alios, ne temerè diuinam scripturam interpretentur. & quidẽ liber legis mosis in arca fœderis ipsius mosis iussu, vt in Deut. scribitur asseruabatur, ac septimo quoq; anno populo à sacerdotibus legebatur, qui vnà cum leuitis, vt in Neem legitur, eam populo interpretabantur. In hunc morem lex apud Hebræos excepit. Nam vetustissimi sacer-

dotes Hebræi. lectionem veteris testamenti non omnibus communicandam, & profanandam censentes solis sacerdotibus, & leuitis eam attrectari voluerunt habita ætatis & iudicij, ac vitæ ratione. Nam nonnisi quintum & vigesimum, siue, vt alij, trigesimum annum agentibus eam attrectandam sinuerunt. Idq́; multi è nostris literis mandarunt, vt Origines in Can. Salomonis. Et Basilius in in libro de S. S. Et Gregorius Nazian. in Apol. Et Hieronymus in præfatione in Eze. In hũc modum, ait Basilius, Apostoli, et patres in primordijs ecclesiæ certos ritus præscipserunt. Et Gregorius Nanzian. in oratione de modestia seruanda in disceptationibus, præter cætera monet, vt apud nos lex feratur sicut apud Hebræos, ne cuncti sacros libros legãt. Et certè in synodo Turonẽsi, quæ Carolo cognomento Magno rem Romanam agente celebrata est, non nisi homilias, & sermones sanctorum in vulgarem, & eum Romanum tantum, sermonem exprimi patres sinuerunt, vbi ita sanxerũt. Visum est vnanimitati nostræ, vt quilibet Episcopus habeat homilias continentes necessarias admonitiones, quibus subiecti erudiantur, idest de fide catholica, prout capere possint, de perpetua retributione bonorum, & de æterna damnatione malorum, de resurrectione quoq; futura, & vltimo iudicio, & quibus operibus possit promereri beata vita, quibusúe excludi, & vt easdem homilias quisq; apertè transferre studeat in rusticam, & idioticam Romanam linguam, quo facilius cuncti possint intelligere quæ dicuntur. Cautum est etiam à patribus ipsis ne psalmi vul-

gari sermone in templis recitentur. Ita enim in syn. Laodicen. sanxerunt. Non oportet idioticos psalmos in ecclesia recitari. Quare viderint modo plebij doctores homines fœdi, vasti, hebetes, et rusticani auara quadã, et fœneratoria et vana doctrina præditi, qui, vt magnũ quæstũ faciãt, liberales artes, cæterasq; ingenuas disciplinas, atq; etiamnum diuinas scripturas profanantes, & questui habentes cũ vano, & stupido vulgo cõmunicant, qua pena plectendi sint. Refringatur ergo obsecro istorum arrogans, et superba iactatio imponatur tantæ horum auaritiæ, & garrulitati modus ac finis. Sanciatur, vt tot sapientum & pereruditorum latinorum, ac græcorum, tum Christianorum, tũ ethnicorum labores suis auctoribus restituãtur, & in duabus tantum, diuina vero scriptura in tribus principalibus linguis legantur. tractent fabrilia fabri. sectetur vulgus iners ignauum, & imperitum quæ sua sunt, & eruditi, ac sapientes homines sua. Eia igitur amabo vos latini mei, vt currentem, vt aiunt, incitem, & vt nostri maiores, quibus, quia tale ac tantum donum nobis reliquerunt, gratias meritas, atq; immortales agere tenemur, latinam, Romanamq; linguam atq; eloquentiam amplectamini. Eius obsecro studiosos imitamini, quorum aures ita auidæ, & capaces sunt, vt semper aliquid immensum, infinitumq; desiderent. Probè enim sciunt q; est vitæ fructus bonis literis incumbere. Agamus tanti muneris heredem. Cauete obsecro vulgus incertum, mobile, anceps, leue, mutabile, credulum obstinatum, præceps, audax, humile, ignobile, vile, inane, inerme sordidum,

vanum, miserabile, vilia mirans, indomitũ, crudele, maligñũ, inuidũ, immodestũ, morosum, fallax, mendax, immane, adulationes edoctũ, imperitum, expers artis, ignorãs, socors, ociosum, rude, stultum, indocile, ignauũ insipiẽs, iners, demens, insanũ, incautũ, attonitũ, stolidũ, seditiosũ, ad deteriora promptũ, auidũ, cupiens voluptatum, surdũ, cæcũ, prodigũ, inutile, ingratum, infidum, et profanũ, turbam vẽtosam, & cœnosam cloacã (sic enim ipsũ, vt ostendimus, sapiẽtes hoĩes appellãt) illudq́; cũ horatio insanire docete. eius sibilos, & murmura fugite: nõ è multitudine hac imperita misera & ieiuna, sed è paucis eruditis, & sapiẽtibus esse velite. Illud enim vilia miratur, ac sectat; & vitã inertem, incultam, & ociosã in rebus leuibus, et inanibus traducere percupit. Nos vero illã in virtutibus latinas, græcasq́; literas sectãtes, quæ labore, vtiq; honesto, et glorioso, diutinoq́; studio acquirũtur, exigamus: illudq́; Hesiodi memoria crebro repetamus: quod vt disceret Lepta puer, haberetq́; sẽper in ore, atq; in aĩo Cicero monet

Virtutem posuere Dei sudore parandam,
Arduus est ad eam, longusq́; per ardua callis,
Asper & est primum, sed vbi alta cacumina tangas
Fit facilis, quæ dura prius fuit, inclyta virtus.

Præclaraq́; illa Maronis nostri verba de litera Pyth. Et illud Horatij in poetica.

Qui studet optatam cursu contingere metam
Multa tulit, fecitq́; puer, sudauit & alsit
Abstinuit Venere, & Baccho.

Multi enim laboris est virtutes acquirere, cæterum. Nil

quidem, ait in Tusc. Cicero, dulcius est ocio literario. Et vt *Posidonius apud Senecam Epist. libro vndecimo ait, vnus dies hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longissima ætas,* Non facile dixerim quam mirificos afferunt *fructus bonæ literæ.* Equidem *scientiæ radices,* ait Demosthenes, *siue vt alij Isocrates & M. Cato apud Diomedem, amaræ sunt, fructus iucundiores.* Et quidem nonnisi *per varios casus, per tot laborum discrimina, Aristophanis, & Cleanthis lucerna vtentes ad hanc tendimus, prouehimurque virtutem. Sedes vbi nostri labores quietas, & tranquillas, oblectamentaque plurima et ostendent, & præbebunt. Illic fas est resurgere præmia laborum.* Durate *igitur, libenterque perferte labores, vt vosmet quieti serue tis tranquillæ. Ocium enim sine literis,* ait Seneca, *& res ipsa loquitur, mors est, & hominis viui sepultura.* Et vt *Cato apud columellam ait, nihil agendo homines, male agere discunt.* Et apud Ammianum ait. *Magna cura cibi, magna est virtutis incuria. Est igitur sedulò animo lustrandum quantum nocet esse ignaros, & tempus terere inanibus rebus. Vulgus autem non opifices solum, & mercatores continet, sed omnes imperitos. quantumcunque epulones; & deliciosi quidam bonarum literarum contemptores sibi blandiuntur. Qui nobilitatem in auro, & veste preciosa ponunt. qui quoniam serico, & auro nitent, summo digito caput scalpunt, sedulò cutem curant, putant se, vt dicitur, excernere thus & meiere balsamum.* Plato itemque Cicero, item Aristoteles *vulgò, cæterique sapientes, omnes imperitos in vulgi classe esse scribunt, vt satis*

abundè oſtenſum eſt maximè qua de oratione, et de tragœdijs, & comœdijs latinè recitatis. Quare pergite, vt facitis, amabo vos, latini mei, atq; in id ſtudium. in quo iam verſamini, velis, vt aiunt, & remis, incumbite, quo meliores, prudentiores, & ſapientiores euadere poſſitis, quoq; & vobis honori, & amicis vtilitati, & patriæ emolumẽto, atq; decori eſſe valeatis. Patriæ enim nati, ciuibus, laudi, & gloriæ, non ſomno, non conuiuijs, non delectationi arbitremur. Non ſatis æſtimari poteſt quantam oblectationem ſenes cum eritis ex literarum ſtudijs capietis. Delectabantur maiorem immodum ſenes apud Ciceronem in Catone maiore literarum ſtudijs, quibus à pueris operam nauarunt. Quàm, inquit delectabatur Gallus cũ defectionis ſolis, & lunæ multo nobis ante prædiceret. Gaudebat bello ſuo punico Næuius. Gaudebat Plautus Truculento, & Pſeudulo. Gaudebat Liuius ſuis fabulis, quas docuerat. Gaudebat P. Licinius Craſſus iuris ciuilis ſtudio. Gaudebat M. Cæthegus dicendi ſtudio. quæ ſunt igitur epularũ, aut ludorũ, aut ſcortorũ voluptates cũ his voluptatibus cõparãdę? Atq; hæc quidẽ ſtudia ſũt doctrinæ, quæ quidem prudentibus, et bene inſtitutis pariter cũ ætate creſcũt. Et pro Archia. Literarũ ſtudia adoleſcentiã alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium, ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Cato ille ſapiens, qui ſenex penè, vt dixi, latinas literas didicit, quia inexhauſta ſibi auiditas erat legendi, in curia, dum Senatus cogeretur, ſemper aliquid

Lectitabat, & eas ob res heluo librorum appellatus est à Cicerone. Antoninum philosophum iam Imperatorem, ait Dion. non erubuit neque puduit vnquam ad doctorem proficisci. Sed adijt crebrò Sextũ Boetum philosophũ, & ad audiendos Hermogenis rhetoricorum libros libenter venit. Theodosius iunior Augustus, vt libro primo Hist. tripartitæ scribitur, interdiu exercebatur armis, ac publicarum, priuatarumque rerum sedulò satagebat, nec non ius reddebat, aut solus, aut cum alijs, noctu vero literarum studijs incumbebat. Eius candelabrum humili arte factum erat, atque ipsemet oleum in lucernam fundebat. Nolebat enim quenquam è suis, cum studebat, sibi assistere, ac laboribus detineri. In doctos vero magna liberalitate vtebatur. Ex doctrina vtique prudentia comparat nam, ait Cicero in Bruto, dicere nemo potest, nisi qui prudenter intelligit. Quare qui eloquentiæ veræ dat operam, dat prudentiæ, qua ne maximis quidem in bellis æquo aĩo carere quisquam potest. Nihil enim, ait idem in partitionibus, est aliud eloquentia, nisi copiosè eloquens sapientia. Quæ eloquentia, ait idem libro secundo de Oratore, non in causis modo, ac foro, sed cum ad cæteras res illustres, tum ad scribendam historiam maxime necessaria est. Vulgariũ autem, & leuium hominum vanitates, in quibus omnem operã luxerunt, à vestro studio explodite, et eas ad vltimas orbis oras relegate aut in pelagi profundum demergite. Nam earum lectores vani, ignorãtes, insipientes reddũtur, et molles. Sit vestra ætas, operosa, & animo excelso, & alto digna non languida,

non iners: Monet Horatius Florum vt talia nullius momenti vitet, & sapientiæ studeat, quo alijs tum maxime patriæ prodesse possit. ait enim. Quod si

Frigida curarum fomenta relinquere possis:
Quò te cœlestis sapientia duceret, ires
Hoc opus, hoc studium, parui properemus, & ampli;
Si patriæ volumus, si nobis viuere chari.

Hæc de vulgi vita, atq; ingenio dicta sint. Veniant igit nũc irrisores huius orationis, ac latinæ linguæ contemptores, quos non vanos, vt sæpe, non stultos vt semper, sed dementes, & insanos appelarem, et iam vel ipsi iudicẽt vtrũ plebeiæ vanitatis, an latinæ, & græcæ linguæ debeant esse sectatores. quibus vnde miseris tunc, vnde prudentia? Vt existimantes ad ignorantiam se genitos, tot deliramenta scriberent, ad quæ alius alios incitat. qui si possent, quod sæpe questi sumus, tollere latinam linguam (qua atrocitate sunt) tollerent. Nesciunt insani, nesciunt quãtas vires latinæ linguæ candor, ac virtus habeat, & nomen tantum huius scientiæ vsurpant, quid ipsa valeat, ignorant. Quare iure quidem ipsimet latinam linguam sibi peregrinam esse dicunt. Et certe adeo sibi est peregrina, vt vix eam de facie agnòscant. Cæterum nunc, quia iam de vulgi natura satis dictum habeo, superest, vt, præter ea, quæ aduersus plebeios doctores dicta sunt, aliquid adhuc dicamus: Qui obtentu philosophiæ, & poesis nominis inutile ociũm, & linguæ, & vitæ tenebras sequuntur. Et præter barbariẽ et loquelæ, & adulationis teterrimæ, qua Vrbẽ

Italiamq; reliquam temerantes oppleuerunt, magnas mendatiorum, & vanitatum merces per Italiam ipsam asportantes, atque exponentes eam totam obscœnitatibus, & corruptelarum illecebris referserunt. Vnde adolescētes, ac mulieres & ætate, & natura improuidi hosce vanos, & futiles auctores legentes erratis multis, & corruptelarum illecebris irretiuntur, & vani, lasciui, improbi redduntur, et stulti, atque etiamnum eruditi adulatores. quicquid enim in ipsis est ad perniciem, & morum corruptelam, barbariemq; tantum spectat. Atque ita huiusmodi illecebris, & obscœnitatibus deliniti, erroribusq; imbuti à pietatis, religionisq; cultu deflectunt, seq; sceleribus multis obstringunt. qui vanitatis & obscœnitatis auctores (bona enim pars horum vulgarium scriptorum non modo inutiles, & ineptas, sed perniciosas fabulas, & turpes amores, aliaq; eiusmodi ineptias, ludicrasq; res scribunt, quæ vt dixi, & legentium, & audientium animos deprauant, et corrūpunt) in scribendis plebeio sermone cantilenis, vel fabulis obscænos, & libidinosos amores cōtinētibus nō modo sunt vano, et imperito vulgo secundū priscos illos claros latinos, græcosq; auctores, ita vt sint penè pares, sed illis præferuntur quasi multo omnium doctissimi, & ingeniosissimi. Non suspicientes hos, qui nihil prorsus ad illos, non doctrina, & iudicio, ingenijq; acumine illos superasse, sed impietate, et impudētia. Nā illi ethnici iam, & idolatræ licet talia tractauerint, parce tamen, modestè, ac verecundè propè dixerim tractauerunt, & nec communi, publicoq; sermone, sed regulari,

grammaticoúe, ne omnibus essent peruia. Hi Christiani *queis vel talia meditari fas non erat, impudentius, & inuerecũdius, quàm illi, & plebeio populariq; sermone, vt cunctis perditionis esset occasio, qui de omni verbo ocioso ante tribunal* Christi *reddituri sunt rationem.* Illi *doctrinã suam, atq; iudiciũ, ingenijq; aciem multis alijs in studijs honestioribus, serijsq; rebus præ se tulere.* Hi *quicquid habuerunt, quicquid potuerunt in hoc vno ostenderunt, vnde homines, tum maxime adolescentuli, & mulierculæ qui suopte ingenio in luxum, & petulantiam sunt propensi, vaniores, & lasciuiores euaderent.* Et *talentum, quod à domino acceperunt, ea in re negociati sunt, vnde dominus ipse læderetur, & legentium animæ à* Dei *amore, & timore auersæ* Diaboli *faucibus ingerantur.* Nihil *enim in eis est, quod ad scientiam, sapientiam, vel prudentiam aliquam attineat, nec vllus vnq̃ visus est talibus delectatus qui sapiens euaserit, & prudens, sed quotidie deterior, vanior, dementior, & lasciuior.* Adde *q̃ præter huiusmodi vanitates, lasciuiasq;, præterq; & sermonis, & adulationis, qua plurimum valent barbariem, qua sui libri sunt referti, eorum pleriq; sunt proteruissimi detractores.* Qui *non modo hanc vitam degentibus sed vel mortuis nominatim attrociter detrahunt ipsos petulantissima lingua insectantes, ac nefandissimis vitijs taxantes cum scriptum sit, non detrahes mortuo.* Et *tamẽ non modo, iuxta illud prophetæ, ad excusandas excusationes in peccatis, huiusmodi vulgarij vani scriptores excusantur à vulgo suo, nam inquit, aliquid boni dixerunt, sed*

etiam vt idem propheta ait, laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur, eximiè laudatur, quòd in huiusmodi ludicris inanibusq; rebus, & libidinosis amoribus, fabulisq; scribẽdis ingeniosi fuerint, magnaq; arte vsi. quasi eximia laus sit ingeniosum esse ad malum & nobilem esse factum in scelere. cum filij huius sæculi, ait dñs, prudẽtiores filijs lucis in generatione sua sint. Et *sapientes sunt, ait* Hieremias, *vt faciant mala, bona autem facere nesciunt. quasi etiam non & lenones, meretriculæ, blasphemi, mechi, fœneratores, homicidæ, & eiusmodi* Deum *interim laudẽt, boni aliquid agant & dicant. cum vel dæmones* Dei *&* Christi *diuinitatem fateãtur. Sed* Vęh, *ait* Esaias, *qui dicitis malum bonum, & bonũ malum. quare haud scio quì fieri potuit, vt huiusmodi vani scriptores* Dei *gloriam sint assecuti. qui talentum quod à domino acceperunt, in sterquilinio, prõ pudor, vulgaris vanitatis, vulgarium, inquam, ac spurcarum cãtilenarum, fabularumq;, ludicraq; rei, et detrationis fœtoribus abstruderunt, & nec huiusmodi libellos suos tot malorum fomitem resipiscentes igni tradiderunt. memores se ante tribunal æterni iudicis suæ villicationis rationem reddituros.* Clamat Hieronymus *ad* Lætam *scribens, ne mundana cantica discamus.* Paulus Apostolus *ait* Lucas, Ephesi *vanos & curiosos libellos, qui simplicium mentes corrumpere, & à* Dei *cultu, ac religione auertere videbantur, congestos vndiq; cremari fecit,* Senatus, *ait* Val. Max. *libro primo,* Numæ *libros græcè scriptos, quia ad soluendam religionem videbantur, coràm populo cremari iussit.*

ri iussit, ne animi hominum à deorum cultu auocarentur. Octauianus Augustus, ait Suetonius, creatus Pontifex maximus quicquid fatidicorum librorum græci, latiniq́; nominis nullis aut parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta vndiq; cremauit, ac solos retinuit sybillinos, et hos quoq; delectu habito. Ouidiũ poetã, qui & naso, ait Sextus Aurelius, pro eo quòd tres libellos amatoriæ artis conscripsit exilio damnauit. Quod igitur Senatus, & Pontifex maximus ethnicus & idolatra tanto studio fecit de his, quæ probitati, ac suæ religioni auersari videbantur, non faciet Christianæ legis antistes, in quem omnium Christi ouium cura incumbit, de tot nefarijs, & ludicris, & obscœnis, & lasciuiosis. & detractorijs libellis, qui in vani, & imperiti, & cæci, & miserabilis vulgi (quis enim grauis, ac sapiens vir eos du pondio supputat) manus versantur? nõ prohibendum erit eos lectu? Qui lenonum ritu, heu nefas, heu, inquam, cõmunem hominum perniciem, miserorum, ac simplicium animos, quod sæpe diximus, fædantes, ac corrupentes à pietate, ac veri Dei cultu auertunt, et ad tot ingentia mala alliciunt. Cum potius psalmos, cæterasq́; laudes, festis præcipue diebus, Deo recitare, ac demum religioni, vt nobis est imperatum, vacare deberent. Et quod detestabilius est, et ad dicendum turpe, poesis, et fabular obtentu Christianã religionẽ irrident, Quæ obsecro perniciosior hæresis est, q̃ hæc domestica aĩarũ lethifera tabes? quos libellos, nõ psalmos parẽtes pueris, puellisq́; suis, qui præter cæteras virtutes, modestiã, verecũdiã, et pudicitiã sũt

docendi, tradunt legendos, quo miseri, præter barbariem & loquelæ, & adulationis, quā ex eis addiscunt, his illecebris deliniti facilius, ac citius se sceleribus obstringāt: cū potius eorū animi à voluptatibus, si forte incuria eis deliniti fuissent, essent euocandi, & mali mores ex animis ipsis excutiendi. Puellæ vero, præter morales virtutes, muliebria officia, vt suere nere, texere, lanas & linū pectere, & alia id genus, nō saltare, lasciuas cantilenas psallere, & cantare, essent docendæ. Zenobia Syriæ Regina ethnica, & barbara mulier pueros, pullasq; suas vel latinis vel græcis literis erudiri volebat, nostrarum mulierū nōnullæ non item. Sed quidam iuuenilem ætatem afferunt quasi per ætatem liceat turpiter, & inhonestè viuere, ocio, & delicijs difluere: cum, vt egregiè Cicero ait, omnium querelarū in moribus sit culpa, non in ætate: & delicijs indulgere seruile quidpiam est. Et quod referre pudet, huius ætatis concionalium plerięq; qui in templis diuinum sermonem ad populum faciunt, imperiti, & vani vulgi inanem auram & ipsi captantes, nō contenti perpulchra illa latia, Romanaq; voce, huiusmodi vanos, libidinosos, & perniciosos vulgares libellos curiosè legunt, quo barbariem, qua populo legem Dei prædicent, eruant, & edificant, qua vanitate, ac barbarie oppidò, & ambitiosè gloriantur: cum ipsi potius, si veri concionales sunt Christi legis, cum sermonem ad populum faciunt populo ipsi persuadere deberent, vt huiusmodi vanos, lasciuos, et ludicros libellos, igni tradant. Cæterū plebeij nonnulli leues, futiles, & importuni locutores, vt horum impietatē

causentur, ferunt huiusmodi vonos scriptores, ac fabulatores ac detractores fuisse poetas, poetarumq; more scripsisse, et ob id eos excusatione dignos esse censent. Quasi licet Christiano homini vana, fœda, obscœna, probitati, Christianæq; religioni aduersantia docere, item assentari, mentiri, detrahere, & demum impunè peccare. Nō decet Christianum hominē, quia poeta est, quia philosophus, quia astrologus, quia quacunque alia disciplina sit instructus ea sentire, et docere, quæ probitati, ac Christianæ pietati aduersantur, non mentiri, non assentari, nō alios nominatim taxare, non aliorum famæ, & honori obtrectare, & detrahere, non Christinam legem irridere, non res sacras, & Ecclesiæ dogmata profanis rebus miscendo in fabulas vertere. Cum neque liceat Christiano homini vel de profanis rebus fabulas aut confingere, aut sectari, quas sacræ literæ passim detestantur. Augustinus item vulgò poetarum fabulas, & præsertim lasciuas insectatur, quas libro secundo de Doctrina Christiana non modo allegoricè interpretandas non esse, sed ne esse quidem necessarias dicit. Tales magistros atque doctores abominantur Deus, huiusmodi poetis, verius nugatoribus, & oblocutoribus, qui vt sæpe dixi, longe obsunt lectu, eius Ecclesia nō eget. Romanorum leges duodecim tabularum, ait Cicero Tusculano tertio, sanxerunt, ne liceret poetis taxare ciuem, neque condere carmen ad alterius iniuriā. quod igitur nō licuit ethnicis, licebit Christianis? Næuius ob assiduā maledicentiā, & probra in principes ciuitatis à triūuiris Romæ in carcerem coniectus est, nec

inde eductus quousque & petulantias suas, & maledicta diluisset. Quare ob quorundam poetarum insolentiā, quā rabiem vocat Horatius, qui cum dente cruento perunctis fœcibus ora vel honestos, & probos viros maledictis lacerabant, itē lex lata est à Senatu illo venerādo, ne liceret poetis hoīes noīatim taxare. cuius legis Horatius ipse Epist. libro secundo meminit, vbi ait. Quinetiam lex

Pœnaq; lata, malo, quæ nollet, carmine quenquam
Describi. vertere modum formidine fustis
Ad benedicendum, delectandumq; redacti.

Et in poetica. Lex est accepta chorusq;
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.

Labieni libri, ait Seneca declam. lib. decimo, eo viuēte Senatusconsulto cōbusti sūt, quia maledictis hoīes laniabat. Augustus ait Dion lib. L V I. inquisiuit libellos editos ad aliorū iniuriā & in vrbe p ædiles, & extra eā vbiq; terrarū p præfectos, et eos cremari iussit, et auctores puniuit. Sed quidā oīa sibi veluti poetis licere auctumāt, q pictoribus, atq; poetis æqualis sit qdlibet fingēdi potestas, illis pingēdi, istis scribendi, q si quicquid libuit ethnicis, liceat Christianis. quo errore lapsi sūt pictores et sculptores quidā. qui vtriusq; sexus hoīes nudos prorsus pingūt, et sculpūt vnde spectatores præcipue leues verendis inspectis ad turpia exciti turpi perfūdant voluptate. Cū vel Horatius ipse in Poet. p obiectionē respōdēs ita pictoribus, et poetis fingēdi cōcessā esse potestatē dicat, nō vt iniqua, ac turpia fingāt, sed quæ à natura, et ab honesto nō abhorrēt. qualis āt esse poeta & quæ scribere, docereq; debeat

vel certe ex Horatio ipso, nostri plebij poetæ discere potuissēt, qui Epistol. lib. secūdo poetæ officiū scribens ait.

Os tenerum pueri, balbumq; poeta figurat.
Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem.
Mox etiam pectus præceptis format amicis.
Asperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ.
Recte facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur, & ægrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret vnde preces, vatē ni musa dedisset?

Horū autē vulgariū vanitatū, & lasciuiarū dux est, et magister Frācīscus petrarcha Florē. qui id tetrū et lethale virus effudit, & euomit. De quo q̃ post h. iūm memoriā ingeniosissimo Tusci fastu quodā inani, populariq; iactatione vsq ad tædiū, ac stomacū elati tātū se ostātant, quantum nec Arpinates de suo Cicerone, nec Mātuani de suo Virgilio, neq; tota Græcia de Homero, et Demosthene, nec illa ipsa Roma de sua gloria, atq imperio, Aiūt insup nōnulli Petrarchā, quē ad cælū ferētes preclari ingenij, sūmi iudicij eximię doctrinæ viri prędicāt, latinā linguā suscitasse, idq; sibi psuasū hn̄t. O hoīem bone frugi, O hoīem optimū maximū, O columē latinarū literarū. Credo actū eēt de latina lingua nisi Petrarcha eā suscitasset, tollendū nobis est oculos. Sed dic obsecro q ad exēplū sui loquētes talia ludibrio digna dicūt, extīcta ne erat latina lingua? Nū nō extabāt doctissimi, et eloquentissimi lati ne linguæ auctores? Num nō grāmatici latini sermonis custodes? Vt ipse, qui nudiustertius, vt ita dicam,

fuit, eam suscitaret. An eloquens fuit? An ornatè & eleganter latinè scripsit? Vel latinam linguam elocutionibus & lectis, ac claris à se excogitatis vocabulis, & eloquentia auxit, & exornauit? Sed nec quidem de M. Tullio, qui reuera sua eloquentia, ac mirabili loquendi stylo, necnon multis & ijs lectissimis, ac clarissimis à se excogitatis vocabulis, item elocutionibus, & sententijs, ac disciplinis latinam linguā ditauit, & exornauit, ac charior et iucundior, legendo fit id dicitur, quod de Petrarcha nugantur. Si vt isti de eo prædicant, præclaro ingenio, acri iudicio, exquisita doctrina præditus fuit Petrarcha, quid est quam ob rē impolitè, ineleganter, & parū latinè scripsit? Liuius, qui meliorē auctorem, quem imitaretur non habuit, docuit fabulam, ait Cicero, non satis dignā, quæ iterum legeretur. Hic qui, et si nihil ad illum, quamplures clarissimos, & eloquentissimos latinæ linguæ auctores, quos æmularetur habuit, scripsit quædam nō digna quæ semel legerentur. Quæ perinde in squallore, & situ supina, & abiecta iacent, ac si nunquam fuissent. Sed culpam in tempus & ætatem conferunt: quasi vero tempus & ætas fuerit in causa, vt non ornatè, politè, & eleganter latinè scriberet. Præclusum credo sibi erat iter, ne non clarissimos, & eloquentissimos latinæ linguæ auctores sectaretur. quod si tanto ingenio, iudicio, & doctrina polluit, vt in scribendis plebeio sermone cantilenis, futilibus, & inanibus rebus primas teneret, & inanē famā auspicaretur, cur nō eadem ingenij, iudicij, & doctrinæ fœlicitate, ac dexteritate vsus est in latinè scribēdo, vt po

litè, ornatè, & eleganter latinè scriberet? Tempus, & ætas, aiunt obstitit, ne non tanti esset, vt vel inter medio cres latinæ linguæ auctores annumeraretur, cum permul tos, & eos optimos, quos sectari potuisset, haberet: at vt plebeio sermone tam approbatè, vt sui sectatores dicunt, futilia, & vana, atque obscœna scriberet, vt inter suos ex cellens euaderet, princepsque esset, cũ in eo genere nullum clarum scriptorem, quẽ æmularetur, haberet, nihil ei fuit impedimẽto. Quare viderint verũ ne sit illud Theophra sti, qui, vt supra relatum est, scribit Tuscos natura ipsa in serijs rebus indociles esse, & ineptos, in futilibus vero ludicrisque rebus, atque in dicterijs, & cauillorum procaci tatibus, & conuiuijs ingeniosos. Qualis autem, quantaque fuerit Petrarchæ non modo doctrina, atque iudicium sed in Deum etiam pietas & religio (nihil est quidem quod mo lestè ferãt, quod hæc ipse scribam, nõ enim simultate ali qua in populares scriptores scribere sum adorsus, sed in Deum, & simplicium animas pietate) vel ex hoc maxi me intelligi potest, quod inter tot sua nugamenta, falsas, in quam, & adulatorias in amasiam suam lauram corporis laudes, & libidinosos amores, id quoque sceleris crimen pa trare ausus sit (puderet vtique me talia scribere, nisi cerne rem ipsũ tantorum malorum fomitem velut alterum cupi dinem à sectatoribus suis tantũ amari atque defendi) vt eã non modo beatæ Mariæ deiparæ illibatæ, semperque Vir gini exæquare nõ erubuerit, sed ei etiam illam laude prę tulit. Siquidem ait lauram illam suam, ob quam diu tantũ insaniuit specie parem cuilibet mulierum fuisse, sed eius

ingenij extitisse, vt neminem ad sui concupiscentiam aliquando excitarit. id quod in sola maria fuisse legitur. Et tamen ipsemet fatetur se in eius turpem amorem, atque libidinem perditè exarsisse, & eo die, quo potissime immensa in Deum charitate accendi, sibiq; compati, ac demum ab omni humana cogitatione, ne dum à turpi animum abducere, & ad diuina illius diei mysteria contemplanda omnino transferre debuisset. die inquam quo Dei filius Cruci suffixus pro nobis patiens expirauit. quare haud dubiè se omnium libidinosissimum, & intemperantissimum ostendit. cum se eius amore captum, eamq; diu arsisse fateatur, quæ, vt ipse dicit, nullum alium ad id aliquando traxerit, & eo die, quo, vt dixi, religioni solummodo intentissime vacare tenebatur. Rursum lauram illam suam sæpe solem, & interdũ sacram, & sanctam esse dicit. beatam vero Mariam (scripsit enim quædam plebeio sermone in eius laudem, vt misceret sacra pro fanis) sole vestitam. quid quæris? Cum vulgò sacris profana comparet. quem imitati sunt sui sectatores. fidem suam, vt ipse vocat, verius impietatem, concupiscentiam, & libidinem in Lauram, Petri, & Magdalenæ in Christũ fidei confert. Desideriũ suũ videndi lauram, desiderio ac religioni senis peregrini Christi effigiem Romæ videre cupienti æquiparat. Amantiũ turpes, & cupidineos effectus, ac gestus, vt putà pallorẽ, risũ, et huiusmodi, quos vt scriberet Cupidinẽ sibi imperasse ait, mutuo beatorum in cœlesti gloria gaudio impudenter assimilat Item sicut, inquit Christus sol humili in loco est ortus, ita

laura ipsa alter sol exiguo in pago nata est. Se cũ Iacob patriarcha sanctissimo, amasiam suam cum Rachele confert, sed iccirco fortasse hac vanitate est lapsus q̃ Iacob patriarcha fuit, ipse Petrarcha litera vna immutata, altera dempta. Ad hæc eiusmodi sui in lauram amoris causã non in malum animum suum, sed in cupidinem, quem ethnicorum more Deum amoris iuuenẽ, & pharetratum se videre dicit, sæpe reijcit, vt excusationi daretur locus, et liberam hominis negaret voluntatém. inquit enim humanum consilium aduersus amorem ipsum vnquã potuisse seq̃; fato obstrictum sæpe dicit, vt lauram deperiret, quod ipsum magnam hæresem esse quis non dicit? Adhuc summum bonum in voluptate epicureo more posuit. dicit enim cor suum in paradiso habere cum lauram commemorat. atq; eo cibo animum suum pascere; idest nectare & ambrosia quo beati vescuntur, cum lauræ pulchritudinem contemplatur, aut intuetur. Atq; sicut beatis vita æterna est Dei essentia vti frui, ita sibi vera, ac summa felicitas, ac beatitudo est lauram ipsam conspicere. quam in terris, vt ipse aperte dicit, adorauit, & in eam suam salutem posuit. An non quoq; magna vanitas, quinetiam dementia & impietas est illa, cum alibi dicit, quòd in cœlesti gloria, in qua & lauram suam esse dicit, & se eò peruenturum fore sibi pollicetur, ipse indice à beatis demonstrabitur quasi pulcherrimus iuuenis; quòd lauram deperierit, & ipsa à beatis commendabitur, quòd ob corporis speciem ab ipso adamata fuerit. Cupidinem Dominum suum (sic enim ipsum sæpe ac

sæpius appellat) amatorio illo suo, cupidineoq; triumpho laudibus tollit innumeris, eũ summum, & victoriosum ducem nuncupans, q tot miseros Christianos amantes, vel adulteros, q amasias suas, vel maritas, deperiere, vicerit deq; eis triumpharit. In quorum classe se quoq & concivem suum Dantem cum amasia sua Beatrice enumerat. Et vt more suo sacra profanis confunderet, inter tot amantes, vel adulteros, vel ethnicos idolatras, Iacob patriarcham sanctissimum ponit, quòd Rachelem amauerit. Qui amor præter id, quòd magnum in se mysteriũ continet, coniugalis fuit & vtriusq legis coniugiũ religio est, & sacramentum. Non cupido de Iacob patriarcha sanctissimo, sed Deus verus, & æternus triumphauit si sic est dicendum. Non enim petulantiæ, ac turpi, & libidinoso amari inseruiebat Iacob, vt Petrarcha ipse, vt Dantes vt Buccatius, vt alij eiusmodi turpes amantes, vt de eo triumpharet cupido. Longũ esset omnes eius ineptias prosequi, cũ sexcentæ sint. Hæc hæc est Petrarchæ doctrina quam tantũ vanum, rude, & infelix vulgus admiratur, & sectatur. Hæc sunt virtutum exempla, quæ iuuenibus tradidit. Hic est ille illecebrarum, lasciuiarumq; teterrimus fomes magister voluptatum. Hic est illæ voluptarius Christianorũ epicurus, adolescentium pernicies, qui beatitudinem suam in voluptate posuit. Hic hic, inquam, demũ est ille noster poeta, minister, ac seruus cupidinis, qui eandẽ sẽper canens cantilenã cupidini ipsi dño suo sibi iubẽti, vt ipse fingit, vt venereos amantiũ affectus, ac gestus aureis, vt ipse ineptiat, ac demẽtit, verius luteis, & dete

flabilibus literis scriberet, audiuit quàmlibentissime, vt miseri Christiani se tanti sceleris præceptore, ac duce cupidini ipsi, immo Diabolo ancillarentur. Atque per has suas fœdas cãtilenas, lauræq; inanes, & falsas corporeas laudes se velut alterum cupidinem immortalem fore gloriatur. Et dũ miser laudi potius inani, q̃ animæ saluti fluẽs immortalem se fore sperat, morti se mancipauit æternæ, eas igni tradere nolens. qua doctrina, & prudentia preditos, ac religione accẽsos eius sectatores putemus, cum ipse eorum magister talis fuerit, talia scripserit, & docuerit? Vnde iuuenes vt sunt ad libidinem facti, voluptate, quod sæpe questi sumus, perfundũtur ociosa, ac turpi, tantaq; tabe inficiuntur. qui nõ veras, admirandas, et immortales Scipionum, Deciorum, fabiorum, fabritiorum aliorumq; Romanorũ laudes, ac virtutes, ac triumphos, sed vnius barbaræ mulierculæ falsas, & inanes corporeas laudes, et cupidinis triumphos curiosè legunt. Cæterũ nõ desunt è suis sectatoribus, qui ad excusandas excusationes in peccatis ingeniosi dicãt Petrarchã non Venereo amore in lauram suã exarsisse, sed eam spirituali, siue honesto amore dilexisse. quasi ipse vnus aliquis sanctorũ virorum, & illa vna aliqua sanctarum mulierum fuisset. Sed fac ita esse. Si amor ille honestus, & religiosus erat, quid est cur laura non modo amorẽ Petrarchæ respuit, sed ei etiam colloquium, atque sui ipsius præsentiã denegat? Qua de re passim ipse in suis amatorijs cantilenis vehementer, &, vt conijcio, simulatè queritur. & eam, q eius amori reluctaretur, surdam, sibi aduersam et

inimicam appellat. Vnde mulieris constantiam, & sui ipsius iam per tot annos intemperantiam ostendit. Certe honesti, & religiosi homines mutuò se diligunt. nam, ait Cicero offic. libro primo, nihil est amabilius, nec copulatius, q̄ morū similitudo bonorum: inquibus enim eadem studia sunt, eædem voluntates, in ijs fit vt æque quisq; altero delectetur, ac se ipso. Et Salomon. Omnis homo simili sui sociabitur. Neq; opus est tot vanis, & obscœnis cantilenis, vt honesta, & religiosa mulier ad honestam, & religiosam alicuius dilectionem inuitetur, Ad quam huius modi dilectionem honestus, & religiosus vir eius virtutibus & sanctimonia trahitur, non corporis specie, ac lineamentis, vt ipse, qui nō modo singula amasiæ suæ corporis lineamenta, ac mēbra, quibus se ad eius turpem amorem tractum fatetur, prosequitur, & contemplatur, eaq; se conspicari optat, sed etiam suspiria edit, & suauia, complexus, concubitum, & nudas mulieres, obscœnas res, commemorat, seq; talia turpia facere ardenter cupere dicit. Nam quòd Salomon in canticis membra quædam sponsæ commemoret, non mulierem aliquam nominatim noīat sed spiritu sancto afflatus futura præsentiens de beata Maria deipara, siue de Ecclesia, & anima sponsa Christi loquitur, quam, inquit, recti idest spirituales viri diligunt. Neq; etiam religiosa mulier grauatur si honestus, & religiosus vir alias quascunq; mulieres sui similes, sicut seipsam honestè, & religiosè diligit: amasia autem sua laura Zelotypia laborat atq; ægrefert, quòd ipse aliam deperiret. Itemq; non

modo peccatum vllum non est, sed est etiam maxima virtus, ac pietas religiosas mulieres honesta & spirituali dilectione prosequi. nec quenquam pudere, & pœnitere id fecisse debet, quas vel Christus ita dilexit. Ipse vero, quòd amasiam suam lauram deperierit, rationem appetitui succubuisse dicit, seq; peccasse, deum lexisse, cupidini quem impium & crudelem tyrannum, pellacemq; dominum appellat, ancillatum fuisse, item tempus, & animi dotes in huiusmodi vano, ac turpi amore absumpsisse, desiderium suum, cogitationesq; suas vanas, & inanes fore. demum se huiusce rei pudere, & pœnitere fatetur. quanquam quia sibi minime constat, alibi dicit se iam senecta ætate huiusce rei pœnitere nō posse, sed in eundem morem eam efflictim exarsisse, atq; iam inde à principijs exarsit, vt ab hac sententia deduci non posset, vt verè in eo completum sit illud Salomonis: Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea. Quidam alij ipsum per lauram virtutem intellexisse ferunt, voluntq; quosdam probos fuisse, qui probi esse noluerunt, atq; ea sensisse, quæ nunquam excogitarunt. quasi tempus, animiq;, dotes inaniter consumuntur, cum virtus amatur. Demum dum se eum defendere putant, grauius accusant. Nam, vt ex his, quæ paulo superius dixi, perlatè patet, consequēs esset, vt se puduerit, ac pœnituerit amauisse virtutem, Dantes quoq; alagierius itidē Florētinus, vt est huiusmodi plebeijs scriptoribus mos, præter quod magnā barbariē redolet, specie poesis multas ineptias, atq; ipietates effucijt. Nā cōtra

catholicæ fidei dogma in alia vita locum quendam scri- bit, quem ipse limbum, & elisios campos nuncupat, in quo veteres philosophos, poetas, oratores, duces, aliosq; ethnicos & idolatras homines modo aliqua disciplina, aut armis præstiterint, qui sine Christi fide decesserunt, vt Pythagorã, Platonẽ Ciceronẽ, Homerũ, Virgiliũ, & alios multos nominatim locat. Quos inferorum pœnis ad dictos negat: id quod magnam hæresim esse nemo homo modo prudentia polleat, non dicit. quinetiam ethnicorum ipsorũ idolatrarum quosdam in purgatorio, vt suo voca bulo vtar, vt Catonem, & Orestem, & alios multos, Ri- pheum vero Troianum, cuius Virgilius Æneid. libro secundo meminit, in Paradiso ponit. Quanquam è suis sectatoribus quidam per Catonem, Orestem & huiusmo di idolatras nescio quas virtutes Dantem intellexisse bla terant: cum in purgatorio non virtutes, sed piacula expi- entur. atq; animæ vt mox purgate fuerint (est enim tan dem expiationis finis) in cœlum aduolant. Sed quam quæso. virtutem per Ripheũ intelligit? Iustitiam fortasse quia eum Virgilius iustissimũ vocat. Ita ne in paradiso cœlestiq; gloria iustitiam per Ripheum, & non per Chri- stum intelligemus? Animas, quas suo arbitratu in purga- torio, & paradiso locat, multas ethnicorum non historias modo, sed fabulas sibi, suoq; duci Virgilio recitantes fin- cit: id quod q̃ sit nõ modo ridiculũ, sed impium, et profa num viderint oẽs. Itemq; in suo inferno damnatorum mul titudinem Romanorũ piorũ, & religiosorum hominũ fre quentiæ, qui iubilei tempore ad diui Petri ædem religio-

nis gratia ingenti pietate accedunt, comparat. quod cur egerit non video, nisi quòd Romanorum pietatem, ac religionem, & ecclesiæ tam sanctũ institutum illudat: nam ea comparatio animabus potius, quæ in alia vita criminibus expiantur, quodãmodo (non enim aīæ in alia vita vltro citroq; cõmeant) congruebat, O hominem adolescentem, O hominẽ infantissimum, quem eundem insulsissimũ appellare decet. Nec quisquam omnium extra verũ hunc & iudicio lapsum, et minime omnium prudentissimum hæc dicit. Sed an sperassemus aliquid pulchri dici hoc doctore vano, ne dicam demente? Cuius doctrina, si tamẽ doctrina dici potest, nulli placet, præterq̃ rudibus, inaniq; vulgo. Rursum pro libidine sua, vt amor, aut odium cum impulit hos carpit & mordet: hos probat et laudat. Nã Christianorum alios in Paradiso, alios in purgatorio locat, plerosq; vero nominatim carpens, ac vitijs quibusdã taxãs inferorum pœnis destinatos scribit. Quid multa? Cũ in tantam temeritatem, & dementiam sit prolapsus, vt diuũ Petrum Celestinũ summũ antistitem, quem ecclesia in numerum sanctorum retulit, quòd se pontificatui abdicauerit insimulãs, eiq; vilitati animi id ascribẽs inter scelestos, & impios inferorum pœnis destinatum scribere ausus sit. quem licet nõ nominet, de eo tamẽ intellexit: id quod etiam archiepiscopus Florentinus in suis historijs asserit. Hæc et alia eiusmodi multa hic hic noster theologus, & poeta furore illo suo rhymthmico, verius diabolico, scripsit. Quòd si infelix nõ Virgiliũ, sed Christum, qui est via, veritas & vita, & deducit ad inferos,

& reducit in suũ ducem, & præceptorẽ sibi elegisset in tot errores atq; insanias lapsus non fuisset. Nam Virgilium ethnicum & idolatra si potuit ipsum ad inferos deducere, non potuit eũ inde reducere. Ecquod iudiciũ, ecqua doctrina, ac religio plebeijs scriptoribus inest. Sed quid quòd q̃ dicant nesciunt? Hæc pauca de Dante, & Petrarcha nominatim scribere libuit. queis tantos honores vulgus inane, cæcum, & imperitum habent, vt illos in oculos ferãt, & in cœlum verbis efferant. quasi nemo vnq̃ post homines natos eis doctior, & ingeniosior esset. cum vtiq; alter & alter, vt ostendi longe plurimũ cauẽdi sint, nulloq; numero habendi. Quid dicam de nefandis, & detestandis Baccatij scriptis? verè Buccatius, qui tam vastam buccam oscitans, ac Christianã religionem irridẽs tot nefarias, & libidinosas fabulas edidit. quid de Machiauelli doctrina. qui tot maculas viles suo nomini congruentias sparsit. quid de tot aliorum vulgarium, & leuium hominum perniciosis scriptis? Hi & alij eiusmodi sunt Tuscia tui plebeij doctores, quibus, veluti ingeniosiores forent ingeniosissimis, tantũ tibi blandiris. Atq; vtinã istorum vanorũ & perniciosorum scriptorũ lectores hoc interim spacio, quòd decreto patrum Apostolum Paulum imitantiũ eiusmodi libelli omnes à Christiana religione eliminẽtur aboleanturq; prorsum, Ambrosium Chaterinum venerabilem antistitem Compsanum virum sanè vel doctrina vel vitæ probitate clarũ imitarent. qui et ipse cum aliquãdo, dũ esset adolescens, diaboli dolo circumuentus multũ temporis in huiusmodi vanis, futilibus &

perniciosis


perniciosis scriptoribus contriuisset, tandem Dei nutu resipiscens palinodiã cecinit stylum q; vertit. Atque scriptores ipsos omnes à suo studio prorsus ablegans quecunque talia ediderat igni tradidit. Monetque alios, vt sui ipsius exẽplo id ipsum peragãt. cuius verba hic adscribere volui sunt enim memoratu digna. quæ hæc sunt. Non præ*teribo aliud magna quoque & graui animaduersione dignum. Etenim præter venenatos hæreticorum libros, qui clam veneunt & emuntur ab occultis eorum sectatoribus, & ad illaqueandas curiosorum animas sparguntur in vulgu · prostrant etiam publicè libri gentilium & veterum quorundã obscœnorum poetarum lasciuijs & omni impuritate & impietate referti. quæ certe talia sunt, vt etsi natura hominis non esset iam plus nimio prona in improbas concupiscentias ab adolescentia sua, per hos tamen lasciuos & impios auctores bona ingenia facile corrumperentur.* Quanto *igitur studio fugiendi sunt in tanta naturæ corruptione & Incendio, ne ingni oleum addere magno cum nostro malo procuremus?* Nec *defuerunt ex nostris, qui vates illos ethnicos imitari spurcis carminibus non erubuerunt.* Hinc Petrarchæ & Buccacij *et eiusmodi variarum fabularũ, et libidinosorũ amorũ enarratores, qui sonoris et suauibus quibusdã melodijs animas curiosorũ ac stultorũ rapiunt. Væh mihi misero, qui olim puer imprudens suxi dulcia hæc venena, sed gratias ago* Deo. *cuius ego clementia tandẽ per angelũ bonũ expergefactus et admonitus agnoui mortẽ in illa, fleui amarè, et misericordiam implorani, ne delicta iuuentutis meæ,*

& ignorantias meas recordari vellet dominus. Nam cum primum eiusmodi studij malignitatem, et damna agnoui quæcunque scripseram & quantumuis à typographo illa in vulgus spargendi cupido peterentur, malui ipse ea flāmis comburere, q̄ me simul cū illis, aliquando æternis ignibus tradere comburendū. Et nunc expertus protestor, siquis prudens ab alterius exemplo discere velit, hoc studium multum conferre ad impietatem. Qui enim talibus vacant facile in suis concupiscentijs naturæ leges fœdissime peruertunt, & propterea merito in reprobū sensum traduntur de me vno coniecturam faciens existimo & alios esse in carne, qui pariter his illecebris queant succumbere. Quam ob rem optimè prouideretur si eiusmodi auctorū volumina exponerentur ad ignē, cum nihil ibi sit, quod ad scientiā vllam, vel artem bonam, aut prudentiam spectet, quibus potius imbuendi essent teneræ ætatis adolescentuli, præsertim cum nulla vel longissima integra hominis ætas, et quantauis ingenij vbertas, atque felicitas ad ediscendas plenè bonas artes, & literas sufficiat. Fertur Octauianus Augustus Ouidium ob librum quē de arte Amandi cōposuit, in vltimas & barbaras orbis oras relegasse. Hāc certe causā eius relegationis fuisse idoneam voluit intelligi. quod igitur ethnicus imperator tanta pœna multauit, aut saltem dignum multa censuit. Christianus ne princeps stare, & vulgo legi, ac etiā cum plausu tractari patietur? Meminerimus obsecro non ab re illud à sacra historia exemplum posteris propositū, quod narratur factum Ephesi ad prædicationem, & per

suasionē Apostoli Pauli. Multi, ait beatus Lucas creden tium qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combuserunt coram omnibus. Quid hic potest ab eo, qui Christianus esse, et haberi velit responderi? Multa quoque cōtra impia, et execrāda Machiavelli scripta qui tot impietatis maculas sparsit, probè ac doctè disseruit. In hoc tertio lib. Quirites, de augmēto latinæ linguæ quomodo sensim & correcta sit, & aucta locuti sumus: nec non aduersus eos, qui eā nō ditare, vt prisci, sed depauperare volunt, aliquid diximus: orationes item ad populum, ad exercitum, tragœdias, & comœdias latinè recitatas fuisse manu demōstrauimus: de educatione præterea puerorum, et vulgi natura, vulgaribusque scriptoribus, ac quàm absonum, perniciosumque sit ingenuas disciplinas rudi, & inani vulgo communicari aliqua fusi sumus. Quibus de rebus hactenus mihi videor Quirites quod sentirem, potissime dixisse. Quæ aliaque; oīa quæ his tribus pro lingua latina libris cōtinent, idcirco, vt iterū ac sæpius dixi, scribere curaui, quo à causa latinæ linguæ hærculeè, ac constanter starem. Quidni enim eam pro virili mea defenderem? quam quisque bonus vindicare, tueriq; debet, quam eius hostes, vt sæpe ac sæpius questi sumus, stirpitus demoliri, atque extinguere neruis omnibus annitūtur. quocirca adolescētes, qui ante hac huiusmodi hominum offucijs, ac præstigijs decepti latinarum, græcarumque; literarum studijs omissis, in plebeijs affanijs, ac nenijs legendis operam luderūt, & longa agentes ocia corporis cura mentem obruerunt, ad studia ipsa latinæ linguæ lacessē, hortorque, vt posthac

eius hereditatem acriter adeuntes aduersus eius hostes, plebeijs vanitatibus reiectis, eam mordicus teneant. Cum *vel certo sciam multos alios fore, quibus mens sanior inerit, qui errore animaduerso, resipiscent, ac palinodiá canent, & plebeias ipsas vanitates, quæ, vt semel atq; iterũ ac sæpius dixi, & inutiles, & turpes sũt lectu, execrãtes amodo eas legere desinãt, eisq́; supplosis mecũ, ac cũ alijs bonis latinæ græceq́; linguæ aspirabũt, eamq́; sectabũtur.* Proinde *solui ego quirites, vt valui, meũ pensum: nũc vestræ partes sunt, quorum est maxime proprium, vt sæpe relatum est, latinis literis studere, quinetiam longe turpe est vobis nescire latinè vestros progenitores imitantes vestrã latinam linguam amplecti, tueri, studia publica, ac triuialia diligentius disponere, vestrorum filiorum curam sedulò, vt par est, agere, vulgares, plebeiosq́; libellos & barbariem & loquelæ, & ritus à vestra vrbe procul pellere, atq; vestrum* Romanum *latium q; vernaculum natiuum, vulgarem sermonem, qui per se clarus est, & illustris. suauis & lenis, custodire, acueri.* Nam *sicut turpe est vobis nescire latinè, ita turpe est & vile in latijs* Romanisq́; *vocabulis in quotidiano vulgariq́; sermone enunciandis aliorum legi, verius temeritati & insaniæ subijci, aut barbara vocabula efferre.*

GAB. BARIVS FRANCICANVS DE ÆTERNITATE VRBIS AD CAROLVM QVINTVM CÆSAREM.



VANTVM Cæsar Romana virtus Deo vino & vere grata fuerit, vel quidem profectò ex hoc vno maxime inspici potest, q ex omnibus orbis terrarum gentibus vrbem Romam ab æterno sibi delegit, quæ vel terreni, vel cœlestis, idest spiritualis, regni totius orbis caput in æternum esset. quantum itē Romanū Imperiū, Romanaq; pax vniuerso orbi profuerit, siquis examussim circūspexerit ex hoc facile intelliget, q vbi desitū est obedientiam Romano ipsi Imperio à barbaris præstari, vniuersus orbis terra mariq; iam tot annos, heu calamitas, dissidijs, rapinis, latrocinijs, direptionibusq;, crebris immo iugibus bellis, stragibus frequētibus se ipsū vexauit & perdidit, vexatq; etiānum. Vñ hinc etiā aīaduerti potest quāta sit barbarorū cæcitas, et, vt hoc vocabulo vtar, ingratitudo. qui cū populo Romano pro tanto munere gratias maximas agere, etiā habere maiores deberēt, lōge secus hac in re se gerunt. Nam vt sunt ingenio inhumani et ingrati, aliuaq; nesciant omnino flolidi ac stupidi, quàm alienæ inuidere virtuti, Romanis, qui de vniuerso orbe tot officijs quàoptime meriti sunt, laudem ac gloriā inuidēt, ac detrahunt, eosq; hostili odio semper infestātes eorum nullum aliquando dilxerunt.

Sed splendorẽ & genus tanti nominis quantum in se est obnubilare, & è rerum natura tollere nituntur. Atq; tantũ munus vniuersam inquam pacem ac quietem non aduertentes specie recti falsi se Romani imperij obedientiæ subtraxerunt. Et dum amentissimi ac miseri libertatem inhiant duræ seruitutis iugo, ac perennibus, ingentibusq; se malis dediderunt. Atq; eorũ alij, vt qua de lingua latina, aduersus Romanã fidem, atq; Ecclesiam totius Christianæ religionis ac fidei columen, solisq; æterni domum, in qua integra fidei tunica, & Petri nauicula imter mũdanos fluctus incolumis conseruatur, alij aduersus Romanum ipsum imperium, quod, præter cætera innumera alia bona, vniuerso orbi pacem peperit, alij & hi plebeij doctorculi, eruditissimi ignorantiæ, & assentationis magistri, exitium adolescentium, plusq̃ barbari aduersus latinã Romanamq; linguam temerè et arrogantur; quod semel atq; iterum, ac sæpius, & quidem cum aliqua querela questi fumus, insurrexerunt quæ omnia vsq; eò pessum iri percupiunt, vt omnes ingenij neruos in ea extenderint. Has ob res Cæsar huc librũ de æternitate vrbis scribere mihi certum fuit. in quo de Romanorum virtutibus, & de ipsius vrbis, eiusq; fidei atq; Ecclesiæ, quæ super omnes alias optinet principatum à beatis Christi Apostolis Petro & Paulo instituta, imperijq; Romani æternitate (hæc enim vnà cum latina Romanaq; lingua tandiu, quod ostendemus, stabunt, quandiu sæculum durabit) loquemur. vt intelligant omnes tum maxime Itali mei, licet ex alijs multis id intelligere possint, quantum

Romanis debetur, quantumq́; pro Romana incolumitate ac perpetuitate, Romanoq́; ipso imperio sit nobis Deus orandus æternus. Atq; etiãnum vt intelligant barbari, qui in hanc sacram & æternam vrbem sacrilegi & prosani infesta aliquando arma intulere quantum sceleris crimen patrauerunt. qui vtinam tandem aliquando à sua mente amentiam aberuncarent, & ad Romani imperij, Romanæq́; fidei atq; Ecclesiæ obedientiam redirent.

VRBS Roma à Romulo, qui & imperij conditor est, post Ilij excidium annis quadringentis triginta tribus, ante vero Christi natale annis septingentis septuaginta octo duodecimo Kalendas Maias in monte Palatino auspicatò, verius diuinitus, est condita. Nam cum ab æterno Deus Opt. Max. filium suum in terras mittere destinasset, præsciretq́; Romuli progeniem tali, ac tanta humanitate, benignitate, iustitia, fide, religione, temperantia, modestia, cæterisq́; virtutibus omnes gentes anteiturã fore, atq; humanitatis, cæterarumq́; virtutum exẽplis, nõ scriptis tantum vt græci, barbaras, efferas, & inhumanas nationes ex ferino viuendi ritu ad humanitatem traducturam, pacemq́; vniuerso orbi parituram sua diuina sapientia hanc vrbem cõdi voluit, quæ, vt dudũ dixi esset, æterna, essetq́; totius orbis caput, eumq́; moderaret. Et quidẽ iure optimo, nam meliores deterioribus imperare & humana & diuina lex est. Vt vniuerso orbe vnius imperij ditioni subacto Christi fides, ac doctrina per totum orbẽ terrarũ disseminaretur, Cum sub diuersis imperijs nec vllo potis erat pacto fieri. In eaq́; suæ fidei, atq; Ecclesiæ

folium ac principatum Deus ipse statueret. Vt in ea & terreni Imperij, & regni cœlestis, id est ecclesiæ primatus in æternum esset. Felix vrbs, cui tanta Deus præsistere dignatus est: felix Italia, in qua, præter alia innumerabilia dona, quæ Deus in ipsam contulit, tantam vrbem erigi voluit. Itaq; populus Romanus statim ab vrbis edificationis exordio armis domi, hoc est in Italia, luctari cœpit, nec prius ab armis absistit, quã Italiã ipsam sui iuris faceret. Luctatus est autem domi quingentis totis integris annis. adeo difficile fuerat dare Italiæ caput: adeo bellicosissimæ & fortissimæ sunt Italiæ gentes, opulentissimæ vrbes, & regiones vberrimæ. Italia autem domita, atq; subacta (mirum, & incredibile dictu) ducentis sequentibus annis Africam, Europam, Asiam, totum deniq; orbem terrarum bellis, victorijsq; peragrauit quoscunq; exercitus sibi mariq; terraq; obuios parua manu, paruoq; negotio prosternens. Atq; septingentis annis populus Romanus suis virtutibus tantum sibi Imperium peperit. Id quod omnes, vel illi ipsi græci scriptores asserunt. Strabo enim, præter cæteros, libro decimo septimo scribit Romanos orbem vniuersum, paucis locis exceptis, qui inhabitabiles sunt, & à pastoribus habitantur, subiecisse. Et Dionysius Halicarnaseus, qui Romæ commoratus & vulgarem Romanum, latinumq; sermonem, vt dixi, & Romanam histo-storiam scripturus latinam regularem linguam, quo latinos auctores legeret, didicit, libro primo multis rationibus probat non nisi Romanum Imperium esse monarchiã, atq; præter cætera, inquit. Romani ortũ, & occasum termi-

nos Imperij sui fecerunt. Et Machabeorum libro primo Romanorum virtus, ac potentia describitur, & laudatur, quòd consilio suo, & patientia vniuersum orbem vel indorum regionem subegerit. Et Euangelista ait. Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Necesse enim fuit monarchiam constitui ob communem hominum vtilitatem. quando certe ex regnantium multitudine bella, lites, seditiones, alternæ insidiæ exoriuntur. Monarchiam vero inexpugnabilem esse contingit. quæ licet odiosa sit multis, eius tamen administratio vtilissima est, & necessaria. Facilius enim vnus vir probus inueniri potest, quàm multi. non enim omnes, sed pauci virtutes amplectuntur. quòd si princeps malus esse contigerit, satius tamen est vnum esse malum, quàm multos. Quare Orpheus vir vtique prudens, & sapiens ex Vlyssis persona græcorum multitudini loquens ait.

Non plures numero, sed princeps vnicus esto.

Et eum secutus Homerus ex eiusdem Vlyssis persona itidem græcorum conuentui loquens Iliad. libro secundo inquit.

Non plures numero sint, sed rex vnicus esto.

Asserens & hic, & alibi ex Nestoris persona potestatem ex Deo esse, vt est certe. Et Hieronymus ad Rusticum Monachum scribens infit. In apibus princeps vnus, grues vnã sequuntur ordine literato, Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ. Roma condita duos fratres habere non potuit, in parricidio dedicatur. Necesse quoque fuit Romanorũ Monarchiã constitui, quo, vt dixi, Christi fides, ac doctrina

per vniuersum orbem commodè diuulgaretur, cum secus id fieri minime potuisset. Origines contra Celsum libro secundo Deum optimum maximũ filium suum in terras destinaturum Romanum imperium præparasse, cui omnes gentes subderentur, quo Christi fides per totum orbẽ terrarum promulgaretur, & vniuersus orbis in Christũ crederet, id quod sub diuersis regibus non contigisset, his verbis edisserẽs probat. Vt enĩ sol dũ lucẽ cæteris præbet & vniuersa illustrat, se se prius adaperit, atq; ostentat, sic Dei filius egit. Quippe cuius diebus fit exorta iustitia, et pacis facta est copia, quæ eius in natiuitate occœpit Deo ipso per eius doctrinam constituente, vt gentes omnes et nationes sub vnius essent Romani principis ditione, ne sub prætextu multiplicis & varij principatus, & ob alienos inter se gentium mores, si nihil adinuicem conuenirent, grauius esset Apostolis exequi, quæ per Iesum iniũgerentur dicentem, ite & docete omnes gentes. Et liquet sanè Augusto Cæsare regnante Iesum esse natum. Cum Imperator idem, vt ita dixerim, per orbem terrarum vniuersam tum hominũ multitudinẽ exæquasset. Aliàs enim impedimento fuissent tam multa & diuersa imperia, quo minus Iesu doctrina in mundũ vniuersum dispertiretur. Nec solum ob eam, quam diximus causam, sed quia cogerentur homines militare, & bella pro tuenda patria gerere. Quod vtiq; ante Augusti tempora contigit, cũ omnes se inuicem opugnarent. quocirca quì fieri poterat, vt tranquillior hæc Christi doctrina, quæ nec inimicos quidẽ vindicare iniurias sinat, diutius permaneret, nisi pas-

sum vniuersa fuissent ob Iesu aduentum ex turbulentis sima illa dissenssione ad concordiam reuocata? Et Ambrosius in psalmum quadragesimũquintum. Auferens bella vsque ad fines terræ, arcum conteret, & cõfringet arma, & scuta comburet igni. Et vere antequam Romanũ diffunderetur imperium non solum singularium vrbium reges aduersum se præliabantur, sed etiam ipsi Romani bellis frequenter ciuilibus atterebantur. Pugnauit Marius aduersus Cinnam in vtraque parte Romanus fusus est sanguis. Sylla surrexit & Mario Victori rursus ciuilia bella commouit. Lepidus Sertoriusque rebelles se Romano Imperio præbuerunt. Cæsar Pompeium est persecutus, & Galliarum furorẽ excitauit aduersus Romana arma. Deuicto seniore Pompeio, iuniorem in Hispaniarum partibus debellauit. Quid triumuiros loquar, ex hostibus amicos, & amicos rursus in hostiles tumultus esse progressos? Maria quoque Actiaco bello infecta sanguine Romanorum? Vnde factum, est vt tædio bellorũ ciuilium Iulio Augusto deferretur Imperium. Et ita prælia intestina sedata sunt. Hoc autem eò profecit, vt rectè per totum orbem Apostoli mitterentur, dicente Domino Iesu euntes docete omnes gentes. Illis quidem etiam interclusa barbaricis moribus regna patuerunt, vt Thomæ India, Matthæo Persia, sed tamen quo plura obirent spatia terrarum, in exortu ecclesiæ potestatem Romani Imperij toto orbe diffudit, & dissidentium mentes terrarũque diuortia, donata pace composuit. Didicerũt omnes homines sub vno terrarum Imperio viuentes vnius Dei omnip

potentis imperiũ fideli eloquio confiteri. Abstulit ergo bel la vsq; ad fines terræ, quod factum esse non dubium est. Et Hieronymus in Esaiam. Ante aduentum Christi vnaquæq; gens suum habebat regem, & de alia ad aliam nullus ire poterat nationem, in Romano autem Imperio vnum facta sunt omnia. Nec quidem aliter iterum omnes gentes ad Christi & Romanæ ecclesiæ fidem redierint, nisi placato orbe vniuerso Romani Imperij obedientiæ restituantur: Enimuero Romani licet ethnici, & idolatræ quia naturæ legem sectantes vitia omnia profligare, & se moralibus virtutibus cunctis, quibus omnes alias gentes præstiterunt, obstringere studebant, ita chari, itaq; iucundi, ac grati Deo viuo, & vero fuere, vt nulla alia gens, eximo Hebræos peculiarem populum Dei, ita grata fuerit. Ob quas præclaras virtutes Deus ipse gloriosus, cuius est terra, et plenitudo eius, ipsos totius orbis terrarum dominos esse voluit. qui non Hierusalem Hebræorũ vrbem quondã electã, non Hebræos ipsos populũ olim sui peculiarem, cui soli se apertè manifestauit, & suã diuinã legẽ tradidit, ex cuius sobole filius suus erat nasciturus, sed vrbem Romam sibi delegit, quæ totius orbis caput esset. Vnde præclarè quidẽ Heraclius Cæsar, ait Paulus Diaconus libro decimo octauo, ad milites inquit, Reuereamur Romanorũ Imperiũ, quod sui ipsius est dñs, & non alterius. & stemus aduersus hostes impijs telis armatos. quare falsò quidam Romanos omni memoria dignos calumniãtur quasi aliena occupauerint, populos multos confecerint, vrbes euerterint. Nã cũ

oís potestas à Deo sit id eius nutu factū esse ambigendū nō est. Nam & populus Hebræus duce Iosue aliena inuadens populos multos trucidauit, vrbes multas cœpit & euertit. Sed reuera neue hos neue illos aliena occupasse dicendum est. Cum Deus orbis conditor, rector, & dominus his apertè id facere iusserit, illorum menti intrinsecus & occultè lumina pratulerit. quorum virtutes Dionysius Halicarnaseus græcus homo, præter cæteros, longe multumq; admiratus, hæc inter alia, libro primo scribit. Liceat discentibus veritatem sentire de vrbe Roma quod conuenit, nisi omnino rusticè erga eam, & infestè se habeant, neq; ægrè seruitutem ferant, quæ meritò facta est. Naturæ enim lex est omnibus communis, quam nullum dissoluit tempus, deterioribus semper imperare meliores. Neq; fortunam incusent tanq̄ ciuitati minus idoneæ tantum imperium, ac iam diu gratis largiētem, cum ex historia didicerint, q innumeras statim ab initio, postq̄ condita est vrbs, protulerit virtutes virorum, quibus nec magis religiosos, aut iustiores, neq; maiori temperantia in omni vita viros, neq; in bellicis fortiores vlla alia vrbs tulit, neq; græca, neq; barbara. Absit iam verbo inuidiaq; quiddam tale inopinatorum admirabiliumq; professio. Et Augustinus ad vitalem. Romani præclare, & gloriosissime vixerunt. Et ad Marcellinum. Deus enim sic ostendit in opulentissimo, & præclaro imperio Romanorum quantum valerent ciuiles sine vera religione virtutes, vt intelligat hac addita fieri hoíes ciues alterius ciuitatis, cuius rex veritas, cuius lex charitas, cuius modus æternitas.

Paulus Romanas leges implorare minime dubitauit, ciuem Romanū se esse proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat. Itemq; ne Iudæis eum interimere cupientibus traderetur, Cæsaris poposcit auxilium, Romani quidem principis, sed non Christiani. Populus Dei Machabeorum tempore cum Romanis iam tum ethnicis & idolatris amicitiam iunxerunt, & societatem inierunt, eorūq; auxilium petierunt, quo à græcorū tyrannide liberarentur. Nec Deo displicuit, quod Romanorū auxilium postulassent. quo tempore, & deinceps semper Hebræi pro salute populi Romani preces ad Deum suum verum, & æternum vel publice fundebant, & hostias imolabant. quos imitati sunt Christiani, qui pro Romanis rebus, vel pro Cæsaribus nondum Christianis Deum, vt mox ostendemus, orabant æternum. Iosephus enim libro secundo contra Appionē ita scribit. legislator interdixit imagines fabricare. Alijs autem honoribus post Deum colendos non prohibuit viros bonos, quibus nos & imperatorem, & populum Romanū dignitatibus ampliamus. Facimus autē pro eis continua sacrificia. Et non solum quotidianis diebus ex impensa cōmuni omnium Iudæorum talia celebramus, verum etiam nullas alias hostias ex communi, neque pro filijs peragamus, solis Imperatoribus hunc honorem præcipuū pariter exhibemus, quē hominum nulli persoluimus. Equidē Romani, qui ad adiuuandos mortales, vitamq; instituendā humanā, magisq; ad aliorum, quam ad suorum ipsorum compendiū nati sūt, omnium, vel barbararum, efferarumq; gentium commodis

& vtilitatibus consulebant. Quibus, quia suapte natura agrestiores, ac duriores erant, & inhumanae, humanitatem dederunt, easque è ferina uita ad humanitatem ipsam reuocantes, vt ciuiliter, & humaniter viuerent, docuerunt, & adigerunt. Atque etiánum tot populorũ discordes inter se, ferasque linguas sermonis commercio contraxerunt ad colloquia. Quis enim, ait Plinius libro quarto decimo, non communicato orbe terrarum, maiestate Romani populi profecisse vitam putet cõmercio rerum, ac societate festae pacis, omniaque, etiã quae occulta ante fuerant in promiscuo vsu fuisse? Et libro vigesimo septimo de quibusdam herbis loquens ait. Alias praeterea herbas aliunde vltro citroque humanae saluti in toto orbe terrarũ portari immẽsa Romanae pacis maiestate. nõ homines modo diuersis inter se terris gentibusque, verumetiã montes, & excedẽtia in nubibus iuga, partusque, herbae quoque inuicẽ ostẽtãt Aeternũ quaeso deorũ sit munus istud. Adeo Romanos, velut alterã lucẽ dedisse rebus humanis vident quis quaeso, absit verbo inuidia, Romanorum maiestatem, grauitatem, humanitatem, prudentiam, sapientiam, animi fortitudinem atque constantiam, patientiam, iustitiam probitatem, fidem, modestiam, continentiam, ingẽtem liberaliũ artium, & praecipuè eloquẽtiae, & iuris ciuilis appetentiam, caeterasque virtutes omnes pro dignitate edisserat? quamquam haec omnia vno prouerbiali versu exprimi possint. Iustitia in se virtutem complectitur omnem. cum fuerint iustissimi. Licet alij bonarum omnium virtutum summã prudentiae tribuant, quae vel longe multumque prae

diti erant. Pyrrhi legati, ait florus, interrogati ab eo quid de hostium sede sentirent? Vrbem templum sibi visum, se natum regum esse confessi sunt. ipse vero Pyrrhus, ait idem, in tarentina victoria, quia omnium Romanorum vulnera in pectore videbat, quosdam hostibus suis immortuos, omnium in manibus enses, & relictas in vultibus minas, & in ipsa morte ira viuebat, Romanorum virtutem longe plurimum admiratus inquit. O quam *facile erat orbis Imperium occupare aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis.* Et *Hieronymus in libro de Monogamia ait, Annibal de Hispaniæ finibus orta tempestas, cum vastasset Italiam vidit vrbem, nec ausus est obsidere Pyrrhum tenuit Romani nominis reuerentia, vt deletis omnibus, è propinquo recederet loco, nec audebat victor aspicere, quam regum didicerat ciuitatem.* Et *contra Iouinianum.* Roma *fortitudinis nomen est apud græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos. vrbs potens, vrbs orbis domina, vrbs Apostoli voce laudata.* Et *Ouid. libro primo de ponto.* Quid *melius Roma?* Et *Propertius libro tertio.*

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hic posuit quicquid Vbique fuit.

Et *Cicero libro tertio de Nat. Deorum sub Cottæ persona.* Nihil *est mundo melius in rerum natura, nec in terris quidem vrbe nostra.* Et *in oratione pro P. Sylla.* Vrbs *Roma arx est regum, ac nationum exterarum, lumen gentium domicilium imperij.* Et *pro domo sua.* Populus *Romanus dominus regum, victor, atque Imperator omnium gentium.* Et *Offic. libro secundo.* Roma *regum, populorumque,*

nationum

nationum portus erat, & refugium, patrociniumq; orbis terræ. Magistratus, *imperatoresq; Romani ex hac vna re maximam laudem capere studebant, si prouincias si socios æquitate & fide deffendissent. Et ad Q. fratrem scribens monet ipsum, vt humanitate sua aliorum vtilitati seruiat, ait quidem. Incumbe toto animo, & studio in eam rationem, qua adhuc vsus es, vt eos quos tuæ fidei potestatiq; Senatus Populusq; Romanus commisit & credidit, diligas, et omni ratione tueare, & esse quàm beatissimos velis. quòd si te sors Afris, aut Hispanis, aut Gallis præfecisset immanibus ac barbaris nationibus, tamen esset humanitati tuæ consulere eorum commodis, & vtilitati, salutiq; seruire. Iustinianus Cæsar* Romanorum *virtutes admiratus, & Romanos ipsos veneratus* Romanumq; *imperium æternum fore precatus ita libro primo Cod. de Romanis ipsis ait. Sũma reipublicæ tuitio de stirpe duarum rerum, armorum scilicet & legum veniens, vimq; suam exinde muniens. Felix Romanorum genus omnibus gentibus dominari, tam præsens effecit temporibus, quàm Deo propitio in æternum efficiet. Istorum etenim alterum alterius auxilio semper eguit. Et tam militaris res legibus in tuto collocata est, quàm ipsæ leges armorum præsidio conseruatæ sunt. quas nimirum leges idem eodem libro Ramanæ iustitiæ templum appellat. Summa vtique sapientia, & prudentia conditum. De quibus ambrosius in Epistolam Pauli ad Galatas ait. Romanæ leges magnæ aucttoritatis sunt.*

Quas Paulus implorare non est veritus. Romani nempe vtilitate propria postposita reipublicæ, aliorumq́ue, vt dixi, commodis consulebāt vnà in rebus alijs omnibus, vnà in legibus ferendis. quare Cicero libro primo de Inventione fert. Ea enim virtute, & sapientia maiores nostri fuerunt, vt in legibus scribendis nihil sibi aliud, nisi salutem atq; vtilitatem reipublicæ proponerent. Neq; enim ipsi quod obesset scribere volebant, & si scripsissent, cū esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Et libro primo de Oratore sub Crassi persona de præstantia legum Romanarum ait. Quantum præstiterint nostri maiores prudentia cæteris gentibus, tum facillimè intelligetis, si cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est quàm sit omne ius ciuile, præter hoc nostrum, inconditum, ac penè ridiculum. de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, cum hominum nostrorum prudentiam cæteris omnibus, & maxime græcis antepono. Et libro primo Tusc. Meum iudicium semper fuit omnia nostros aut inuenisse per se sapientius, quàm græcos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidē digna statuissent, in quibus elaborarent. Nam mores, & instituta vitæ, resq́; domesticas, ac familiares nos profectò & melius tuemur, & latius. Rem vero publicam nostri maiores certe melioribus temperarunt & institutis, & legibus: Quid loquar de re militari? In qua cum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. Iam illa, quæ natura, non literis assecuti sunt, neq; cum græcis, neq; vlla cum gente

sunt conferenda. Quæ enim tanta grauitas, quæ tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere virtus in vllis fuit, vt sit cum maioribus nostris cōparanda? Doctrina græcia nos, & omni literarū genere superabat. In quo erat facile vincere non repugnantes. Græci enim philosophiæ præcepta literis tradiderunt. Romani vero virtutum exempla præstiterunt, vt meritò quintilianus libro duodecimo scribit, ait enim: Neq; ea solum, quæ liberalibus disciplinis continentur, sed magis etiam quæ tradita antiquitus, dicta, ac facta præclare, & nosse, & animo semper agitare conueniet. Quæ profectò nusq̄ plura maioraq;, quàm in nostræ ciuitatis monimentis reperirentur. An fortitudinē fidem, iustitiam, continentiam, frugalitatem, contemptū doloris, ac mortis, melius alij docebūt, quàm Fabricij, Curij, Reguli, Mutij, alijq; innumerabiles? quantum enim Græci præceptis valent, tantū Romani (quod est maius) exemplis. Id ipsum scribit Seneca: qui Epist. libro octauo de Sextio loquens ait. Ecce cum maxime lego virū acrem græcis verbis, Romanis moribus philosophantem: quis quæso non dicet Romam virtutum magistram, & exemplar esse, atq; ad id potissimum esse natam, vt efferis gentibus humanitatem daret, vniuersumq; orbem ei, vt semel atq; iterum ac sæpius dictum est, longe longeq; deberet? Et præcipuè tu si recte aduertis Italia. Nam Roma O Italia te rei militaris, & agriculturæ peritiam docuit: Causas item orandi, & carmina conficiendi artem, latiniq; sermonis elegantiam, & loquendi puritatem. Leges

præterea, & instituta cum ciuiles, tum pontificias, quibus quietè, ac securè, & sanctè viueres, tibi tradidit. Omnesq; demum liberales artes, cæterasq; disciplinas omnes tibi sua virtute, & labore comparauit. Roma tibi tot ac tam clara, & vtilia morum præcepta suppeditauit; seq; virtutum omnium exemplar imitandam dedit. Roma talem, ac tantam tibi gloriam peperit, qualem, et quã tam vlla gens habuit vnquam, nec sit habitura. nam ad tantum te gloriæ culmen suo sanguine, ac vulneribus euexit, vt prouinciarũ domina, atq; regina, mundiq; rectrix toto orbe pedibus tuis subiecto, te inuita, ac diu reluctante, fores. Roma, vt tua virtus, & corporum robur, atq; præstantia cunctis gentibus pateret, effecit. Roma, vt ad te totius orbis terræ gentes accederent, viderent, & admirarentur, cunctarumq; gentium tu vna in toto orbe patria fieres, elaborauit. Roma te innumeris decorauit ornamentis. te enim, præter cætera tot colonijs Romani, latiniq; sanguinis, totq; nouis, clarisq; vrbibus, quas vulgò condidit, honestauit. Gloriantur oppidoq; prouinciælium quàplures se à clarissimo, ac diuino propè dixerim illo Romano genere, ac sanguine originem ducere: suas inquam patrias aut à Romanis conditas, aut Romani nominis, ac sanguinis esse colonias. quammulti suas patrias esse mũicipia. Plerìq; se ciuitate Romana donatos. Gloriatur vel Paulus Apostolus ciuem se esse romanũ, nõ donatũ ciuitate Romana sed natũ. Roma te iure municipali Romanaq; ciuitate donauit, & in Senatũ illum venerandum orbis terræ concilium aduocauit. Ex omni enim Ita-

lia, ait Claudius Cæsar apud Cornelium Tacitũ libro vndecimo, viri in senatum acciti sunt. Et Appianus, Tantas, inquit, fuit Senatus in Italos charitas, vt omnem Italiam ciuitate donaret. Roma tali ac tanto te iuris, & priuilegiorum prærogatiuo exornauit atq; muniuit, vt efferentur lætitia immodica barbarorum nonnulli, quòd à Senatu ius tuum, ius inquam Italicum, impetrassent, & in partem Italici iuris, atq; Itali erãt recepti sint. Roma te barbaris & hominibus & moribus, & vocabulis expurgauit. Enimuero tota transpadana regio à transalpinis barbaris olim erat occupata, atq; alij tui populi, vt dixi, præter Calabros, qui erant græci, barbari erant, quorum mores, lingua & habitus à latinorum Romanorũq; moribus, lingua, & habitu longe distabant. et Romanorum beneficio, & benignitate vniuersa Italia latina facta es. Roma hoc tibi nomen, vt italia dicereris, dedit. quandoquidem ea tantum regio, quæ modo. Calabria nuncupatur, primum italia dicta est, vt in Dionysio Halicarnaseo, & Strabone latissime patet. Sed cum Romani ad Rubiconem vsq; amnẽ rebus omnibus potiti essent, Senatusconsulto decretum est vt tota regio, quæ cis Rubiconem esset, Italia diceretur. Exinde cum barbaros omnes, qui citra Padum erant, eiecissent, iterum Senatuscunsultum factum est, vt vsq; ad varum, & Arsiam amnes, atq; Alpes Italia appellaretur. Roma demum, vt vno verbo absoluam, quicquid habuit, & quicquid tu modo habes, sine inuidia quàm humaniter tibi impertiuit. Hanc venerari, colere, & intimis animi affectibus amare

debes. Et non Romanos tantum veterum illorum clarorũ virorum sobolem, sed solum etiam illud perse felix, & venerandum, quod tot egregios, ac diuinos prope dixerim, viros genuit, et enutriuit, peramare debes. Hęc est illa inuictissima vrbs nunq̃ satis laudata, plurimis ornata trophæis, triumphis ditata certissimis, clarissimis locupletata victorijs. Quam nõ disciplinis ac sapientia erudita Græcia, non dolis maliciosa Africa, non viribus cætera barbaries labefactare potuit. Nam quòd à Gothis alqñ capta sit, non eorum virtute, non barbarico astu, quippe cũ Claudius Cæsar, ait Trebellius, trecẽta viginti millia Gothorum deleuerit, duo millia nauium merserit, sed nostrorum culpa, ac dolo capta est. Nã Stilico, ait Paulus Diaconus, patritius occidentis imperij tutor immemor collatorum beneficiorum, immemor affinitatis (nam socer extabat Honorij) regnum & ipse Eucherio filio affectans ingentia reipublicæ intulit mala. Nam cum sæpe delere posset barbaros, fouit, & regem Scytharum cum Gothis suis vicit, & sæpe conclusit, semperq̃; dimisit, ac passus est vastari Italiã, vt Imperatoris vires minueret. De quo Stilicone Hieronymus ad Gerentiã scribens, & vrbis ruinam deplorans ait. Quod non vitio principum, qui vel religiosissimi fũt, sed scelere, ac dolo semibarbari accidit proditoris, qui nostris, contra nos, opibus armauit inimicos. Inde barbari vrbem biennio obsessam capere cum desperassent, se ad dolos verterunt, vt Procopius scribit, licet eius interpres aut id dissimulauit, aut in codicem mutilum incidit, quod obseruauit Egnatius. Ait igi

tur procopius ipse. Alaricus Romam obsederat bienniũ. nec Honorius, qui Rauēnæ desidebat, aut ferre suppetias poterat aut audebat: nam cũ nihil minus, q̃ de vrbis salute solicitus esset, Stilicone interfecto (ipsũ enim, et Euchèrium filium Honorius ipse suis manibus peremit) ducem exercitui minime præfecit, qui rē aduersus Gothos administraret. Vnde Gothis obsidēdæ vrbis cogitatio, Romano milite aut dilapso, aut segniter rem agēte. Verũ eam frustra obsessam cum expugnare vi nō posset, ad dolũ hostis barbarus vertitur. Profectionem in patriam simulat, trecentosq́; iuuenes corporis & animi vi præstantes delegit quos Romanis principibus dono det, instructos prius arte barbarica, vt omni obsequio dominos suos promereri studeant, & ad certam diem circa meridiem, cum Romani principes somno, vel ocio vacarent, ad Asinariam portam aduolent, interfectisq́; improuiso insultu custodibus portam sibi præsto futuro aperiant. Gothi interea cum reditum, alia atq; alia deesse sibi simulantes, differrēt, trecēti illi iuuenes occasione egregiè vsi portam stato die suis aperiunt. Intromissus barbarus hostis vrbem omnem populatur. A Totila quoq; ait idem Procopius, Isaurorum miluũ fraude, qui Asinariã portam, quam custodiebant, hostibus patefecerunt, & eos in vrbem intromiserunt, iterum Roma orbis terrarum caput & lumen, gentium omnium patrocinium, pacis vniuersæ et autrix, & vindex capta est. O barbarorum ingratitudinem O efferam & inhumanam sæuitiam · quæ caput orbi amputare, lumēq́; illud effodere, & pacis auctricem

perdere tentauit. Hanc vastitatem Hieronymus in libro de monogamia deplorans inquit. Potentiam Romanæ vrbis ardens poeta describēs ait. Quid satis est, si Roma parum est? Quod nos alio mutemus eulogio. Quid saluū est, si Roma perijt? Verūtamē Gothi ipsi nō lōge post Iustiniano Cæsare rē Romanā agente graues, ac meritas tantis sceleris luere pœnas, & imperio parere adacti sūt. Enimuero quot quot hāc sacrā, & æternam vrbem aliquando temere, & hostiliter inuaserunt, veluti sacrilegi, & profani à principio suæ ædificationis vitā miserabiliter, ac turpiter finierūt. Et ne singula prosequar, quæ in historijs latissime patent, prima tantū tangam, non omittens postrema. Galli Senones, qui è trāsalpinis primi in festa in vrbem arma intulere, à furio Camillo ad vnum simul cū duce suo deleti sūt, vt Romani incendij vestigia Gallici sanguinis inundatio deleret. Germani, qui iam primum à Romanæ fidei, atq; Ecclesiæ obedientia descīuentes, &, vt quondā Gothi, hæretici facti cum Hispanis abhinc septem & viginti annos vrbem nostrorū culpa prædonum more inuaserūt, nō multopost miseriter ac turpiter periere vnà cū duce suo Carolo barbonio Gallo & ipso hcie, qui in ipsa vrbis oppugnatione præ mœnibus oppetijt, ne tanti sceleris auctor vrbē ipsam ingredi mereretur. Equidē vniuersus orbis Romæ debet mirandum inmodū, quæ de eo toto est benemerita, Roma enim, quæ, vt dixi, ad humanā vitam instituēdam nata est, piraticā artem exercentes, rapina latrocinioq; viuentes vt ab his, alijsq; malis artibus desisterēt, repræssit & coercuit pecudum ritu lasciuiētes

vt humano, ciuiliq; more viuerent. et docuit & compescuit. portéta oĩa substulit. Nã, ait Plinius libro trigesimo, Senatusconsultũ factum est, ne homo immolaret, palamq; in tẽpus soluit sacri prodigiosi celebratio. Gallias vtiq; possidet, & quidẽ ad nostrã memoriã. nã Tiberij principatus substulit Druidas eorũ, & hoc genus hoĩum vatum medicorũ. Nõ satis æstimari potest quantũ Romanis debetur q substulere mõstra, in quibus hoĩem occidere religiosissimũ est, mãdi vero saluberrimũ. Galli enim, ait Cæsar, pro victimis hoĩes immolabant, & oĩa, quæ viuis cordi fuisse putabantur, vel serui & cliẽtes funeribus cõfectis vnà cremebãtur. Carthaginienses, vt aliquid noĩatim de his, qui ferino ritu viuebãt, et pecudũ more lasciuiebant, dicamus, ait Plato in Minoe, filios Saturno litabãt. Scoti humanis vescebant carnibus. Cãpaniæ plerię populi, vt Baiani, Cumani, Puteolani, & Neapolitani, quia frequẽtissimus fuit eis vsus libidinũ spurcarũ, à linguarũ colluuie dicti sũt opici & obsci, idest obscœni. Vnde verba impudẽtia obscœna dicunt, Inde prouerbiũ opica trãslatio idest turpis, ait Isidorus. Tusci, vt & ipsi per oĩa qui fuerint, hoc est & lingua, & vita barbari, quantum q; Romanis debeãt, intelligãt, ait Val. Max. libro nono, ne parũ quidem feroces in pœna excogitanda fuerunt, qui viuorum corpora cadaueribus aduersa aduersis alligata, atq; constricta ita, vt singulæ membrorũ partes singulis essent accomodatæ tabescere simul paterẽtur. amari vitæ pariter ac mortis tortores. quod ipsũ Virg. lib. octauo memoriæ prodidit. Licet more poetico id Mezẽtio tyrãno tribuat.

Cuius crudelitatis horrendæ sæpe meminit Augustinus. Et iam constans opinio est tyrannum à tyrrhenæ gentis præcipua crudelitate dictũ esse. Hi mollem, & volupta riam vitam agebant, & pecudum ritu lasciuiebant, atq; inter cætera, genio sexus sui pessimè abutebantur. Quibus Timeus apud Atheneum libro duodecimo ait, nudæ ancillæ ministrabant. Lege etiam, ait Theopompus apud eundem libro eodem, sancitum erat apud eos, vt mulieres essent communes, quæ in curandis, expoliendisq; corporibus plurimum vacabant. In gymnasiis nudæ & inter se ipsas, & cum maribus nudis exercebantur: nec turpe eis erat, si nudæ spectarentur. Cœnabant autem non cum viris suis, sed quibus cum contingisset, & quibus cum voluissent permanere. quæ bibacissimæ erant. Pueros autem suos communibus feminis ortos communi, ac patrio ritu educabant, qui essent omnino ignorantes. Peculiare ipsis erat nihil pudere: nihilq; turpe apud eos erat in propatulo nec facere nec pati. In symposijs ad profundam vsq; noctem commorabantur plurimis lucernis accensis, ad quos cum essent epoti, ministri mulieres pulcherrimas, & formosissimos pueros introducebant, quibus cũ lasciuiebãt, atq; ita vt plerunq; se inuicem nullo habito pudore spectarent. Maxime autem pueris, oblectabantur, qui pulcherrimi sunt. Cum delicatissime viuant, & corpora sua expoliant. Ad hesperũ habitantes barbari pice ad euellendos totius corporis pilos vtebantur. Erant apud eos quàmplurimæ officinæ, huiusq;, rei artifices, sicut apud nos tonsores, in quas incredientes illis omnes corporis par

tes nudas præbebant palàm ornandas nullo pudore habito. In delicijs autem, vt Alcinus ait, ad tibiam edebant, & se mutuò flagellis cedebant, & pugnis decertabant. Eoq; modo viuentes beatè se viuere existimabant. Herodotus etiam, & Dionysius Halicar. libro nono scribunt Tuscos voluptarios fuisse domi, belliq;. Hi plurimum malefici arti vacabant, cuius rei meminit Theophrastus libro nono de Plantis, vbi ait. Eschylus in Eliacis copiam medicaminum, venenorumq; Ehtruriæ tribuit. Gens Tyrrhena suis clara maleficijs. De qua etiam Arnobius aduersus gẽtes libro septimo inquit. Ethruria genitrix, & mater superstitionis est. Quã vanissimam sacrificiorum, & augurandi, auspicandiq; artem Tages suus diaboli figmentũ sibi tradidit. Nam, ait Cicero libro secundo de Diuinatione, in agro Tarquiniensi, dum quidam araret, puer dicitur exortus nomine Tages, qui disciplinam cecinerit extispicij, quam lucumones Ethruriæ potentes exscripserunt. Irridet Seneca Tuscos philosophos vti ineptos ꝙ fulgur à Ione in terras mitti dicerent. Itẽ Tusci, ait Diodorus Siculus libro sexto, mare latrocinio infestabant, qui pyrhaticã diu exercuerunt ; id etiam Cicero in Hortensio docet, quod Seruius in octauum Maronis librum scribit. De his, vt mea fert opinio, intellexit Plato libro sexto de Rep. vbi ait. Pyrhatarum furta, & latrocinia maxime circa Italiam abundabant. Captiuos autem grauibus admodũ & molestis vinculis vinciebant. Vnde ortum est adagiũ. vincula Tyrrhena, Hæc et alia eiusmodi innumera mundi monstra, & turpissimum, ac fœdum in pecudum mo-

rē viuēdi ritū,atq; immanitatē Roma morū magistra,virtutū oīum specimē Italiæ decus; et splēdor,lumē orbis, rerū dn̄a velut frugi parēs,& prudēs,et diues substulit. Quid nūc igit boni habes ingrata Tuscia, quæ tantū tibi places tm̄q; tibi arrogas cæteraq;Italia cīs quod à Roma morū et virtutū magistrā,orbis dn̄a nō habeas? Cui vt du dū dixi,vel quidā certe orbis terræ vniuersus debet mirādū inmodū. Quę tot laboribus,tot periculis,tot vulneribus,tāta suoꝝ ciuiū clade tantū imperiū adepta pacē toti orbi peperit. Atq; disciplina, ac legibus,virtutūq; exemplis,vt retuli,barbaras immanesq; nationes traxit ad humanitatē. Cui Romano imperio vel Dei filius,quo se eivti hoīem subditū fateret,et ad tributū soluēdū obligaret se, sub quo nasci,& cū aliis hoībus annumerari voluit,nō modo et pro se idest pro capite suo, & pro Apostolo suo Petro,quē sibi in terris suffecturus erat,censū soluit, sed iussit etiā soluendū ne imperij potestatē, quæ à Deo est, soluere aut impedire videretur. Qui nō venit soluere legē, vel quidē profectò terreni imperij,sed,adimplere,cū ipse illud Romanis dederit,suoq; illustrarit ortu,& cēsus solutione cōfirmarit. Siquidē inter regnū Romanoꝝ et Christi lōge plurimū iterest. Qñquidē Christi regnū, vt ipse in Ioāne ait,ex hoc mundo nō est,licet oīa sua sint, neq; ipse,neq; Apostoli sui,atq; discipuli,vt ipse ibidē dicit,ex hoc mūdo sūt,quibus iussit renūciare oībus,quæ possidebāt. Christi regnū spirituale est et cœleste fideliū animæ, quoꝝ cura Petro tradita est, sunt Christi regnū · quod ipsius,& discipuloꝝ suoꝝ prædicatione,& populoꝝ fide

cōparatū est. Romanorum autē imperiū terrenū est ex mūdo hoc & armis partū. Christo debet spirituale tributū, Romano Imperio corporale. Hāc differentiam Christus ostēdit qui terrenā potestatē soluere aut impedire nolēs iussit, vt quæ Cæsaris essēt Cæsari redderent, et quæ Dei Deo. & ipse, vt dictū est, et pro se, et pro Petro censū soluit. De qua re Origines in Matthæū ita scribit. Imaginē Cæsaris habet oīs res corporalis & imaginē Dei habet oīs virtus Si ergo sic reddimus principi carnis, quæ carnalia sunt vt nō fraudemus Deū à spiritualibus eius virtutibus. Tunc reddimus principi corporū, quæ corporis sunt idest ea sola, quæ necessaria habet carnis natura & nihil amplius quod pertineat ad rōnem virtutum. Augustinus etiam in Homilijs rerum copiam ex solutione debita ecclesiæ & imperio prouenire dicit. contra eorum penuriam ex fraude, ait enim. Maiores nostri ideo copijs cibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Equidē qui Romano imperio subesse nolunt Romanorū legum beneficio vti non debent, nec possunt. Vñ probè certe interpres quidā in libiū Decr. ait. Qui sub Romano imperio esse nolit, hereditatem habere nō potest, nec alia, quæ hic de iure Romano enumerant. Et rursus. Si dicūt se nō subesse Romano imperio per consequens dicant se non habere aliquid proprij. Gratianus quoque ait. Porrò alij sunt, qui non contenti decimis, & primitijs, prædia & villas, & castella, et ciuites possident, ex quibus Cæsari debent tributum, nisi imperiali

benignitate immunitatē ab huiusmodi promeruerint, quibus à dño dicit. reddite quæ sūt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. quibus apostolus reddite omnibus debita cui tributū tributū cui vectigal vectigal. Et Ambrosius in Epistolis. Respondi si à me peteret imperator quod meū esset, idest fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum non refragaturum, quanq̄ omnia, quæ mea sunt, essent pauperum. Verum ea, quæ diuina sunt imperatoriæ potestati non esse subiecta. Si patrimonium petitur inuadite. Et rursus? Magnum quidem & speciale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem terreni regis putet esse soluendam. Si enim censum filius Dei soluit, quis tu tantus es, qui non putas esse soluēdum? Item Apostolus. Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Item Petrus Apostolus generaliter omnibus fidelibus scribit, Estote subditi dominis vestris, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanq̄ ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Et contra Auxentium. Si tributum petit Imperator non negamus, agri ecclesiæ soluunt tributū. Et paulo post. Soluimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Tributum Cæsaris est non negatur. Ecclesia Dei est, bonus Imperator Ecclesiæ filius est, & intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam. Et Augustinus in Ioannem. quo iure defendis villas Ecclesiæ diuino an humano? Diuinum ius in scripturis habemus, humanū ius in legibus regum. Vnde quisq; possidet, quod possidet? Nonne iure humano? Nā

iure diuino domini est terra, & plenitudo eius. Pauperes & diuites Deus de vno limo fecit, et pauperes, & diuites vna terra supportat. iure tamen humano dicit hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic seruus meus. Iure ergo humano. iure imperatorum. quare? quia ipsa iura humana per imperatores, & reges sæculi Deus distribuit generi humano. Vultis legamus leges imperatorum, & secundum ipsas agamus de villis? Si iure humano vultis possidere recitemus leges imperatorum, videamus si voluerint hæc ab hæreticis possideri. Sed quid mihi est imperator? Secundum ius ipsius possides terram. aut tolle iura imperatorum, & quis audet dicere, mea est illa villa, aut meus est ille seruus, aut domus hæc mea est? Si autem vt teneantur ista ab hominibus, iura acceperunt regum, vultis recitemus leges, vt gaudeatis, quia vel vnum horũ habeatis, & non imputetis nisi mansuetudini columbæ, quia vel ibi vobis permittitur permanere? Leguntur enim leges manifestæ, vbi præceperunt imperatores, eos qui præter Ecclesiæ catholicæ cõmunionem vsurpãt sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed quid nobis & imperatori? Sed iam dixi, de iure humano agitur. Et tamen Apostolus voluit seruiri regibus, voluit honorari reges, & dixit, reges reuerimini, & nolite dicere, quid mihi & regi? quid tibi ergo & possessioni? Per iura regũ possidentur possessiones. Dixisti quid tibi & regi? Noli dicere possessiones tuas quia ipsa iura humana renunciasti, quibus possidentur possessiones. Et in Epistolam ad

Rom. Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit & vos subditi esse debetis. Ideo enim tributa præstatis, quia hæc est probatio subiectionis. Quare vniuersus quippe orbis iure ipso diuino Romano imperio subest. cui obedientiam præstare, & censum aut tributum soluere vel quidem de prædijs Ecclesiæ quisq; debet. Cæterum licet imperium prius sit quàm Ecclesia & Apostolatus, & Populus Romanus orbis sit dominus, tamen & ipse & imperator imperij administrator à Deo secundus vt cæteræ Christi oues Romano pontifici Christi legato obedientiam spiritualibus in rebus exhibēt tanq̄ patri. Et nō solū imperator Romano Pontifici obedientiā huiusmodi exhibere debet, sed etiam Episcopo, ac sacerdoti eius diœcesis, in qua moratur. quare Ignatius ad Philadelphienses scribens ait Principes subditi estote Cæsari, milites principibus, Diaconi presbiteris vt sacrorum administratoribus, presbiteri & Diaconi, atq; omnis clerus simul cum omni populo, & militibus, atq; principibus, sed & Cæsares obediant Episcopo, Episcopus vero Christo, sicut patri Christus, & ita vnitas per omnia seruatur quā obedientiam exhibuit Constantinus, Valentinianus, Iustinianus religiosissimi principes, Itē Theodosius, & eius filius Honorius vterq; vel religiosissimus, & alter & alter, vt in Hist. trip. legitur vrbem exornantes eam, imperiūq; optimè moderarunt. Et ille præter cætera, Romanū gymnasium, vt in Cod. scribitur, egregiè disposuit, hic vero, vt in eadem Hist. eodemq; Cod. liquet, inter alia, monomachiā vrbe, vbi vixit & obijt, sustulit, & mathe

maticos ex ea pepulit. Qui Cæsares vel sacerdotibus reliquis nedum Episcopis Apostolorum successoribus, & Romano pontifici Christi legato obedientiam & reuerentiam præstiterũt. Ita et Theodosius iunior, et Phocas, q̃ præter cætera, Bonifacio iiij. Ro. põtifici postulãti ab eo pantheõ templũ Romæ, vt illud beatæ Mariæ cõsecraret cõcessit q̃libentissimè. Ita et alij boni principes se erga sacerdotes habuerũt. Siquidẽ sublata romano imperio obedientia innumera inter eẽs se gẽtes bella, verius vtiq; latrocinia, cũ nũq̃ fuerint veri hostes, gesta sunt totq; rapinæ, et hoĩum clades obuenerũt. Id quod Petilius Kerialis Romani exercitus Dux Vespasiano imperitãte præsagio quodã verius, q̃ prudẽtia, præsẽsit, qui, Cornelius Tac. libro vigesimo ait. Treueris ac lingonis inter cætera dixit. Pulsis (qđ dii prohibeãt) romanis, quid aliud q̃ bella oĩum inter se gentiũ existẽt? septingẽtorũ annoũ fortuna disciplinaq; cõpages hæc coaluit, quæ cõuelli sine exitio cõuellentiũ nõ potest. Nimirũ quotquot à Romani imperii obedientia desciuerũt magnũ in Deũ delicti crimen patrauerũt. Nã, vt Paulus ait, cum nõ sit potestas nisi à Deo, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. & in lib. regum legitur. Qui nõ obedierit prĩcipi morte moriat. Qui à senatu vel à Cæsare graui sũt pœna multãdi, tenentur enim maiestatis, vt lib. quadragesimo octauo Dig. ad legẽ Iuliã liquet vbi sic scriptũ est. Proximũ sacrilegio crimẽ est, qđ maiestatis dicit. Maiestatis autẽ crimen est illud, quod aduersus populũ Romanum, vel aduersus securitatẽ eius cõmittitur. Qui autẽ hoc crimine tenẽt, ibi recensentur.

Et lege sequente lege Iulia tenetur, qui iniussu principis bellum gesserit, delectum'q; habuerit, exercitum compara uerit, & cætera, quæ ibi enumerantur. Et paulopost inter cætera. Maiestatis crimine tenetur rex externæ nationis si populo Romano minus obtemperet. Et libro quadrage simonono. Hostes sũt quibus bellum publicè populus Ro manus decreuit, vel ipsi populo Romano. cæteri vero la trunculi vel prædones appellantur. & ideo qui a latroni bus captus est, seruus latronum non est. Et libro quinqua gesimo. Hostes ij sunt, qui nobis, aut quibus nos publicè bellum decreuimus, cæteri latrones, aut prædones sunt. Super quibus verbis Hostiensis ait, Lex autem asserit, ꝙ ij, quibus populus Romanus bellum indicit, vel ipsi popu lo Romono hostes propriè dicuntur, cæteri latrũculi. Vn de videtur quòd bellum, quod tota die exercent principes nostri sæculi est iniustum. Cicero & in Philip. & in Epi stolis Marcum Antonium, quia Remp. oppressit, latronẽ appellat. Quanq̃ non desunt, qui dicant se sub imperij ditione non esse, sed esse sui iuris, quod & in Dig. & in Instit. lex extet. Insula quæ in mari nata est, quod raró accidit, occupantis est. quæ quidẽ ratio insana est, non mo do vana. Nã cum vniuersus orbis populi Romani sit, vbi ubi fuerit sub eius potestate eris. Itemꝙ si auctoritate Romanæ legis insula recenter in mari nata est occupan tis eam, ergo velint nolint fatentur, quod iam negari nõ potest, ꝙ conditor legis idest populus Romanus est domi nus maris. Cũ reuera sit dominus orbis totius. Concedit enim lex primo huiusmodi insulam occupanti, vt secure

ean inhabitet ,cum aliter eā occupare sibi non liceret·et prohibet nequis iniussu populi Romani *siue cæsaris eum infestet,non q ipse legi,& legis conditori non pareat* . V*t enim* Romanarum *legum beneficio vti possunt,qui le ges ipsas renunciant , nec imperio parere volunt? quare viderint ne ingrati sint legi,et legis conditori.Quando- quidē nemo quisquam auctoritate sua se in libertatē vin- dicare potest,vt leguleij quidā imprudentes legū, immo vero iudicij & rationis expertes dicunt.Qui , vt qubus- dam ciuitatibus adularentur,scribunt , eas se in libertatē asciuisse,& eam nescio quo præscripto roboraße, nec im perio subesse.* Q*uasi vero populo* Romano *imperij ius præscripto abrogari possit.cum potius tanta horum ver- bositas,ac barbaries(barbarè enim,non latinè scribunt) sit præscribenda,ac penitus tollenda.*Cum *enim,vt egre gie* Augustinus *ait diuino naturaliq; iure communia sint omnia,& humano ciuiliq; iure,quod* Romani *reges , ac magistratus,senatusq; condiderunt,quisq dicit· hæc do mus mea est·& omnis potestas à* Deo *sit , & imperium populi* Romani Christi *voce,& obedientia, q vt relatū est,pro suo,&* Petri *successoris sui capite cæsari censū soluit & soluendum iussit , confirmatum sit, & impe- rator à* Deo *sit secundus,quomodo quis* Dei *ordinationi & obedientiæ absq crimine resistere potest,vt imperio à* Deo *constituto,& imperatori,à* Deo *secundo non pa reat?* Christus *vt homo sub imperij ditione natus , & cū cæteris imperio subiectis annumeratus trigesimum annū agens* Cesari *censum soluit,nec se in libertatem asseruis-*

se, & præscripto eã roborasse, seq; immunẽ esse dixit, q nunq̃ antea cẽsum imperio soluisset. Isti historiarũ nescij, & in iure ciuili imprudẽtes iuri ipsi publico, iurisq; conditori, senatus, inquam, populiq; Romani supremæ authoritati, ac potestati à Deo, vt dixi, constitutæ, abeoq; secundæ præscribi posse nugantur. Non animaduertentes vsucapio, præscriptio, cæteræq; leges omnes esse populi Romani. Et certe, præter cætera, ita libro octauo Cod. lex ipsa Romana sanxit. Præscriptio longi temporis iuri publico non debet obsistere, sed nec rescripta quidem antiqua. Proinde nulli hoĩum imperij iura vsurpare queũt. Non enim liberi esse aut dici possunt, qui à vero & legitimo dño id est à populo Romano libertatem non sunt assecuti. Cum sola Roma sit verè libera, solaq; respublica. Id quod probè in Buccolicis scribit Maro. qui sub Tityri persona se nunq̃ libertatẽ adeptũ fuisse dicit, nisi vbi se Romã contulit, Et Instit libro. primo ita scriptum est. Multis modis additis per quos possit libertas seruis cum ciuitate Romana, quæ sola est, in præsentia præstari. Sola scilicet libertas vera, plena, & perfecta. Et libro eodem. Publicum ius est, quod ad statũ rei Romanæ spectat. Ceteræ vero ciuitates oẽs, præter Romam, priuatæ sunt, vt Dig. lib. quinquagesimo habet, vbi sic scriptũ est. Bona ciuitatis abusiuè publica dicta sũt sola enim ea publica dicenda sunt quæ populi Romani sunt. Et lege sequente. Eum, qui vectigal populi Romani conductum habet, publicanũ appellamus. nã publica appellatio in cõpluribus causis ad populum Romanũ respicit. Ciuitates enim loco

priuataq; habent. Improprie vero et abusiue quęlibet ciuitas, quodlibet castrũ respublica dicit, sed eo modo quo dicitur cõmune, vt Cod. lib. octauo, & Dig. lib. trigesimo secũdo liquet. vbi resp. Heliopolitanorũ, & resp. Tusculanoq; scribit. Sũt præterea qui, vt Venetis assentent, dicãt Venetos ipsos, qui nõ insulã recenter in mari natã, sed paludes incolũt, ac diu sub imperio cũalijs oĩbus, fuere, nũq̃ imperio obtẽperasse sed sui iuris esse, cũ ipsimet Veneti, ait Bartolus in quadragesimũ nonũ librũ Dig. dicant se libertatẽ assecutos ab imperio Romano priuilegio precario. Et hæreticũ appellat eũ, qui negat imperatorẽ immo vero populũ Romanũ dñm esse totius orbis. cũ scriptũ sit, inqt, in sacra historia. Exijt edictũ à Cæsare Augusto vt describeret vniuersus orbis. Sed quì præterea quæso fieri potuit, vt cũ Iustinianus Cæsar Gothis Italia pulsis, et imperio subactis, totũ orbẽ, vt libro primo Cod. scribit, imperio restituerit, soli Veneti imperio nõ paruerint? Et certe Carolo magno rebellantes, et Gręcorũ imperatori studẽtes per Pipinũ filiũ debellati sunt, et eoq; ciuitas ab eo capta est, vt Paulus diaconus apud Blondum scribit. Et quanq̃ vnus sit Romanæ reip. princeps, qui eam populi romani auctoritate administret, imperium tamen romanorum est. Omnesq; romani, ait Augustinus in homilijs, & res ipsa loquitur, Romanum imperium possident, quãuis, inquit, in eo non omnes regnent, sed cæteris regnãtibus pareãt. Cæsar enim ait idem ad marcellinum, & ea ipsa veritas clamat, est Romani imperij administrator. Populus enim Romanus orbis dominus iam belloq; ciuiliũ

tædio ius, auctoritatemq; administrandi imperij in Cæsarem transtulit, id est sibi concessit, non autem dedit. atque ita Cæsari imperij administrationē concessit, vt ius ipsū suum, atque imperium, uctoritatemq; suam, tum maxime imperatorem deligendi potestatem penes se retineret. quippe posteaq̄ populus Romanus imperij administrationem Cesari concessit, omnia Senatusconsulto, consilio, & auctoritate fiebant. Vbique in libris legū Senatusconsultis, imperatorum edictis, atque historijs imperium populi Romani, vt est scribitur, Cicero in Philip. Populum Romanum imperij administrationem Iulio Cæsari concessisse scribit, ait enim C. Cæsari dictatori perpetuo M. Antonius Consul populi iussu regnum detulit. Et alibi. Populus elegit sibi in principem Octauium. Dion quoque libro quadragesimo tertio, & quadragesimo quarto seriatim, ac minutatim quæcunque S. P. Q. R. C. Iulio Cæsari concessit, scribit. Atque præter cætera Senatus ei decreto concessit, vt appellaretur imperator, non vt antea imperatores appellabantur, quod nomen ob aliquā victoriam assequæbantur, sed vt appellantur, inquit, nunc imperatores, & vt ipse solus milites & pecuniam publicam teneret, & eius imago numis insculperetur. Et quidem in numis vel vbi imperatorū imagines sūt, semper. S. C. scriptū est, vt intelligamus Senatus auctoritate imperatorū imagines in numis sculptas esse. Et lib. quadragesimo nono, et quadragesimo primo, tertio, quarto, et sexto Diō. ipse minutatim, ac seriatim scribit omnia, quæ Senatus ipse populusq; romanus Octauiano Cæsari cōcessit. quē

etiam legibus soluit, & leges condendi ei fecit potestatẽ. qui tamen eas ad Senatum approbandas referebat. Et libro quinquagesimo septimo scribit quæ Senatus concessit Tiberio, qui quandiu virtutibus vsus est optimus princeps fuit. nam postea improbus euasit, Et libro quinquagesimo octauo scribit quæ Senatus cõcessit Claudio Atq; vtinam omnes Dionis libri extarent: nam, præter cætera, ex eis sciremus quacunq; Senatus cæteris imperatoribus concessit. Et licet Senatus Populusq; Romanus Octauiano Augusto monarchiam inuito detulerit: non tamen omnes imperij prouincias Octauianus ipse regebat, sed prouinciæ ipse diuisæ sunt. & quædam sub Augusti ditione fuere, ad quas ipse præfectos, & prætores destinabat, aliæ sub populi potestate erant, ad quas populus imperatores & procõsules mittebat, vt videre licet in Strabone libro decimoseptimo, & in Dione libro quinquagesimo tertio. Qui imperatores eo modo dicti, quo C. Iulius Cæsar à Senatu appellatus fuit, licet in perpetuum ad imperij administrationem à Senatu eligerentur, tamen decimo quoq; anno decennalia celebrabant, quasi tum imperium accepissent. quia Senatus decimo quoq; anno Octauiano Augusto, & interdum inuito imperij administrationem confirmabat, vt in Dione libro quinquagesimo tertio liquet. Et præter imperatoriam maiestatem, quam Senatus imperatoribu. ipsis deferebat, quandoq; imperatoribus quibusdam (non enim omnia omnibus imperatoribus concedebat Senatus, sed quæ sibi videbantur, id quod in historijs, tum maxime in Dione latissimè patet)

voluntate, auctoritateue, iussu, mandatuue eius, præsenteue eo senatus habebitur omnium rerũ ius perinde habeatur, seruetur, ac si è lege senatus edictus esset, habereturque. Vtique quos magistratum, potestatem, imperium, curationemue cuius rei petentes senatui populoque Romano commẽdauerit, quibusue, suffragationem suam dederit, promiserit eorum comitijs quibusque extra ordinem ratio hebeatur. Vtique ei fines pomœrij proferre, promouere cum ex republica censebit esse liceat: ita vti licuit Ti. Claudio Cæsari Aug. Germanico. Vtique quæcunque ex vsu reipublicæ maiestate diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarumque rerum esse e censebit ei agere, facere ius, potestasque sit: ita vti diuo Aug. Tiberioque Iulio Cæsari Aug. Tiberioque Claudio Cæsari Aug. Germanico fuit. Vtique quibus legibus, plebisue scitis scriptum fuit ne diuus Aug. Tiberiusque Iulius Cæsar Aug. Tiberiusque Claudius Cæsar Aug. Germanicus teneretur ijs legibus, plebisque scitis imp. Cæsar Vespasianus solutus sit. Quæque ex quaue lege, rogatione diuum Aug. Tiberiumue Iulium Cæsarem Aug. Tiberiumue Claudium Cæsarem Aug. facere liceat. Vtique quæque ante hanc legem rogatam, acta, gesta, decreta, imperata ab imperatore Cæsare Vespasiano Aug. iussu, mandatuue eius à quoque sunt ea perinde iusta, rataue sint, ac si populi plebisue iussu acta essẽt. Sanctio. Siquis huius legis ergo aduersus leges, rogationes, plebisue scita, senatusue consulta fecit, fecerit, siue quod eum ex lege, rogatione, plebisue

scito, S. ue. C. facere oportebit, non fecerit huius legis ergo id ei ne fraudi esto, neue quid ob eam rem populo dare debeto, neue cui de ea re actio, neue iudicatio esto, neue quis de ea re apud agi sinito.

Neq; omnia simul Senatus imperatoribus deferebat: non enim congruebat grauitati Senatus. Heluius autem Pertinax, ait Capitolinus, ea die, qua Augustus est appellatus & Flauia Titiana vxor eius Augusta est appellata his horis, quibus ille in Capitolium vota soluebat, primus sanè omnium etiam pater patriæ nomen recepit, nec non simul imperium proconsulare, nec non ius quartæ relationis; quod ominis loco fuit Pertinaci. Alexandro autem Seuero quadam exigente causa plura vno die Senatus detulit, qua de re ita Lampridius ait. Alexander accepit imperium, cum antea Cesar à Senatu esset appellatus mortuo scilicet Macrino, Augustum q; nomen idem recepit addito eo. vt & patris patriæ nomen, & ius proconsulere, & tribunitiam potestatem, & ius quintæ relationis deferente Senatu vno die assumeret. Vnde Alexander ipse, ait Capitolinus, in Senatu ita locutus est. Gratias vobis P. C. non nunc primum, sed & de Cæsareo nomine & de vita seruata, & Augusti nomine addito, & de pontificatu maximo, & de tribunitia potestate, & proconsulari imperio. quæ omnia nouo exemplo vna die in me cõtulistis. Et in M. Aurelio Antonino ait Antoninus tribunitia potestate donatus est, atq; imperio extra vrbem proconsulare, addito iure quintæ relationis. Interdum vero imperatoribus quibusdam successorem principem q; no-

minandi potestatem Senatus faciebat, aut Senatus ipse imperatorum liberos Cæsares appellabat, qui cum Pertinacem Pertinacis imperatoris filium, ait Capitolinus, Cæsarem, & vxorem, ipsius Augustam apellasset, Pertinax ipse nec vxoris Augustæ appellationem recepit, & de filio dixit, cum meruerit. Tacitum etiam, ait Flauius Vopiscus, quia ei Senatus successorem, principem'q; nominandi copiam fecerat Senatus adiurauit, vt non liberos suos, sed optimuum aliquem principem faceret. M. etiam Antonius Consul ad Octauianum, ait Appianus bellorũ ciuilium libro tertio, ita dixit: Si quidem o puer cum hereditate & cognomine imperium tibi Cæsar reliquisset, æquum fortasse foret te publicarum rerum rationem poscere, & me polliceri. Verũ Romani principatum nulli ex hereditate tradidere, ne[q]ue regibus, quibus eiectis, iureiurando sanxerunt neminẽ vlterius velle suscipere: quod precipue patri tuo obycientes percussores eius, ob id eum interemisse asserunt, regnantem, non autem imperantẽ amplius. si ego honores percussoribus & tyrannicidis decretos contempsissem, tyrannus habitus fuisset Cæsar, cui ne[q]ue gloriæ quicquam, ne[q]ue honoris, aut actorum stabilitas vlla affuisset: non decreta, non heredem, non substantiam vllam esset consecutus: non corpus sepulchro dignum habitũ, ne priuato quidem. Leges quippe tyrannorum corpora insepulta iubent abijci, memoriam omnem aboleri, & siquid peculij illis adest, in commune redigi. Qui imperatores sic à Senatu creati in senatus & populi Romani verba iurabant, vt palàm est in Cornelio Tacito

libro decimo septimo, & ei gratias agebant, seq; senatus populiq; Romani seruos, & reip. ministros, vt erant, suntq;, senatũ, vero dñm suũ appellabát. Tiberius quidẽ, ait Suetonius, in senatu hæc dixit. Nunc & sæpe aliàs P. C. bonũ, & salutarẽ principẽ, quem vos tanta, & tã liberà potestate instruxistis, senatui seruire & vniuersis ciuibus, & sæpe & plerunq; etiam singulis. nec id dixisse me pœnitet, & bonos & æquos & fauentes vos habui dños, & adhunc hẽo. Qui etiã, ait Dion libro quinquagesimotertio, dixit milites nõ esse suos, sed populi. Traianus senatũ patrẽ, se ministrum laboris vocabat. cũ populo benignus, & mãsuetus fuit. Hadrianus, ait Spartianus, in concione & in senatu sæpe dixit ita se remp. gesturũ, vt sciret populi rẽ esse, nõ suã. Tacitus Cæsar, ait Vopiscus, in senatu dixit. Ita mihi licet P. C. sic imperium regere, vt à vobis me cõstet electũ, vt ego cũcta ex vestra facere sententia, & potestate decreui. Pertinax, ait Capitolinus, imperiũ se à senatu suscepisse gloriabatur, vt tyrãnidis suspitione, tyrãniq; nomine careret. Qui, ait idẽ in curia fuit honorificẽtissimus, ita vt senatũ fauentẽ adoraret. Antoninus Pius, ait idẽ, senatui tantũ detulit imperator, quantũ cũ priuatus esset deferre sibi ab alio principe optauit. M. Aurelius Antoninus, ait Dion apud Xiphilinũ pecuniã ex ærario petiuit à senatu, vt in Scythicam expeditionẽ proficisceretur, dicens pecuniam, cæteraq; omnia esse senatus populiq; Romani. Nos enim inquit (id dicebat in senatu) vsq; adeo nihil habemus proprium, vt etiã vestras ædes habitemus. Ita & omnes boni principes,

qui tyranni nomen fugere voluerunt, egerunt. Qui omnia, & præsertim grauia, in senatū referebant, nilq; eo inconsulto agebant. Cui senatui, ait Cicero in secundo de Oratore libro, populus Romanus moderandi, & regē di sui potestatē quasi quasdam habenas tradidit. qui senatus, ait idem in Philipicis, & pro Sestio, & libro tertio de leg. est orbis terræ conciliū, princeps salutis mentisq; publicæ, ac dominus publici concilij. Augustus, ait Dion libro quinquagesimo tertio, omnia in senatū referebat. Tiberius, ait Suetonius, oīa & magna, & parua, publica, et priuata ad P.C. referebat. Idq; etiam scribit Cornelius Tacitus. Hadrianus nihil non consulto senatu faciebat: qui, ait idē Suetonius, senatui legitimo cum in vrbe, vel iuxta vrbem esset, semper interfuit. Erat tum mos, vt cū princeps causas agnosceret & senatores, & equites Romanos in conciliū vocaret, sententiam ex oīum deliberatione proferret. Execratus est deniq; principes, qui minus senatoribus detulissent. Cū iudicaret in consilia habuit iurisconsultos, quos senatus omnis probasset. Cōsules vero, ait Dion, tanto honore prosequebatur, vt eos è ludis circēsibus domum reduceret. qui & assistebat interdū consulibus ipsis quoties hi iudicarēt. Vespasianus, ait Suetonius, veniebat in senatum semper, & cum patribus communicabat omnia. Antoninus pius, ait Capitolinus, omnium, quæ gessit, & in senatu, & per edicta rationē redidit. Pertinax, ait idem, senatui legitimo sēper interfuit, ac sēper aliquid retulit. M. Aurelius Antoninus, ait idē, sēper cū potuit, interfuit senatui, ēt si nihil esset referedū,

si Romæ fuit, si vero aliquid referre voluit etiã de campania ipse venit. Comitijs præterea etiam vsq; ad noctem frequenter interfuit, neq; vnq̃ recessit de curia, nisi consul dixisset, nihil vos moramur patres conscripti. Cum populo autem nõ aliter egit q̃ est actum sub ciuitate libera. Theodosius & Valentinianus ad senatum scribentes vt libro primo Cod. liquet, se senatus consilio ac scito leges promulgaturos dicunt. Valentinianus & Martiam vt libro eodem scribitur, tres tantũmodo prætores electæ opinionis in vrbe Roma iudicio senatus ordinari volunt. Vtiq; imperator, vt in historijs, & Cod. libro duodecimo liquet, in numero senatorũ est. Atq; ita omnes boni principes egerunt. qui, vt ostendimus se imperij, laborisq; ministros, & Senatus Populiq; Romani seruos, senatum vero ipsum patrem & dominum vocabãt, omniaq; senatus consulto, ac consilio agebant Egregiè enim nouerant autoritatẽ senatus, ac quanta esset populi Romani maiestas, quantusq; honor ac reuerentia ei deberetur. Nouerant etiam tantum imperium amplissimi, ac venerandi senatus consilio, ac prudentia, ac sapientia partum esse, ac rectum. Et certe quandiu imperium prudentissimi & sapientissimi senatus consulto, ac consilio, & prudentia regebat, floruit maiorem immodum. Tum enim beneficijs tenebatur innumeris, non iniurijs ita vt innumeri propè voluntate imperio consenserint, qui liberalitate à populo Romano superati sunt. quibus imperatoribus, præter imperatoriam maiestatẽ & interdum cum ea, vt dictum est, tribunitiam etiam, vel consulatem, proconsu-

laremq́;, & censoriam potestatem, dictaturam, pontificatum maximũ, ius quartæ, aut quintæ relationis, dies quoque festos supplicationes, triumphos, arcus, statuas, clipeos, ně cognomina, cæterosq́; honores vltrò aut ipsis postulantibus, si ei placuisset, senatus decernebat, & eos mortuos inter Deos referebat. Et non ipsis solum, sed plerumque etiam eorum coniugibus, liberis, & consanguineis & magistratus, & honores, & cognomina deferebat. Ii vero, qui à senatu imperatores non sunt appullati, hostes à senatu ipso iudicati sunt. Atq́; ij & qui à senatu electi postea prodigiosi imperatores, ac tyranni euaserunt interempti vitam cum imperij vsurpatione, ac tyrãnide depo suerunt. In quos senatus acclamare solebat. Seruo seruiuimus, vnco trahatur, in cloacam deijciatur. Et interdũ ita. Inimici, hostesq́; senatus, populiq́; Romani tollantur, feriantur viui excorientur. Aliquãdo sic. Hostes populi Romani dij prosequũtur. Et alia eiusmodi multa acclamantes dicebant. Ac quæcunque ipsis viuentibus concesserat, abolebat. Nam eorum nomina ex annalibus eradebat, arcus tollebat, & statuas, & clipeos, & hos conflabat, illos euertebat, atque omnia acta irrita fieri decernebat. Ille reipublicæ hostis vel amicus erat, estq́;, qui à senatu ipso iudicatus, nunciatusq́; est. senatus pacem, quam imperatores cum regibus, populis, nationibus, gentibus iniebant, et fœdus, quod cũ eisdem feriebant, ratum habebat, si sibi videbatur: & hæc omnia in historijs videre licet. Solus ille merus imperator est, qui à senatu populoq́; Romano imperij domino appellatus est, Exercitus autẽ

imperatorē deligendi potestatem non habet, nec quiuis alius Milites enim. Mercenarij sunt populi Romani, ab eoq; stipendiati. Quòd si aliquando tumultuario iudicio imperatorē deligere praesumpserunt asserebant ad defensionem se iccirco fecisse, quod nescissent senatū principem creasse, vt Lampridius in Alexādero scribit. qui Alexāder se à senatu imperatorē creatū esse dicebat Quòd siquis sic ab exercitu creatus contra senatus volūtatē imperiū arripuisset occupassetq; tyrannus erat, nō imperator, & vt dixi, à senatu hostis iudicabatur, & cū ipso exercitus, nisi ab illo discessisset. Clodius Albinus nō à militibus, sed à senatu imperator deligi voluit, licet antea se Cōmodus Caesarem appellasset. Quare hunc in modum Clodius ipse apud Capitolinum in concione ad milites, qui se tumultuario iudicio imperatorē deligerāt, dis serunt. Si senatus. P. C. suū illud haberet imperium, nec in vnius potestate res tanta consisteret, non ad Vitellios neq; Nerones, neq; Domitianos publica fata venissent. In imperio nostrae illae gentes Ceioniorum, Albinorum, Posthumiorū, de quibus patres vestri, qui & ipsi ab auis suis audierant, multa didicerunt, & certe Africam Romano imperio senatus adiunxit. Galliam senatus subegit, et Hispaniam, Orientalibus populis senatus dedit leges. Parthos tentauit senatus & subegisset, nisi tam auarum principem Romano exercitui fortuna reipublicae tunc dedisset. Britānias Caesar subegit certe senator nondum tamen dictator. Hic ipse Cōmodus quanto melior fuisset si timuisset senatum. Et vsq; ad Neronem quidem sena

tus

tus auctoritas ualuit, qui sordidum & impurum principem damnare non timuit, cũ sentẽtiæ in eum dictæ sint, qui uitæ necisq; potestatem atq; imperium tunc tenebat. Quare commilitones ego Cæsareum nomen, quod mihi Commodus detulit, nolo dij faxint, ut ne alij quidem uelint. Senatus imperet, prouincias diuidat, Senatus nos consules faciat. Hinc tu Cæsar probè sciens, ac prudenter aduertens imperium esse populi Romani, eiusq; solius esse imperatorem deligere, nõ prius Bononiæ imperij insignia suscipere uoluisti, quàm à populo ipso Romano imperator appellareris. Cuius uirtutes hic præterire nequeo, nam corpore strenuus es & impiger, animo solers & prudens, rei militaris peritissimus, iustitia insignis, ac religionis patronus acerrimus. Quippe q̃ toties arma pro Christi fide tuenda ac propaganda fortiter sumpsisti, idq; tibi semper curæ fuit. Turcarum potentissimum & immanissimum tyrannum à Pannoniæ finibus fugauisti. Tunetum Africæ regiam, ingenti prius hostium classe victa, feliciter expugnasti, atq; tum duodeuiginti millia Christianorum ex barbarica seruitute Christianæ libertati reddidisti, egregium deoq; gratum facinus. Et ni intestina bella tibi impedimento fuissent, edidisses maiora. Magnam Germaniæ partem rebellem paruo negotio domuisti. Quod quidem Romanum imperium, vt ad rem redeam, Vrbemq; ipsam Romam non modo Ethnici ipsi præsagio quodam, sed nostri quoq; doctores & latini & græci diuinæ scripturæ auctoritate æternũ atq; à solo Antichristo destruendum asserunt. Virgilius

licet Ethnicus idolatra Æneid.libro primo quasi numine afflatus præsagiens uel potius id è Sibyllis eruens Iouem romanum ipsũ imperiũ æternũ Veneri pollicentẽ introducit. ait enim Iuppiter ipse de Romanis loquẽs.

His ego nec metas rerum,nec tempora pono,

Imperium sine fine dedi. Et Scipio apud Liuiũ libro vigesimo octauo inquit.Nec Iuppiter sinet remp. expiraturam,casurum imperium,vrbem auspicatò dys auctoribus in ęternũ cõditam fragili et mortali corpori ęqualem esse. Iustinia. Cæsar Romani imperij originem describens ipsum immortale fore precatur ait q̃dẽ in Aut. Siquis enim respexerit ad vetustissimã hoĩm,et antiquã remp. Æneas Troianus est reip.princeps, & nos quidẽ Æneades ab illo vocamur. Siue q̃s etiã ad secũda principia respexerit,ex quo purè Romanũ noẽn apud homines coruscat,reges eã obtinuerũt Romulus et Numa,ille q̃dem ciuitatẽ ædificans,hic aũt eã legibus ordinans & exornans.Siue etiã tertia principia sumet quilibet imperij Cæsarẽ max. & Augustum pium. Et ita remp. nobis inueniet,& hanc,quę nunc est,valentem, sitq́; immortalis ab illis procedens.Tertullia. qui Seuero et Antonino Caracalla Cæsarib. floruit, ad Scapulam scribens ita de æternitate Ro. imperij,& imperatoris potestate, ac dignitate ait.Christianus nullius est hostis nedũ imperatoris, quẽ sciẽs à deo cõstitui necesse est, vt ipsum diligat, & reuereat,& honoret,& saluũ uelit cũ toto Romano imperio quousq; sæculum durabit, tandiu enim stabit. Colimus ergo & imperatorem sic, quomodo nobis li-

cet, & ipsi expedit, vt hominem à deo secundum, & ut quicquid à deo consecutum, solo deo minorem. Hoc & ipse uolet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero deo minor est. Et rursum. Nos enim pro salute imperatorum deum vocamus æternum, deum verum, & deum viuum, quem & ipsi imperatores propitium sibi, præter cæteros, malunt. Sciunt quis illis dederit imperium, sciunt qui homines, qui & animas sentiunt, eum deum solum, in cuius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quẽ primi ante omnes, & super omnes deos. Et in Apologetico Romanum ipsum imperium ęternum esse dicit, quod Antichristus destruet, ait enim. Est & alia maior necessitas nobis orandi pro imperatoribus, etiam pro omni statu imperij, rebusq́; Romanis, qui vim maximam vniuerso orbi imminentem, ipsamq́; clausulam sæculi, acerbitates horrendas comminantem, Romani imperij commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati fauemus. Et in libro de resurrectione carnis Romanum ipsum imperium ex Pauli verbis ad Thessalonicenses, æternum esse asserit, probatq́; eo incolumi Antichristum, qui, ait Hieron. in Danielẽ, de Iudæorum populo erit, nequaq̃ uẽturum, ait q dem. Nequis vos seducat ullo modo, q̃m nisi venerit abscessio primo, huius utiq; regni, & reueletur delinquentiæ homo, id est Antichristus filius perditionis, q aduersat et superextollit in oẽ quod deus dicit, vel religio, vt sedeat in tẽplo dei, affirmãs deũ se. Nõne meministis, q cũ apud vos essem, hæc dicebam vobis?

Et nunc qui teneat scitis ad reuelandum eum in suo tempore. Iam enim arcanum iniquitatis agitur. Tantum qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat Quis? Romanus status, cuius abscessio in decem reges dispersa Antichristum superinducet, & tunc reuelabitur iniquus, quē dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & euanebit apparentia aduentus sui. Et Lactantius in libro de diuino præmio. Res ipsa declarat lapsum ruinamq; rerum breui fore, nisi quod incolumi Vrbe Roma nihil istiusmo di videtur esse metuendum. At uero cū caput illud orbis occiderit, & πῦρ esse cœperit, quod Sybillæ fore aiunt, quis dubitet venisse iam finem rebus humanis, orbiq; terrarum? Illa est ciuitas quæ adhuc sustentat omnia, precandusq; nobis & adorandus est deus cœli, si tamen statuta eius & placita differri possunt, ne citius quàm putemus tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cuius interitu mundus ipse lapsurus est. Et Chrysostomus in secundā Pauli ad Thessal. epist. quid ergo est quod detineat ad reuelandum ipsum, hoc est quod prohibeat ne reueletur? Alij dicunt spiritus esse gratiam, alij vero romanū imperium, quibus ego potissimum astipulor. Nam si spiritum voluisset dicere, vtiq; non obscurè dixisset sed apertè. Quoniam & nunc ipsum detineret spiritus gratia, hoc est donationes, alioqui oportuisset eum iam venisse. Siquidem spiritus sancti donationibus cessantibus venturus esset, etenim iam olim cessauerunt. Quoniam uero de Romano imperio illud dixit, merito ænigmaticè & ob-

scurè locutus est. Neq; enim uolebat superfluas inimicitias, & inutilia pericula suscipere. Si enim dixisset quoniam adhuc modicum & destruetur Romanū imperium confestim eum defodissent ueluti corruptorem, & credentes omnes tanquam in hoc uiuentes & decernentes. Et non dixit cito illud erit, quanquam semper hoc ipsum dicat. Sed quid? Ad hoc inquit, ut reueletur ipse in suo tempore. Et paucis adiectis super illud, tantum qui tenet in præsentia, donec de medio fiat, hoc est, quando è medio sublatum fuerit Romanum imperium, tūc ueniet ille. Et non ab re, donec enim imperij illius timor fuerit nemo Antichristo statim subdetur, quando uero illud fuerit destructum imperium, vacantem imperij principatum inuadet, & tētabit ad se rapere & hominum & dei imperium. Quēadmodum enim regna illa destructa sunt, quæ ante Romanum imperium fuerunt, utpotè regnum Medorum à Babilonijs, Babiloniorum à Persis, Persarū à Macedonibus, Macedonum à Romanis, ita & regnum Romanorum ab Antichristo, & ille à Christo. Et postea non amplius obtinebit. Et ista nobis Daniel cum magna claritate tradit. Et tunc inquit, reuelabitur iniquus. Hæc eadem Athanasius in eandem epistolam Pauli scribit. Et Ambrosius in eam ipsam Pauli epistolam. Sed ut locum aut occasionem fallendi, quam se putat habere, non habeat impudentissimus Satanas, tempus & signa aduētus domini designauit, quia non prius ueniet dominus, quàm regni Romani defectio fiat, & appareat Antichristus, qui interficiet sanctos, reddita Romanis libertate,

acquisierunt. quinetiam eo contempto, quem reuereri vt dominum, atque intimis animi affectibus amare vt patrem debuissent, ad voluntatem tyrannicè administrarunt. Vnde nec mirum si Barbari ab imperij obedientia desciuerint. cum imperatores ipsi populum romanum imperij dominum, Senatumque venerandum orbis terrarum concilium, principem salutis mentisque publicæ, regum, populorum, nationum portum & refugium, patrociniumque orbis terrarum, cuius consilio, prudentia ac sapientia, vt sæpe dixi, tantum imperium partum est, & perquàm iustissimè ac sanctissimè rectum, contempserint. quem reges, populi, nationes omnes, vel imperatores ipsi boni tam, & quidem iure optimo reueriti sunt. Non suspicientes etiam tantam molem, tantumque imperium, quod Romanorum prudentia, sapientia, consilio, iustitia, temperantia, modestia, animi magnitudine ac fortitudine, patientia, atque constantia, fide, clementia, liberalitate, humanitate, cæterisque virtutibus, itemque corporum robore atque præstantia est partum, iisdem artibus ac virtutibus regi debere, tum etiam quia imperatores quidam imperium ipsum itidem inconsulto Senatu, iniussuque populi Romani, qui, vt sæpe dixi, est imperij dominus, in minutissimas partes distrahentes, imperijque iura alienantes, singulis romanis prouincijs, quinimo ipsi illi I taliç imperij domicilio, (in ea enim Roma est orbis domina) reges statuerũt, vt nõ nisi vanũ sibi imperatoris nomen remaneret.

Atq; ita imperator potentia destitutus contemptui fuerit omnibus barbaris,cum quilibet regulus eo esset potētior. Atq; utinam Constantinus potius imperij administrationem deposuisset,quàm destituisset Italiam.Nam imperatorum quidam Bizantij commorantes vrbem imperij domicilium,Italiamq́;reliquam Græcorum leuitati & arrogantiæ regendam attribuebant.Atq; ita ob Cæsarum absentiam à barbaris in ipsam sæpe impressio facta est. Tamen futurum est & è proximo, ut imperium ipsum moueat tandem lacertos, & reddita iuuentute reuiuiscat.Tādem Iouis ales,quæ iādiu in nido mærēs cōsedit, alas suas pādere,uolareq́; incipiet, ut cæteras aues oēs & rostro premat,& aduncis pedibus conculcet & proterat, suæq́; subdat ditioni uelit nolit mundus. quo fiet, ut non modo Romanum imperium ius suum per totum orbem terrarum recuperet,& uindicet, sed Romana etiā fides atq; ecclesia per ipsum in integrum restituatur & augeatur.Et totus orbis rursus æternam,almam,inclitā, & pulcherrimam Romam rerum dominam, Italiæ decus,lumen orbis,quod omnia sustentat,quod Antichristū ne ueniat, impedit, uideat & reuereatur. Necesse est enim ut deintegro romanorum fides, ut Pauli tempestate, in uniuerso orbe prædicetur, & nuncietur. Necesse est inquam, ut & cæteræ Christi oues ex omni plaga, quam orbis ambit immensus, quæ nunc ex Romanæ ecclesiæ ouili non sunt, in ipsum per Christum adducantur,ut vnum ouile fiat, vnusq́; pastor. Sed scias Cæsar, quod non nisi Romana militia, & fortitudine, & am-

plissimi ac reuerendi Romani Senatus prudentia, & cō silio romanum imperium ius suum uindicabit, quibus artibus ac uirtutibus est partum, & rectum. Nam ubiq; terrarum patrum gloriosa & reuerenda cum auctoritate, & maiestate canities, populiq; Romani uirtus, ac nomen circumspectum, & uerendum notum est. Licet Tusci, qui, ut dixi, undiq; Thrasonicas iactationes & glorias spirant, & ambiunt, præter tot alias pueriles atq; aniles ineptias, dicunt Florentiam heredem esse imperij populi Romani, quasi Roma extincta sit, eandemq; progeniem de optimis illis Romanis, tanquam posteriores romani non ab illis priscis originem ducant: Cum ait Valla ad Petrum Candidum scribens aduersus Leonardum Aretinum, qui ineptias has insanias scribit. Sciamus ipsos Fesulanos à pessimo mortalium Sylla, qui primus tyrannus fuit, pro colonia esse deductos, atq; ab ipso statim tē pore adeo facinorosos sceleratosq; fuisse, ut omnes perditos scelere & parricidio superarent. Siquidem duce Manlio socios se Catilinæ usq; ad bellum illud teterrimum præstiterunt, & quod manifestum est eorum genus argumentum apud Fesulas, id est, apud Florentiam bellū est gestum, ut aut omnes illi Syllani latrones extincti sint, aut si qui remanserunt, tanquam parricidæ summa ignominia sint notati, de quibus meminit Sallustius, atq; item Cicero in secundo libro contra Catilinam. Itaq; Fesulæ non colonia Senatus decreto, populiq; Romani scitu deducta, sed à Sylla tyranno ueluti colonia non Romanis ciuibus, sed latronibus & facinorosis & scelestis refertā

est, è cuius reliquijs Florentia est excitata. Sed minimè mirū si tot nugamēta scribentes, et Romanū Latinumq́; nomen, ac gloriam agresti odio prosequentes, quicquid est Romanorū, Latinorumq́; sibi asciscūt, cū, vt Timæus ait, peculiare sit ipsis nihil pudere. Nunc reliquum est, vt de fide, & ecclesia Romana, quæ est oīm ecclesiarū matrix, et vnà cū vrbe ipsa Roma, atq; imperio Romano æterna est, quā Apostoli Petrus et Paulus fundauerūt, et sanguine suo cōsecrauerūt, aliqd dicamus. Equidē Romani adeo & moralibus virtutibus se excolebāt, & religionis studio intēti erāt, vt eorū nōnulli in Iudęa, ait Ambro. in epist. Pauli ad Gal, seruarēt Mosis legē incircumcisi. Et certe de Cēturione Romano hoīe Christū petēte, vt sanaret filium suū, dixerūt Christo, ait Lucas, seniores Iudæorum, dignus est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Sinagogam ipse ædificauit nobis. De cuius religione & fide ipsemet Christus perhibuit testimonium: non inueni, inquiens apostolis tantam fidem in Israel. Alter item Centurio, Romanus itidem homo, qui dominicæ passioni adfuit præsens, pietate & religione motus glorificauit Deum, crediditque Christum filium dei viui esse. De cuius religione & fide Hieronymus in Matthæum sic scribit. Centurio ait. Verè Dei filius erat. Nouissimi primi nunc efficiuntur. Gentilis confitetur populus. Iudæa cæcata negat, vt fiat eius error peior priore. Item in Actibus Apostolorum de Cornelio Centurione, exactæ virtutis viro, pariter homine Romano, sed adhuc

Ethnico multæ virtutes narrãt, propter quas deus glorio sus apostolũ suũ Petrũ ad ipsum misit, qui eum in fide Christi instrueret, & baptizaret. Sed de Romanorum religione & fide ita Hieron. in eptsl. Pauli ad Gal. ait. Romanę plebis laudat ab apostolo fides. Vbi alibi tanto studio, & frequẽtia ad ecclesias, & ad martyꝝ sepulchra concurrit? Vbi sic ad similitudinẽ cœlestis tonitrui agmen reboat, vt vacua idolorum templa quatiantur? Non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc, quam omnes Christi ecclesiæ, sed quòd deuotio in eis maior sit, & simplicitas ad credendum. Gens sancta, ait Leo Papa, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia Petri sedes. Cernere scilicet est quàm pudicè, quàm verecundè, quàm maturè, quàm modestè Romanæ mulieres, quæ verè Romanæ sunt, per vrbem vna, aut summum altera comitãte pedissequa incedant, quàm frequenter ac turmatim ad dei templa properent, quàm religiosè, & sanctè, atq; in silentio in tẽplis orantes, et sacra verba audientes cõmorent, quàmq; pudico & honesto habitu indutæ capita operta peplo, ac plaga gerant, vt verè eas solas aplĩ præceptũ custodire dicas. q ad Timot. scribẽs iubet, vt mulieres habitu ornato cũ verecundia, et sobrietate ornẽt se, nõ in tortis crinibus, aut auro aut margaritis, vel veste preciosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Et ad Corinthios scribens iubet, vt mulieres velato capite orẽt, et in ecclesijs taceant. Quare non ab re mouenti castra, ait Florus, à tertio lapide Annibali deus opi-

max.restitit, nam tanta ad singulos illius motus uis imbrium effusa est, tanta uentorum uiolentia coorta est, ut diuinitus hostem summoueri, non à cœlo, sed ab vrbis ipsius mœnibus, & Capitolio uideretur. Eam enim tum ciuibus, atq; ærario penè exhaustam deus ipse sua dextera excelsa, ne caperetur, tutam atq; intactam diuino cõsilio ab æterno uniuerso orbi caput dare, in eaq; suæ fidei, atq; ecclesiæ principatum locare statuerat, vt duobus romanis principibus, Pontifici inquam maximo Christi legato, & Cæsari uniuersus orbis pareret. Quia uero nõnulli romanam Ecclesiam aliarum ecclesiarum caput esse, & Petrum & Paulum romæ fuisse temere negant, & Græcorum & Latinorum sanctorum patrum auctoritate romanam ipsam ecclesiam à Petro & Paulo fundatam, eorumq; cruore consecratam omnium ecclesiarũ caput esse ostendemus. Linus quidem Papa, qui Petri & Pauli passionis ac mortis historiam scripsit, ipsos à Nerone Romæ vno eodẽq; die occisos fuisse scriptũ reliquit. Idipsum scribit Anacletus. Ireneus etiam vetustissimus, & vt Eusebius tradit, auditor Policarpi discipuli apostoli, lib. ter. ait. Petrus & Paulus Romæ euãgelizauerũt, & fundauerunt ecclesiam. Et rursum. Maximæ & antiquissimæ, omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus apostolis Petro & Paulo romanæ fundatæ, & constitutæ ecclesiæ sunt, ad eam quam habet ab apostolis traditionem, & annunciatam omnibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsq; ad nos, iudicantes confundimus omnes eos, qui quoquomodo uel per sui placen

tiam malam, uel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndiq; fideles. In qua semper ab his qui sunt vndiq;, conseruata est ea, quæ est ab apostolis traditio. Et Egesippus lib. pri. *In Vrbe roma fuerunt primi Petrus & Paulus apostoli ydē ac Episcopi, deinde Linus, dein de Cletus, deinde Clemēs.* Et lib. ter. *scribit Petrum & Paulum Romæ necatos fuisse, hunc gladio obtruncatū, illum cruci affixum.* Item Cyprianus lib. primo inquit. *Apostolus Romanam fidem firmam ac perpetuam in spiritu præuidit.* Et rursum de hæreticis loquens, ait. *Ad Petri cathedram atq; ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis literas ferre audent, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Et lib. ter. *Romana ecclesia matrix & radix est ecclesiæ catholicæ.* Et Tertullianus in libro de pudicitia. *Romani uero quid magis discunt, quàm non derelinquere dominum post fidem?* Et in libro de præscript. aduersus hæret. *Si autem Italiæ adiaces, habes romanam ecclesiam, vnde nobis quoque auctoritas præsto statuta est. Felix ecclesia, cui totā doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt. Vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur. Vbi apostolus Ioannes postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam re-*

legatur. Et aduersus Marcionem lib. quarto. Videamus quid Romani de proximo sonent, quibus euangelium Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Et aduersus Praxeam ostendit Romani Pontificis summam auctoritatem fuisse abusque principio ecclesiæ catholicæ, in cuius auctoritate semper fuit, eritque aut aliquid recipere, aut damnare, ait enim. Nam idem Praxeas tunc Episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ inferentem falsa de ipsis prophetis, & ecclesijs eorum asseuerando, & præcessorum eius auctoritates defendendo, coegit, & literas pacis reuocare iam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare. Et in libro de virginibus velandis. Sed eas ego ecclesias præposui, quas & ipsi apostoli, vel apostolici viri condiderunt. Et aduersus Gnosticos, auctoritate historiæ Cæsarum dicit Petrum & Paulum romæ à Nerone interemptos, ait enim. Vitas Cæsarum legimus, orientem fidem romæ primus Nero cruentauit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur. Tunc Paulus ciuitatis romanæ consequitur natiuitatem, cum illic martirij renascitur generositate. Item Lactantius in libro de vera sapientia, inquit. Petrus & Paulus romæ prædicauerunt, et ea prædicatio in memoriã scripta permãsit. Et Optatus Afer contra Donatistas libro secundo. Ignorantia tibi ascribi non potest, scienti in vrbe roma à Petro primo cathedram episcopalem esse collocatam,

in qua federit omnium Apostolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus est, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur. Nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedra vnica est, quæ est prima de dotibus. Sedet prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens. Et Ambrosius sermone sexagesimo sexto. Non enim sine causa factum putemus, quòd vna die, vno in loco, vnius Tyranni Petrus & Paulus tolerauerunt sententiam, vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent, vno in loco, ne alteri roma deesset, sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrunque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In Vrbe roma, quæ principatum & caput obtinet nationum, scilicet, vt vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis, & vbi gentium principes habitabát, illic ecclesiarum principes morarentur. Et Hieronymus in Marcum. Erat enim gentilis mulier, rogat pro filia, quæ est mater nostra romana ecclesia, & nata eius dæmoniaca barbarica est occidentalis natio. Et ad Damasum scribens, romanæ sedis fidem arcam Noe significare ait, vbi agnus paschalis comeditur. Et in psalmum octuagesimum secundum. Petrus iste piscator, iste rusticanus de Hierosolyma perrexit romam, & rusticanus cæpit romam.

Et Augustinus contra Donatistas libro primo. Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum apostolorum suorum voluit dominus gloriosissimo martyrio coronare, cui ecclesiæ præsidentem beatum Innocentiũ si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuã Pelagianis laqueis exuisses. Gratia. & Valenti. & Theodo. imperatores Petrum & Paulum romanis religionem tradidisse fatentur. Et Iustinianus passim in cod. romanum Pontificem, romanamq; ecclesiam caput esse omnium ecclesiarum fatetur. Idipsum fatentur sancta quatuor concilia principalia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonicum. Quorum sanctas ecclesiasticas regulas legum vicem obtinere Iustinianus vt in auctent. liquet, sanxit. Et quidem omnes romani Pontifices, qui post Petrum fuere, apostolicam auctoritatem in omnes ecclesias exercuerunt. Et Basilius ad Athanasium scribens romani Pontificis principatum, & potestatem super omnes ecclesias, & super concilium fatetur, ait quidem. Visum est nobis consentaneum mittere ad Episcopum Vrbis romæ; vt quæ hic gerantur inspiciat, & det sententiam, vt quoniã ex communi decreto difficile est aliquos mitti ex his, qui illic sunt, ipse auctoritatem exerceat in hac re eligens viros, qui idonei sint perferendis laboribus itineris, & mansuetudine ac perseuerantia homines peruersos, que apud nos sunt, corrigat. Et in epistola ad Italos. reuera summa beatitudine dignum est quod vestræ pietati dominus largitus fuit, vt adulterinum à probato & puro secernatis, ac patrum

fidem sine aliqua submissione prædicetis, quam & nos accepimus, & agnouimus in Apostolicis characteribus informatam assentientes & ipsi omnibus, quæ in synodalibus literis continentur, canonicè & legitimè confirmatum. Item Niceta philosophus Constantinopolitanus ait. Papæ Leonis epistola confirmauit synodum Chalcedonensem. Et Athanasius in epistolam Pauli ad Rom. inquit. Eò Paulus deo gratias agit, quod Romanorum sit fides in orbem vniuersum vulgata. Porrò duo quædam in Romanis suo testimonio probat, & quia in Christum crediderunt, & tanta cum gloria, vt eorum fides terrarum orbem peruaserit. qua ex re ingentem cunctis mortalibus obuenturam vtilitatem existimat, qui studio sint inflammati regiam vrbem spectandi: Dicit præterea & deo gratiam, quia et Petri discipuli credidissent, qui per id tēporis euangelium prædicaret. quo cum omnia sibi communia duceret. Et Chrysostomus in eandem Pauli epistolam. Gratias agit deo suo Paulus pro Romanis, quòd eorum fides in vniuerso orbe prædicatur. Sed nec mirum. nam Romanorum ciuitas quasi in quodam orbis vertice collocata omnibus vndique terris erat conspicua. Duas itaque illis ascribit virtutes, vnam quod crediderūt Christo, alteram quòd ita crediderunt, vt illorum fidei fama totam iam terram occuparet. Et post pauca. Atqui Petrus prædicauerat Romæ res. quas ille gesserat, Paulus pro suis reputat. Et rursum. Quandoquidem enim illustrissima erat Romanorum vrbs, sola videlicet vbique terrarum & marium tanti nominis & potentiæ, quod

multis,qui illam videre tantum & corãm agnoscere cu
piebant,longissimarum sit facta peregrinationum cau
sa. Et infra. Ego & Romam propterea diligo, tametsi
& aliunde queam illam laudare nempe à magnitudine
& antiquitate, & à pulchritudine, & à multitudine, &
à potentia, à diuitiis, à rebus in bello fortiter gestis, sed
relictis istis omnibus ob id illam beatam prædico ,erga
illos Paulus dum uiueret adeo fuit beneuolus, adeo illos
amauit, corãm disseruit, & postremo vitam apud eos fi-
niuit, vnde et ciuitas ista hinc facta est insignis plusquã
à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnum
et validũ duos habet oculos illustres, Sanctorũ uidelicet
illorum corpora, ita cœlum non splendescet, quando ra
dios suos sol ex sese dimittit, quemadmodum Romanorũ
vrbs duas illas lampadas vbiq; terrarum effundens, hinc
rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate & horrete
quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet re
pente ex theca illa cum Petro surgentem in occursum
domini sursum ferri, qualẽ rosam Christo mittet Roma?
qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista? qualibus ca
thenis aureis cincta est? Quales habet flores? Propte-
rea celebro hanc vrbem propter columnas illas ecclesię.
Eusebius in libris historiæ ecclesiasticæ passim scribit
Petrum & Paulum Romæ euangelium prædicasse, &
Romanam ecclesiam fundasse, ac sanguine suo eam con
secrasse. qui libro secundo ait. Nero Paulum capi-
te in vrbe Roma, Petrum crucis patibulo condemna-
uit. Et rursus. Caius quidam scriptor antiquus, qui

cum Zephyrino episcopo Romano aduersum proculum quendam cataphrygam disputans, hæc de apostolorum commemorat locis. Ego, inquit, habeo trophæa apostolorum, quæ ostendam. Si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Hostiensi, inuenies trophæa defixa, quibus ex vtraque parte statutis Romana communitur ecclesia. Quod autem eodem tempore ambo passi sint, Corinthiorum episcopus Dionysius cum in vrbe positus esset, & de scripturis disputaret, hoc dicit. *Sed & vos habentes commonitionem à Petro & Paulo, plantationem Romanæ & Corinthiorum ecclesiæ coniunxistis. Ambo enim simul aduentantes, & in nostra Corinthiorum ecclesia docuerunt, & per omnem Italiam, atque in hac vrbe simul docentes, etiam martyrio pariter vno eodemq́; tempore coronati sunt.* Et Abas Ioachim in Esaiam. *Verum quia Romana ecclesia non sicut Iudæa & Græca in fide refriguit, etsi ab operibus iustitiæ deuiauit, quia tamen aliarum respectu sedium in atrium exterius tributarum solis æterni ciuitas reputatur, semen in ea dominus benedictionis & gloriæ dereliquit, per quod vsque in finem sæculi filij pro patribus surgerent. indiscissam fidei tunicam inter mundana dissidia conseruaret.* Et rursum. *Romana ecclesia pronunciata est domus solis pro eo quòd frigescentibus à charitate cæteris deus ipsam solam reseruauit plus in fide.* Et in Hieremiam. *Futurum etiam et nunc est, vt græcorũ ecclesia*

redeat ad fidem ecclesiæ, vt vnus sit pastor & vicarius Christi tam orientis ecclesiæ quàm occidentis, & hoc in Sion id est Roma, *vbi sedem elegit vniuersalis antistes, & pascentur ab eo scientia domini, & doctrina spiritus veritatis à patre & filio procedentis.* Non *arcam, sed* Hierusalem,*arca est* Græcorum *ecclesia, quæ fuit in* Sylo,*id est* Constantinopolitana *vrbe. Sed quia repulit dominus tabernaculum* Sylo,*& elegit tribum* Iuda Romanam *scilicet ecclesiam,nō nominabitur arca fœderis, sed solium* Hierusalem,*in qua sedet deus in æternum,de qua non auferetur sceptrum* Iudæ *donec veniat dominus ad iudicium,qui transferat electos eius ex ea in regnum charitatis æternæ.*Proinde *perlatè patet* Romanam *fidē atq; ecclesiam à* Petro *&* Paulo *fundatam, & ipsorum sanguine consecratam æternam fore.* Quare *viderint modo barbari, qui talem ac tantam vrbem totius orbis dominam, domicilium imperij, morum, virtutumq; & magistram,& specimen, de vniuerso orbe quamoptimè meritam,humanæ vitæ institutricem,regum,populorum, nationum portum & refugium, virtutis precium, caput ac lumen patrociniumq; orbis terræ, vniuersæ pacis, ac quietis, post deum,& auctricem & tutricem,vrbem sanctam,vrbem electam,vrbem æternam,* Petri *sedem, vrbem sacerdotalem & regiam, vrbem diuino præconio,* Pauli *inquam apostoli voce laudatam, vrbem* Petri, *&* Pauli *in fide* Christi *edoctam,e orundemq; cruore consecratam insito,ac ferino odio prosequuntur,quod sceleris crimen edunt.* Viderint *&* Itali *mei, qui aduersus*

vrbem ipsam Italiæ matrem, ac clarissimum decus barbarorum immanitati, ac furori aliquando fuerunt, seq́ue sceleris socios ipsis præstiterunt, quàm sint ingrati. Videant etiam an Romam virtutum omnium exẽplar, à qua tot bona recẽpimus, an aliam Italiæ ciuitatem, seu regionem siue in loquendo, siue in moribus sibi imitandam proponere debeant. Fontem pellucidum, an impuros, & turbidos riuulos, quin putidam & fœtidam fecem. Tardi quidem ingenij est, ait Cicero libro secundo de Oratore, riuulos consectari, & fontes rerum non videre. Etiam ætatis est, vsusq́ue nostri à capite quod velimus arcessere, & vnde omnia manant, videre debemus. Hactenus mihi videor Cæsar de æternitate Vrbis quod sentirem potissimè dixisse. Nihil enim putaui amplius, quod in vniuersum hac de re dicerem.



Atque ita imperator potentia destitutus contemptui fuerit omnibus barbaris, cum quilibet regulus eo esset potētior. Atque utinam Constantinus potius imperij administrationem deposuisset, quàm destituisset Italiam. Nam imperatorum quidam Bizantij commorantes vrbem imperij domicilium, Italiamq́; reliquam Græcorum leuitati & arrogantiæ regendam attribuebant. Atque ita ob Cæsarum absentiam à barbaris in ipsam sæpe impressio facta est. Tamen futurum est & è proximo, ut imperium ipsum moueat tandem lacertos, & reddita iuuentute reuiuiscat. Tādem Iouis ales, quæ iādiu in nido mærēs cōsedit, alas suas pādere, uolareq́; incipiet, ut cæteras aues oēs & rostro premat, & aduncis pedibus conculcet & proterat, suæq́; subdat ditioni uelit nolit mundus. quo fiet, ut non modo Romanum imperium ius suum per totum orbem terrarum recuperet, & uindicet, sed Romana etiā fides atque ecclesia per ipsum in integrum restituatur & augeatur. Et totus orbis rursus æternam, almam, inclitā, & pulcherrimam Romam rerum dominam, Italiæ decus, lumen orbis, quod omnia sustentat, quod Antichristū ne ueniat, impedit, uideat & reuereatur. Necesse est enim ut deintegro romanorum fides, ut Pauli tempestate, in uniuerso orbe prædicetur, & nuncietur. Necesse est inquam, ut & cæteræ Christi oues ex omni plaga, quam orbis ambit immensus, quæ nunc ex Romanæ ecclesiæ ouili non sunt, in ipsum per Christum adducantur, ut vnum ouile fiat, vnusq́; pastor. Sed scias Cæsar, quod non nisi Romana militia, & fortitudine, & am-

plissimi ac reuerendi Romani Senatus prudentia, & cõ silio romanum imperium ius suum uindicabit, quibus artibus ac uirtutibus est partum, & restum. Nam ubiq; terrarum patrum gloriosa & reuerenda cum auctoritate, & maiestate canities, populiq; Romani uirtus, ac nomen circumspectum, & uerendum notum est. Licet Tusci, qui, ut dixi, undiq; Thrasonicas iactationes & glorias spirant, & ambiunt, præter tot alias pueriles atq; aniles ineptias, dicunt Florentiam heredem esse imperij populi Romani, quasi Roma extincta sit, eandemq; progeniem de optimis illis Romanis, tanquam posteriores romani non ab illis priscis originem ducant: Cum ait Valla ad Petrum Candidum scribens aduersus Leonardum Aretinum, qui ineptias has insanias scribit. Sciamus ipsos Fesulanos à pessimo mortalium Sylla, qui primus tyrannus fuit, pro colonia esse deductos, atq; ab ipso statim tẽpore adeo facinorosos sceleratosq; fuisse, ut omnes perditos scelere & parricidio superarent. Siquidem duce Manlio socios se Catilinæ usq; ad bellum illud teterrimum præstiterunt, & quod manifestum est eorum genus argumentum apud Fesulas, id est, apud Florentiam bellũ est gestum, ut aut omnes illi Syllani latrones extincti sint, aut si qui remanserunt, tanquam parricidæ summa ignominia sint notati, de quibus meminit Sallustius, atq; item Cicero in secundo libro contra Catilinam. Itaq; Fesulæ non colonia Senatus decreto, populiq; Romani scitu deducta, sed à Sylla tyranno ueluti colonia non Romanis ciuibus, sed latronibus & facinorosis & scelestis referta

est, è cuius reliquijs Florentia est excitata. Sed minimè mirū si tot nugamēta scribentes, et Romanū Latinumq́; nomen, ac gloriam agresti odio prosequentes, quicquid est Romanorū, Latinorumq́; sibi asciscūt, cū, vt Timæus ait, peculiare sit ipsis nihil pudere. Nunc reliquum est, vt de fide, & ecclesia Romana, quæ est oīm ecclesiarū matrix, et vnà cū vrbe ipsa Roma, atq; imperio Romano æterna est, quā Apostoli Petrus et Paulus fundauerūt, et sanguine suo cōsecrauerūt, aliq̄d dicamus. Equidē Romani adeo & moralibus virtutibus se excolebāt, & religionis studio intēti erāt, vt eoꝝ nōnulli in Iudęa, ait Ambro. in epist. Pauli ad Gal, seruarēt Mosis legē incircumcisi. Et certe de Cēturione Romano hoīe Christū petēte, vt sanaret filium suū, dixerūt Christo, ait Lucas, seniores Iudæorum, dignus est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Sinagogam ipse ædificauit nobis. De cuius religione & fide ipsemet Christus perhibuit testimonium. non inueni, inquiens apostolis tantam fidem in Israel. Alter item Centurio, Romanus itidem homo, qui dominicæ passioni adfuit præsens, pietate & religione motus glorificauit Deum, credidirq̀ue Christum filium dei viui esse. De cuius religione & fide Hieronymus in Matthæum sic scribit. Centurio ait. Verè Dei filius erat. Nouissimi primi nunc efficiuntur. Gentilis confitetur populus. Iudæa cæcata negat, vt fiat eius error peior priore. Item in Actibus Apostolorum de Cornelio Centurione, exactæ virtutis viro, pariter homine Romano, sed adhuc

Ethnico multæ virtutes narrāt, propter quas deus glorio sus apostolū suū Petrū ad ipsum misit, qui eum in fide Christi instrueret, & baptizaret. Sed de Romanorum religione & fide ita Hieron. in epist. Pauli ad Gal. ait. Romanę plebis laudat ab apostolo fides. Vbi alibi tanto studio, & frequētia ad ecclesias, & ad martyrū sepulchra concurrit? Vbi sic ad similitudinē cœlestis tonitrui agmen reboat, vt vacua idolorum templa quatiantur? Non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc, quam omnes Christi ecclesiæ, sed quòd deuotio in eis maior sit, & simplicitas ad credendum. Gens sancta, ait Leo Papa, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia Petri sedes. Cernere scilicet est quàm pudicè, quàm verecundè, quàm maturè, quàm modestè Romanæ mulieres, quæ verè Romanæ sunt, per vrbem vna, aut summum altera comitāte pedissequa incedant, quàm frequenter ac turmatim ad dei templa properent, quàm religiosè, & sanctè, atque in silentio in tēplis orantes, et sacra verba audientes cōmorent, quàmque pudico & honesto habitu indutæ capita operta peplo, ac plaga gerant, vt verè eas solas apl̄i præceptū custodire dicas. q ad Timot. scribēs iubet, vt mulieres habitu ornato cū verecundia, et sobrietate ornēt se, nō in tortis crinibus, aut auro aut margaritis, vel veste preciosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Et ad Corinthios scribens iubet, vt mulieres velato capite orēt, et in ecclesijs taceant. Quare non ab re mouentī castra, ait Florus, à tertio lapide Annibali deus ops-

max. restitit: nam tanta ad singulos illius motus uis imbrium effusa est, tanta uentorum uiolentia coorta est, ut diuinitus hostem summoueri, non à cœlo, sed ab vrbis ipsius mœnibus, & Capitolio uideretur. Eam enim tum ciuibus, atque ærario penè exhaustam deus ipse sua dextera excelsa, ne caperetur, tutam atque intactam diuino cõsilio ab æterno uniuerso orbi caput dare, in eaq; suæ fidei, atque ecclesiæ principatum locare statuerat, vt duobus romanis principibus, Pontifici inquam maximo Christi legato, & Cæsari uniuersus orbis pareret. Quia uero nõnulli romanam Ecclesiam aliarum ecclesiarum caput esse, & Petrum & Paulum romæ fuisse temere negant, & Græcorum & Latinorum sanctorum patrum auctoritate romanam ipsam ecclesiam à Petro & Paulo fundatam, eorumq; cruore consecratam omnium ecclesiarũ caput esse ostendemus. Linus quidem Papa, qui Petri & Pauli passionis ac mortis historiam scripsit, ipsos à Nerone Romæ vno eodẽq; die occisos fuisse scriptũ reliqt I dipsum scribit Anacletus. Ireneus etiam vetustissimus, & vt Eusebius tradit, auditor Policarpi discipuli apostoli, lib. ter. ait. Petrus & Paulus Romæ euãgelizauerũt, & fundauerunt ecclesiam. Et rursum. Maximæ & antiquissimæ, omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus apostolis Petro & Paulo romanæ fundatæ, & constitutæ ecclesiæ sunt, ad eam quam habet ab apostolis traditionem, & annunciatam omnibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, iudicantes confundimus omnes eos, qui quoquomodo uel per sui placen

tiam malam, uel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndiq; fideles. In qua semper ab his qui sunt vndiq;, conseruata est ea, quæ est ab apostolis traditio. Et Egesippus lib. pri. In Vrbe roma fuerunt primi Petrus & Paulus apostoli ijdē ac Episcopi, deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemēs. Et lib. ter. scribit Petrum & Paulum Romæ necatos fuisse, hunc gladio obtruncatū, illum cruci affixum. Item Cyprianus lib. primo inquit. Apostolus Romanam fidem firmam ac perpetuam in spiritu præuidit. Et rursum de hæreticis loquens, ait. Ad Petri cathedram atq; ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & profanis literas ferre audent, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. Et lib. ter. Romana ecclesia matrix & radix est ecclesiæ catholicæ. Et Tertullianus in libro de pudicitia. Romani uero quid magis discunt, quàm non derelinquere dominum post fidem? Et in libro de præscript. aduersus hæret. Si autem Italiæ adiaces, habes romanam ecclesiam, vnde nobis quoque auctoritas præsto statuta est. Felix ecclesia, cui totā doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt. Vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur. Vbi apostolus Ioannes postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam re-

in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus eſt, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus ſeruaretur Nec cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram, alteram colo locaret. Ergo cathedra vnica eſt, quæ eſt prima de dotibus. Sedet prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens. Et Ambroſius ſermone ſexageſimo ſexto: Non enim ſine cauſa factum putemus, quòd vna die, vno in loco, vnius Tyranni Petrus & Paulus tolerauerunt ſententiam, vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirent, vno in loco, ne alteri roma deeſſet, ſub vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtrunque conſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In Vrbe roma, quæ principatum & caput obtinet nationum, ſcilicet, vt vbi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis, & vbi gentium principes habitabât, illic eccleſiarum principes morarentur. Et Hieronymus in Marcum. Erat enim gentilis mulier, rogat pro filia, quæ eſt mater noſtra romana eccleſia, & nata eius dæmoniaca barbarica eſt occidentalis natio. Et ad Damaſum ſcribens, romanæ ſedis fidem arcam Noe ſignificare ait, vbi agnus paſchalis comeditur. Et in pſalmum octuageſimum ſecundum: Petrus iſte piſcator, iſte ruſticanus de Hieroſolyma perrexit romam, & ruſticanus cæpit romam.

Et *Augustinus contra Donatistas libro primo. Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum apostolorum suorum voluit dominus gloriosissimo martyrio coronare, cui ecclesiæ præsidentem beatum Innocentiũ si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuã Pelagianis laqueis exuisses.* Gratia. & Valenti. & Theodo. *imperatores Petrum & Paulum romanis religionem tradidisse fatentur.* Et Iustinianus *passim in cod. romanum Pontificem, romanamq; ecclesiam caput esse omnium ecclesiarum fatetur.* Idipsum *fatentur sancta quatuor concilia principalia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonicum. Quorum sanctas ecclesiasticas regulas legum vicem obtinere Iustinianus vt in auctent. liquet, sanxit.* Et *quidem omnes romani Pontifices, qui post Petrum fuere, apostolicam auctoritatem in omnes ecclesias exercuerunt.* Et Basilius ad Athanasium *scribens romani Pontificis principatum, & potestatem super omnes ecclesias, & super concilium fatetur, ait quidem.* Visum *est nobis consentaneum mittere ad Episcopum Vrbis romæ, vt quæ hic gerantur inspiciat, & det sententiam, vt quoniã ex communi decreto difficile est aliquos mitti ex his, qui illic sunt, ipse auctoritatem exerceat in hac re eligens viros, qui idonei sint perferendis laboribus itineris, & mansuetudine ac perseuerantia homines peruersos, que apud nos sunt, corrigat.* Et *in epistola ad Italos. reuera summa beatitudine dignum est quod vestræ pietati dominus largitus fuit, vt adulterinum à probato & puro secernatis, ac patrum*

fidem sine aliqua submissione prædicetis, quam & nos accepimus, & agnouimus in Apostolicis characteribus informatam assentientes & ipsi omnibus, quæ in synodalibus literis continentur, canonicè & legitimè confirmatum. Item Niceta philosophus Constantinopolitanus ait. Papæ Leonis epistola confirmauit synodum Chalcedonensem. Et Athanasius in epistolam Pauli ad Rom. inquit. Eò Paulus deo gratias agit, quod Romanorum sit fides in orbem vniuersum vulgata. Porrò duo quædam in Romanis suo testimonio probat, & quia in Christum crediderunt, & tanta cum gloria, vt eorum fides terrarum orbem peruaserit. qua ex re ingentem cunctis mortalibus obuenturam vtilitatem existimat, qui studio sint inflammati regiam vrbem spectandi: Dicit præterea & deo gratiam, quia et Petri discipuli credidissent, qui per id tẽporis euangelium prædicaret. quo cum omnia sibi communia duceret. Et Chrysostomus in eandem Pauli epistolam. Gratias agit deo suo Paulus pro Romanis, quòd eorum fides in vniuerso orbe prædicatur. Sed nec mirum. nam Romanorum ciuitas quasi in quodam orbis vertice collocata omnibus vndique terris erat conspicua. Duas itaque illis ascribit virtutes, vnam quod crediderũt Christo, alteram quòd ita crediderunt, vt illorum fidei fama totam iam terram occuparet. Et post pauca. Atqui Petrus prædicauerat Romæ res. quas ille gesserat, Paulus pro suis reputat. Et rursum. Quandoquidem enim illustrissima erat Romanorum vrbs, sola videlicet vbique terrarum & marium tanti nominis & potentiæ, quod

multis, qui illam videre tantum & corám agnoscere cu piebant, longissimarum sit facta peregrinationum cau sa. Et infra. Ego & Romam propterea diligo, tametsi & aliunde queam illam laudare nempe à magnitudine & antiquitate, & à pulchritudine, & à multitudine, & à potentia, à diuitiis, à rebus in bello fortiter gestis, sed relictis istis omnibus ob id illam beatam prædico erga illos Paulus dum uiueret adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit, corám disseruit, & postremo vitam apud eos finiuit, vnde et ciuitas ista hinc facta est insignis plusquã à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnum et validũ duos habet oculos illustres, Sanctorũ uidelicet illorum corpora, ita cœlum non splendescet, quando radios suos sol ex sese dimittit, quemadmodum Romanorũ vrbs duas illas lampadas vbiq; terrarum effundens, hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate & horrete quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro surgentem in occursum domini sursum ferri, qualẽ rosam Christo mittet Roma? qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista? qualibus cathenis aureis cincta est? Quales habet flores? Propterea celebro hanc vrbem propter columnas illas ecclesię. Eusebius in libris historiæ ecclesiasticæ passim scribit Petrum & Paulum Romæ euangelium prædicasse, & Romanam ecclesiam fundasse, ac sanguine suo eam consecrasse. qui libro secundo ait. Nero Paulum capite in vrbe Roma, Petrum crucis patibulo condemnauit. Et rursus. Caius quidam scriptor antiquus, qui

cum Zephyrino episcopo Romano aduersum proculum quendam cataphrygam disputans, hæc de apostolorum commemorat locis. Ego, inquit, habeo trophæa apostolorum, quæ ostendam. Si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Hostiensi, inuenies trophęa defixa, quibus ex vtraq; parte statutis Romana communitur ecclesia. Quod autem eodem tempore ambo passi sint, Corinthiorum episcopus Dionysius cum in vrbe positus esset, & de scripturis disputaret, hoc dicit. Sed & vos habentes commonitionem à Petro & Paulo, plantationem Romanæ & Corinthiorum ecclesiæ coniunxistis. Ambo enim simul aduentantes, & in nostra Corinthiorum ecclesia docuerunt, & per omnem Italiam, atque in hac vrbe simul docentes, etiam martyrio pariter vno eodemq; tempore coronati sunt. Et Abas Ioachim in Esaiam. Verum quia Romana ecclesia non sicut Iudæa & Græca in fide refriguit, etsi ab operibus iustitiæ deuiauit, quia tamen aliarum respectu sedium in atrium exterius tributarum so'is æterni ciuitas reputatur, semen in ea dominus benedictionis & gloriæ dereliquit, per quod vsque in finem sæculi filij pro patribus surgerent indiscissam fidei tunicam inter mundana dissidia conseruaret. Et rursum. Romana ecclesia pronunciata est domus solis pro eo quòd frigescentibus à charitate cæteris deus ipsam solam reseruauit plus in fide. Et in Hieremiam. Futurum etiam et nunc est, vt græcorũ ecclesia

redeat ad fidem ecclesiæ, vt vnus sit pastor & vicarius Christi tam orientis ecclesiæ quàm occidentis, & hoc in Sion id est Roma, vbi sedem elegit vniuersalis antistes, & pascentur ab eo scientia domini, & doctrina spiritus veritatis à patre & filio procedentis. Non arcam, sed Hierusalem, arca est Græcorum ecclesia, quæ fuit in Sylo, id est Constantinopolitana vrbe. Sed quia repulit dominus tabernaculum Sylo, & elegit tribum Iuda Romanam scilicet ecclesiam, nō nominabitur arca fœderis, sed solium Hierusalem, in qua sedet deus in æternum, de qua non auferetur sceptrum Iudæ donec veniat dominus ad iudicium, qui transferat electos eius ex ea in regnum charitatis æternæ. Proinde perlatè patet Romanam fidē atq; ecclesiam à Petro & Paulo fundatam, & ipsorum sanguine consecratam æternam fore. Quare viderint modo barbari, qui talem ac tantam vrbem totius orbis dominam, domicilium imperij, morum, virtutumq; & magistram, & specimen, de vniuerso orbe quamoptimè meritam, humanæ vitæ institutricem, regum, populorum, nationum portum & refugium, virtutis precium, caput ac lumen patrociniumq; orbis terræ, vniuersæ pacis, ac quietis, post deum, & auctricem & tutricem, vrbem sanctam, vrbem electam, vrbem æternam, Petri sedem, vrbem sacerdotalem & regiam, vrbem diuino præconio, Pauli inquam apostoli voce laudatam, vrbem Petri, & Pauli in fide Christi edoctam, eorundemq; cruore consecratam insito, ac ferino odio prosequuntur, quod sceleris crimen edunt. Viderint & Itali mei, qui aduersus

vrbem ipsam Italiæ matrem, ac clarissimum decus barbarorum immanitati, ac furori aliquando fauerunt, seq; sceleris socios ipsis præstiterunt, quàm sint ingrati. Viderint etiam an Romam virtutum omnium exẽplar, à qua tot bona recipimus, an aliam Italiæ ciuitatem, seu regionem siue in loquendo, siue in moribus sibi imitandam proponere debeant. Fontem pellucidum, an impuros, & turbidos riuulos, quin putidam & fœtidam fecem. Tardi quidem ingenij est, ait Cicero libro secundo de Oratore, riuulos consectari, & fontes rerum non videre. Etiam ætatis est, vsusq; nostri à capite quod velimus arcessere, & vnde omnia manant, videre debemus. Hactenus mihi videor Cæsar de æternitate Vrbis quod sentirem potissimè dixisse. Nihil enim putaui amplius, quod in vniuersum hac de re dicerem.



GAB. BARIVS FRANCICANVS

De laudibus Italiæ.

AD HIERONYMVM

Verallum Cardinalem.

PROOEMIVM.

NEmo latinæ linguæ bonarumq; literarum amator, nemo bonus est pater amplissime, qui non nimium queratur, non doleat, non demum ploret hoc ætatis ingenuas artes latinamq; ipsam linguam nostris (prouinciales enim studiosius in eam incumbunt, vnde & merito, vt alibi dixi, latini dicendi sunt) esse contemptui. Atq; o tempora o mores vsque eò latina ipsa lingua negligitur, vt vel optimatum, qui eam vehementius tueri amplectiq; deberent, adeo pauci eius studio operam nauent, aut saltem eius studiosis patrocinentur. Quinetiã eorum pleriq; eis veluti nauci hominibus contemptis, vulgarium vanitatum scriptoribus, atq; adeo sectatoribus, necnon et ijs, qui nihil hominis habent, aspirant & opitulantur, quibus & fortunas suas in vsus inanes erogant. Non desunt præsul reuerendissime præclara ingenia, quæ egregia facinora aggrederentur, si Mæcenates (plerosq; n. qui ingenio, iudicio, ac doctrina præstãt, summa egestas humi depressos tenet, atq; eò magis ijs, q̃ animi dotes fortunæ ludibrijs emetiuntur, spretui sunt) qui eis fauerent, eorumq; tenuitati succurrerent, reperirentur. qualis est

Reginaldus Polus Cardinalis *amplissimus homo Britannus regia stirpe genitus absolutae virtutis vir. quippe q & singulari humanitate est praeditus, et vitę integritate spectabilis, doctrina & latinis necnon graecis literis apprime eruditus, quibus iugiter est intentus, quiq; ingenio ac iudicio valet, prudentia praestat, bonarumq; literarũ studiosos praecipua quadã beneuolẽtia prosequẽs tuetur. In cuius aedibus non scurrae, & assentatores, et huiusmodi prodigiosi homines, sed & humanae & diuinae disciplinae sectatores non alter & tertius, sed permulti versantur. Qualis est etiam* Antonius Pernottus Atrebacensium *antistes spectatae virtutis vir, eruditione latinaq; lingua nemine posterior, & qui singulari ingenio & iudicio pollet, prudentia excellit, rerum gerendarum peritissimus,* Caroli Caesaris *supremus consiliarius, apud quem auctoritate & gratia longe plurimum valet, ac bonarum artium studio ipse additus earum cultores eximia benignitate ac liberalitate & fouet & ornat. Neq;* Dominicus Niger *homo* Romanus *nunc aedilis pro parte sua hac laude fraudandus est. qui magna in me liberalitate vsus in hoc meo labore nõ modico adiumento mihi fuit. Vir vtiq; peracris ingenij atq; iudicij, ac rerum vsu experiẽtissimus, latinarum literarum nõ expers, vir item humanitate praeditus, atq; in oẽs officiosissimus, ac grauis, ac sale & facetijs conditus, vere romano nomine dignus. Iam annus agitur hicquitusdecimus et eo amplius, cũ librũ de antiquitate et situ* Calabrię *lucubraui, quẽ si mihi Maecenas nõ defuisset, iã pridem edidissem in lucẽ.*

Scripsi deinde tres libros pro lingua latina ad populum Romanum, quod eis maximè proprium sit latinę linguæ studere. queis pro virili parte eam aduersus eius hostes tutarer, & iuuenes ad eius studium excitarem. Scripsi et librum vnum de æternitate Vrbis ad Carolum quintum Cæsarem, quò omnes intelligant quanta ea sit, ac quanti eam deus opt. max. fecerit, quantumq́; ei debeatur. Scripsi & librum hunc de laudibus Italiæ. Quos cum Benedicto Ægio solertis ingenij acrisq́; iudicij viro, humanitate & doctrina nulli secundo, multa ac prope infinita lectione exercitato, mei longè omnium amãtissimo, cuius scripta multa prepediem in lucem prodibunt, contulissem, ipse, vt eos in lucem ederem, sæpenumero me cohortatus est. Itaq; suo viri vtraq; lingua eruditissimi iudicio ac consilio fretus, eos in medium protuli. Hunc autem librum tibi, qui exactæ virtutis vir es, dedicare animo sedit meo, nam et præcipua humanitate insignis es, & morum probitate clarus, doctrina item præditus, quiq́; eximia prudentia polles, ingenio & iudicio vales, & rebus gerendis experientissimus es, bonarumq́; literarum studiosorum & amator & fautor. Equidem quia ingrati defidisq́; animi argui possem merito, si nihil de totius Italiæ laudibus, quæ plurimæ sunt, attingam, licet romæ laudes, quarum modicas alibi attigi, ipsius Italiæ sint, collibitum est mihi vel de eius laude generatim nõ nihil dicere, vt intelligant omnes, quàm Itala regio oẽs totius orbis regiones rebus omnibus antecellat. quam, heu nefas, nostri nouitij plebeij philosophi, ac doctores

barbarie referserunt, quæ eam romani enixo studio pur-gare elaborarunt. Qua de re aliquid, atque adeo multa, quæ pro lingua latina, atque interdum, vel potius nimium sæpe et quidem cum aliqua querela, questi sumus. Eam-*que eius optimates ac principes immanibus, barbarisque nationibus, à quibus natura montium diuortijs abiunxit, direptioni ac prædæ & sanguini quotidie dant tradũt.* Cuius *iactura vna omnium bonorum voce gemitur. qui, malum, cum cæteris in rebus absque vna hac, prudentes sint, ita immemores sunt, vt eis illius temporis ac felici-tatis, qua diu usi fruiti sunt, in mentem non veniat, cum romana virtute, ac maiestate ducè, longè omnium glo-riosissimi erant omnes Itali, essentque; modo si per eos lice ret.* Etenim *caput, id est quod omnia in sententia essent, si Senatui populoque; romano, si imperio obedirent & pa rerent, & non potius barbaris magno cũ nostro & di-spendio & dedecore fauerent.* Nam *nostris armis, no-stris opibus, nostris viribus, nostris demũ virtutibus con-tra nos nostros armamus inimicos.* Interest *enim omni um gentium, vel nostra potius, imperij obedientia. Atque vtinam aliquando dolor Italiæ pariat, quod iamdiu par turit. Vtinam, inquam, nostri optimates de tam iniqua sententia deduci possint, vt vel hac in re tandẽ aliquãdo præsentis animi consilio vtantur, & in patriam respe-ctum habentes, ea, qua debent, charitate accendantur, & ab ea barbariem, ac tot prædones & latrones procul pellerent.* Non *enim rerum omnium copia, non corpo-rum robur, non animorum præstantia, non virtus atque consi-*

lium ad postremum talis abest. Cum harum rerum similis ratio nunc est, atque antea semper fuit. Vnum tantum Italis deest, vt caput agnoscant, eiq́; vt par est, obtẽperent, et obedĩant. Nil. n. agẽt mẽbra reliqua à capite discerpta. Italiæ caput, vt qua de æternitate vrbis, Roma est, Senatus venerandus orbis terræ concilium, ac nobile illud Capitolium orbi notum.

ITalia Europæ regio multo omniũ, absit verbo inuidia, totius orbis regionũ celeberrima est, et Dei Opt. Max. munere, ac Romanorũ beneficio orbis terrarũ restrix, atq; regina. Est aũt inter Varũ, et Arsiam amnes, ac quicquid intra Alpes continetur. Atq; hinc infero mari, quod Græci Tyrrhenum nuncupant, hinc supero, quod iidem Adriaticum appellant, hinc Alpibus ipsis celsis, atque asperrimis montibus cingitur. Quas Alpes sagax, natura regionis cœliq́; clementiæ, ac benignitati, & incolarum humanitati & mansuetudini consulens veluti muros posuit, quo incolas ipsos à barbarorum impetu, atq; sæuitia seiungeret, ac tueretur, & ne incolarum eius morum probitas, atq; integritas improbis, ferinisq́; barbarorum moribus inficeretur. Habet autem hinc Niceãm, hinc Polam primas & eas claras vrbes. Quæ felicissima regio incolis suis quicquid, quo humana vita carere non debet, quàm affluenter suppeditat, vt nihil aduentitij, atque accersiti boni ab eis desideretur. Siquidem & frugum, & pecorum, & aliarum rerum omnium altrix est. Vnde multi & Græcorum, & barbarorum populi sedibus suis relictis in eam ad habi-

tandum accesserunt. Et quid ago? Tanta est huius regionis felix, & perbeata cœli clementia, ac temperies, vt, præter rerum omnium copiam, eius incolæ & ingenij felicitate, & morum benignitate, & armorum præstantia cunctis barbaris nationibus longe antecellant. Qua imperio subacta Romani quoscunque barbaros exercitus sibi obuios paruo, aut nullo propè negotio prostrauerunt, & profligauerunt. Nam vt aliàs dixi, quingentis totis, atque integris annis Romana virtus domi, hoc est, in Italia luctata est, qua vbi potita fuit, ducentis tantūmodo sequentibus annis Asiam, Europam, Africam, totum denique terrarū orbem armis sui iuris fecit. Equidem populus Romanus magnas hostium copias parua manu fudit, vrbes magnas natura, manuq; munitissimas pugnando cepit, nationes feras, populosq; ingentes vi subegit, reges magnos domuit. Et certe C. Iulius Cæsar, ait Sex. Ruffus, cum septem legionibus, quæ quaterna millia militum Italicorum habuerant, Gallias subegit. Italiam autem non modo Itali ipsi, & iure quidem, nunq̃ tamen satis, laudauerūt, sed prouinciales quoque scriptores, vel illi ipsi Græci regionis cœliq; clementiā, soli vbertatē, incolarū humanitatem, et hospitalitatē, cæterarumq; virtutū præstantiā admirantes, eamq; laudandi impatientes, summis, et quidē merito extulere laudibus. Ait itaque Varro, vt ab Italis incipiā, Rei rust. lib. I. Cū cōsedissemus, Agrasius vos, q multas pambulastis terras, ecq̃ cultiorē Italia vidistis inqt? Ego vero Agrius, nullā arbitror esse, quę tā tota sit culta. Primū cū orbis terrę diuisus sit ī duas ptes

ab Eratosthene, maximè secundum naturam ad meridiē versus & septentriones. Et sine dubio, quoniam salubrior pars septentrionalis est, quàm meridiana, & quae salubriora, illa fructuosiora, dicendum magis eam fuisse opportunam ad colendum, quàm Asia, ibiq; Italia primum quòd est in Europa, secundo quòd haec temperatior pars est quàm interior. Nam intus penè sempiternae hyemes. Neq; mirum, quòd sunt regiones inter circulū septentrionalem, & inter cardinem cœli, vbi sol etiam sex mensibus continuis non videtur. Itaq; in Oceano in ea parte ne nauigari quidem posse dicunt propter mare congelatum. Fundanius. En ibi tum quicquam nasci putas posse, aut coli natum? Verum enim est illud Pacuuij. Sol si perpetuò sit, aut nox, flammeo vapore, aut frigore terrae fructus omnes interire. Ego hic, vbi nox & dies modicè redit & abit, tamen aestiuo die, si non diffinderem meo insitiuo somno meridie, viuere nō possem, illic in semestri die, aut nocte quemadmodum quicquam seri, aut alescere, aut meti possit? Contra quid in Italia vtensile non modo non nascitur, sed etiam non egregium sit? quod far conferam Campano? quod triticum Appulo? Quod vinum Falerno? quod oleum Venafro? Non arboribus consita Italia, vt tota pomarium videatur? An Phrygia magis vitibus cooperta, quam Homerus appellat ἀμπελόεσσαν, quàm haec? Aut Argos, quam idem poeta πολύπυρον, in qua terra iugerum vnum denos & quinos culleos fert vini, quot quaedam in Italia regiones. An non M. Cato

ſcribit in libro originum ſic? Ager Gallicus Romanus vocatur,qui viritim Ceſennatibus datus eſt, vltra agrũ Picenum. In eo agro aliquotifariam in ſingula iugera deni cullei vini fiunt. Nonne item in agro Fauentino, à quo ibi tricenariæ appellantur vites,quod iugerum tricenas amphoras reddat? Ibidem. In Sybaritano agro iugerum centeſimum reddere ſolitum dicunt. Et rurſus, Cæſar Vopiſcus ædilicius cauſam cum ageret, apud cenſores,campos roſiæ Italiæ dixit eſſe,in quo relicta pertica poſtridie non appareret propter herbam. Et libro vndecimo rerum humanarum apud Macrobium Saturnal. libro tertio enumerans quæ in ſingulis Italiæ partibus optima ad victum naſcantur ait. Ad victum optima fert ager Campanus frumentum,Falernus vinum,Caſſinas oleum,Tuſculanus ficum,mel Tarentinus,piſcem Tiberis. Et M.Vitruuius libro ſexto.Cum ergo ab natura hæc ita ſint in mundo collocata, vt omnes immoderatis mixtionibus ſint diſparatæ,placuit,vt inter ſpatia totius orbis terrarum regionumq́; medio mundi populus Romanus poſſideret fines. Nanq; temperatiſſimæ ad vtranq; & corporum membris,animorumq́; vigoribus pro fortitudine ſunt in Italia gentes. quemadmodum enim Iouis ſtella inter Martis feruentiſſimam, & Saturni frigidiſſimam media currens temperatur, eadem ratione Italia inter ſeptentrionem meridiemq́; ab vtraq; parte mixtionibus temperatas,& inuictas habet laudes. Itaq; conſilio refringit barbarorum vires, forti manu meridianorũ cogitationes. Ita diuina mens ciuitatem populi Romani

egregia tẽperataq; regione collocauit, vti orbis terrarũ imperio potiretur. Et Ælianus de varia hist. lib. IX. Italiã primi Ausones inhabitarũt indigenę. Atq; permultos postea variosq; populos in ea habitasse ferũt, quot nullam aliã terrarũ partẽ coluerũt, eam potissimũ ob causam q̃ singularũ anni horarũ in ea temperies sit, quodq; regio bonitate telluris excellens sit. & aquis irrigua, fertilisq; oĩum fructuũ, atq; cõpascua, itemq; q̃ fluuijs perfusa, mare quoq; cõmodum adiectũ habeat, portubusq; ex omni parte interstincta, & impellẽdis soluendisq; nauibus idoneis locis. Sed incolarũ singularis hospitalitas et benignitas multos pellexit ut in eã suas sedes trãsferrent. Ad hęc aũt veterũ memoria mille centũ nonagintaseptẽ vrbibus Italiã præditã atq; ornatã fuisse. Item Iulius Firmicus. Itali fiũt regali semp nobilitate pręfulgidi, Galli stolidi, Hispani elata iactantiæ animositate præposteri. Sed nec Italis aliquãdo Sol denegabit imperia, nec Galli eã stoliditatẽ Mercurij sapientissimũ sidus exacuet, nec Hispanorũ iactantiã pigrũ poterit Saturni lumẽ hebetare. Põpeius apud Cæsarẽ bel. Gal. lib. VI. tantæ Italiæ facultates sunt, vt siquid esset in bello detrimenti acceptum, non modo id breui tempore sarciri, sed etiam maioribus augeri copijs posset. Et Virgilius Geor. libro secundo.

Laudibus Italiæ certent, non Bactra, neq; Indi
Totaq; thuriferis panchaia pinguis arenis
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
Inuertere satis immanis dentibus hydri.
Nec galeis, densisq; virum seges horruit hastis

Sed grauidæ fruges, & Bacchi Massicus humor
Impleuere, tenent oleæq; armentaq; læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert,
Hinc albi Clitunnæ greges, & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa deum duxere triumphos.
Hic ver assiduum, atq; alienis mensibus æstas,
Bis grauidæ pecudes, bis pomis vtilis arbos.
At rapidæ tigres absunt, & sylua leonum
Semina, nec miseros fallunt aconita legentes,
Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias vrbes, operumq; laborem
Tot congesta manu præruptis oppida saxis,
Fluminaq; antiquos subter labentia muros,
An mare quod supra memorem, quodq; alluit infra?
An ne lacus tantos? te Lari maxime? teq;
Fluctibus, & fremitu assurgens Benace marino?
An memorem portus? Lucrinoq; addita claustra?
Atq; indignatum magnis stridoribus æquor?
Iulia, qua ponto longe sonat vnda refuso,
Tyrrhenusq; fretis immittitur æstus Auerni.
Hæc eadem argenti riuos, ærisq; metalla
Ostendit venis, atq; auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virum, Marsis, pubemq; Sabellam,
Assuetumq; malo Ligurem, Volscosq; verutos
Extulit, hæc Decios, Marios, magnosq; Camillos,
Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar,

Qui nunc extremis Asiæ iam victor in oris
Imbellem auertis Romanis arcibus Indum.
Salue magna parens frugum Saturnia tellus,
Magna virûm, tibi res antiquæ laudis, & armis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes,
Ascræumq; cano Romana per oppida carmen.

Et Plinius libro tertio. Nec ignoro ingrati ac segnis animi existimari posse meritò, si leuiter atq; in transcursu, in hunc modum dicatur terra omnium terrarum alumna, eadem & parens nûmine Deûm electa, quæ cœlum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum discordes ferasq; linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breuiterq; vna cunctarum gentiũ in toto orbe patria fieret. Et quid agam tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit ? Tanta rerum singularum populorumq; claritas tenet. Vrbs Roma vel sola in ea & digna, & festa ceruice facies quo tandem narrari debet opere ? Et qualiter Campaniæ ora per se felix illa ac beata amenitas, vt palàm sit in vno loco gaudentis opus esse naturæ. Iam vero tota ea vitalis, ac perennis salubritatis cœli temperies est. Tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxij saltus, tam opaca nemora, tam munifica siluarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum & vitium, olearumq; fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot optima tauris colla, tot lacus, tot amnium, fontiumq; vbertas totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumq; terrarum commercio patens.

vndiq; & tanquã ad adiuuandos mortales ipsa auida in mare procurrẽs. Neq; ingenia, ritusq; ac viros et lingua manuq; superatas cõmemoro gentes. Ipsi de ea iudicauere Græci, gñs in gloriã suã effusissimũ quotam partẽ ex ea appellando Græciã magnã. Nimirum id quod in mentionem cœli fecimus, hac quoq; in parte faciendũ est, vt quasdam notas, ac pauca sydera attingamus. Legentes tñ quæso meminerint ad singula toto orbe edisserenda festinari. Est ergo folio maxime querno assimilata medio proceritate amplior q̃ latitudine in leuo se flectens cacumine, & amazonicæ figura definens parmæ, vbi à medio excursu Cocinthos vocatur p̄ sinus lunatos duo cornua emittens Leucopetrã dextra, Lacinium sinistra. Patet longitudine ab Alpino fine prætoriæ augustæ per vrbem, Capuamq; æquo cursu meante Rhegium oppidum in humero eius situm, à quo veluti ceruicis incipit flexus, decies & centena & viginti millia passuũ, multoq; amplior mensura fieret, Lacinium vsq;, ni talis obliquitas in latus digredi videretur. Latudo eius varia est. CCCC X millium inter duo maria inferum, et superum, amnesq; Varum, atq; Arsiam, mediæ atq; fermè circa vrbem Romam ab ostio Aterni amnis in Adriaticum mare influẽtis ad Tyberina ostia C. XXXVI: & paulominus à Castronouo Adriatici maris Alsium ad Tuscum ęquor haud vllo in loco CCC: in latitudinem excedens. Vniuersæ autem ambitus à Varo ad Arsiam vicies quadragies nouies centena M. P. efficit. Abest à circundatis terris Histria à Liburnia quibusdã locis C. M. passuũ.

Ab Epiro & Illyrio L. Ab Africa minus CC. vt auctor affirmat Varro. Ab Sardinia C. XX. millia. A Sicilia M. D. A Corsica minus LXX. Ab Issa L. Incedit per maria cœli regione ad meridiem quidem. Sed siquis dili genti subtilitate id exigat, inter sextam horã, primamq; brumalem. Et in fine descriptionis Italiæ. Hæc est Italia dijs sacra, hæ gentes eius, hæc oppida populorum. Super hæc Italia, q̃ L. Æmilio Papo, C. Atilio Regulo cons. nunciato Gallico tumultu sola, sine externis vllis auxilijs, atq; etiamnum sine transpadanis, equitũ LXXX. millia, peditum DCC. millia armauit. Metallorum omniũ fer tilitate nullis cedit terris. Sed interdictum id vetere con sultu patrum Italiæ parci iubentiũ. Et libro septimo Ita liæ gentes diu viuunt. Et libro duodecimo. Piperis ar borem iam etiã habet Italia maiorem myrto nec absimi lem. Et libro tertiodecimo. Palmæ in Italia vulgò sunt, sed steriles at in Liguria maturescunt. Et libro quarto decimo. Omnium vitiũ peculiaris parens videri potest Italia. Et rursus Vitium principatus intantũ peculiaris Italiæ est, vt vel hoc vno omnia gentiũ vicisse, quanquã odorifera, possit videri bona, quanquã vbicunq; pubesce tiũ odori nulla suauitas præferatur. Et lib. decimoocta uo, frumentum Italico nullo comparauerim candore ac pondere, quo maxime secernitur. Et in fine vltimi libri. Ergo in toto orbe, & quacunq; cœli conuexitas vergit, pulcherrima est omniũ, rebusq; meritoq; principatũ na turæ obtinens Italia, rectrix, parensq; mundi altera, vi ris, fœminis, ducibus, militibus, seruitijs, artium præstantia,

ingeniorũ claritatibus. I*am situ,ac salubritate cœli,atq; temperie,accessu cunctarũ gentium facili,littoribus portuosis,benigno ventorũ afflatu.* Etenim *contingit recurrentis positio in partem vtilissimam,* & *inter ortus,occasusq; medium agrorũ copia,nemorũ salubritate,montiũ articulis,ferorum animaliũ innocentia,soli fertilitate,pabuli vbertate.* Q*uicquid est,quo carere vita non debeat, nusquã est præstantius,fruges,vina,olea,vellera, lana, vestes,iuuenci.* N*e equos in trigarys præferri vllis vernaculis aiaduerto,metallis auri,argenti,æris,ferri quandiu libuit exercere,nullis cessit.* Et *ijs nunc in se grauida pro omni dote varios succos,* & *frugum,pomorumq; sapores fundit.* Caius apud Plinium libro decimoseptimo Italiæ *agrũ optimũ esse iudicat, quòd* I*taliæ totius situs ad radicem montiũ planicie ad meridiem excurrente sit à natura dispositus.* Annibal apud Trogum lib. trigesimoprimo,*cui* Romana Italaq; *virtus nota erat,* An*tiochum alloquens* Romanis *bellum inferre cogitantẽ negabat opprimi* Romanos *nisi in* Italia *posse.* Cui An*tiocho in* Græcia *aduersus* Romanos *pugnare volenti dixit* Annibal *ipse sibi belli sedem* Græciam *non placere,cũ* Italia *vberior materia sit.* Quippe Romanos *vinci nõ nisi armis suis posse.* Nec Italia *aliter,q̃* Italicis *viribus subigi.* Si *quidem diuersum cæteris mortalibus esse illud genus hominũ* & *belli alys bellis plurimũ momenti habere, priorem aliquam cœpisse occasionem loci temporisq;, agros rapuisse,* & *vrbes aliquas expugnasse,eũ* Romano *seu occupaueris prior aliqua ratione, seu viceris, tamen*

etiã cũ victo & iacente luctandum esse. Quam ob rem siquis eos in Italia lacesserit suis eos opibus, suis uiribus, suis armis posse vincere, sicut ipse fecerit. Seu vero quis illis Italia velut fonte virium cesserit, perinde falli, ac si quis amnes ab ipsis primordijs fontiũ deriuari, sed cõcretis iam aquarũ molibus auertere, vel exiccare velit. Hoc secreto se censuisse, vltroq; consilij sui ministeriũ obtulisse. Et Columella libro tertio. Mysiam, Lybiamq; largis, aiunt, abundare frumentis, nec tamen Appulos, Campanosq; agros opimis defici segetibus. Tmolon et Coryciõ florere croco. Iudæam & Arabiam preciosis odoribus illustrem haberi, sed nec nostram ciuitatem prædictis egere stirpibus, quippe pluribus locis vrbis, iam casiam pendentem conspicimus, iam thureã plantã, florentesq; hortos myrrha & croco. His tamen exemplis nimirum admonemur curæ mortaliũ obsequentissimã esse Italiam, quæ penè totius orbis fruges adhibito studio colonorum ferre didicerit. quo minus addubitamus de eo fructu, q̃ velut indigena, peculiarisq;, et vernaculus est huius soli. Neq; enim dubiũ est Massici, Surrentiniq;, & Albani, atq; Cecubi agri vites omniũ, quas terra sustinet, in nobilitate vini principes esse. Et Solinus. De homine satis dictũ habeo nunc, vt ad destinatũ reuertamur, ad locorũ commemorationẽ stylus dirigendus est. Atq; adeo principaliter in Italiam, cuius decus iam in vrbe contingimus. Sed Italia tanta cura ab omnibus dicta est, præcipue à M. Catone, vt iam inueniri non possit, quòd non veterũ auctorum præsumpserit diligentia, largiter in laudem

excellentis terræ materia suppetente, dũ scriptores præstantissimi reputant locorũ salubritatem, cœli temperiẽ, vbertatem soli, aprica collium, opaca nemorum, innoxios saltus, vitiũ, olearumq́; prouẽtus, ouilia pecuaria, tot amnes, lacus tantos, bifera violaria. Inter hæc Vesenus flagrantis animæ spiritu vaporantem, tepentes fontibus Baias, colonias tam frequentes, tam assiduam nouarũ vrbium gratiam, tam clarũ decus veterum oppidorum, quæ primum Aborigines, Arunci, Pelasgi, Arcades, Siculi, totius postremo Græciæ aduenę, & in summa victores Romani condiderũt. Ad hæc latera portuosa, orasq́; habet patentibus gremijs commercio orbis accomodatas. Et paulo post. Ergo Italia, in qua Latium antiquũ ante à Tyberinis ostijs adusq; Lyrim amnem pertinebat vniuersa consurgit à iugis Alpium porrecta ad Rheginum verticem, & littora Brutiorum, quo in mare meridiem versus protenditur. Inde procedens paulatim se Apennini montis dorso attollit, extensa inter Tuscum et Adriaticũ, idest inter superũ mare, & inferum, similis querno folio scilicet proceritate amplior, quam latitudine. Vbi lõgius processit in cornua duo scinditur, quorũ alterũ Ionium spectat æquor, alterũ Siculum. Inter quas prominentias non uno margine accessum insinuati freti recipit, sed linguis proiectis sæpius à procurrentibus distinctũ promontorijs pelagus accipit. Verum Italiæ longitudo, quæ ab Augusta prętoria per vrbem Capuamq́; porrigitur vsq; ad oppidum Rhegium, decies centena & viginti millia passuũ colligit. Latitudo vbi plurimum CCCC X. Vbi

minimum C XXXVI. millia. Artissima est ad portum, quem Annibalis castra dicunt. Neq; enim excedit XX. millia. Vmbilicum, vt Varro tradit in agro Reatino habet. At in solidum spatiū circuitus vniuersi vicies quadragies nouies centena sunt. In quo ambitu aduersā Locrensium fronte ortus à Gadibus finitur Europæ sinus primus. Nam secundus à Lacinio auspicatus Acroceraunijs metas habet. Adhæc Italia Pado clara est, quem mons Vesulus superantissimus inter iuga Alpium gremio suo fundit visendo fonte in Ligurum finibus, vnde se primū Padus prorupit, sūmersusq; cuniculo rursus in agro Vibonensi extollitur, nulli amniū inferior claritate, à Græcis dictus Eridanus. Intumescit exortu canis, tabefactis niuibus & liquentibus brumæ pruinis auctusq; aquarū accessione xxx. flumina in Adriaticum defert mare. Est è memorabilibus inclitum, & insigniter per omnium ora vulgatum. Item Græci, vt dixi, amplissimū Italiæ testimonium reddiderunt. Polibius enim libro secundo ait, Omnis Italia trianguli figurā habet. Latus, quòd orientem spectat Ionio mari, & sinu Adriatico terminatur, quod vero ad meridianam regionē, atq; occasum uergit, Siculo & Tyrrheno clauditur pelago. Hæc latera inuicem copulata apicem trianguli faciunt propositū Italiæ promontoriū, quod Cocynthum incolæ vocant, & meridianam plagā spectans, Ionium ac Siculum diuidit mare. Tertiū laus, quod ad gelidissimū septentrionis axem & mediterranea loca protenditur, terminat continuatio alpium, quā à Massilia, & locis supra Sardum pelagus

fitis incipientes vsq; ad intimũ Adriatici maris finũ continuè extenduntur. Exiguo *quodam spacio in medio relicto.* Huic *lateri, quòd terminari* Alpibus *dicimus, & quasi trianguli basem intelligimus, à meridiana regione versus septentrionem subiacent cãpi extrema totius* Italiæ, *omnis Æuropæ maximi atq; vberrimi.* Horum *etiã forma triangularis est.* Apicem *trianguli facit* Apennini *atq;* Alpium *copulatio non longe à mari* Sardoo *supra* Massiliam. *Latus quod septentrionem spectat, quemadmodum supra diximus,* Alpes *faciunt, quæ ad duo millia & ducenta stadia protendũtur. Latus vero, quod ad meridiem vergit, perficit* Apenninus. Hic *ad tria millia et* LX. *stadia protenditur. Basi gi locum tenet littus ipsum maris* Adriatici. Hæc *duorũ millium & quingentorũ stadiorũ spatio continetur.* Ita *omnis camporũ circuitus* X. *millibus clauditur stadijs.* De *fertilitate huius regionis haud facile dixerim.* Ita *enim in omnia frugũ genera fœcunda est, vt sæpenumero nostra ætate modius frumenti siculus non amplius quatuor obolis venũ erit.* Ordei *vero non amplius duobus.* Dolium *vini tantundem.* Milij *præterea & farris tanta copia est, vt opinionẽ hominum superet.* Quàm *vero glandibus abundet, quę ex nemoribus eius regionis diuersis in locis producuntur, vel imprimis testimonio est, quòd cũ infinitam penè porcorũ multitudinem* Italici *generis homines alant & ad sacrificia facienda, & ad priuatos vsus, et ad necessariũ exercitibus apparatũ; ijs omnibus abunde hæc regio alimenta subministrat.* Iam *vero quanta particulariũ etiã*

rerum, quæ ad victum hominum spectant, in ea regione copia sit, ex hoc licet intelligere, quòd viatores, cũ in hospitia diuertũt, nunquã de rebus, quas sint accepturi particulatim paciscuntur, quod cæteris in locis fieri consueuit, sed quantũ singuli quiq; homines soluere debeant, cũ hospitibus conueniunt. Hi uiatoribus *honorificè acceptis & omnibus ad victum necessarijs subministratis, nõ amplius, q̃ siliquã capiunt.* Hæc oboli *tertia pars est, id precium raro excedunt.* Hominum *verò tanta copia, ea proceritas, ac pulchritudo corporũ, tantum in rebus bellicis robur, vt facilius sit ex eorũ rebus gestis, quàm ex cuiusquam oratione intelligere.* Ibidem. *Italia septies centena millia peditũ, equitum ad septuaginta millia armauit.* Frumentũ aũt *Italicum vel* Sophocles *poeta tragicus in* Triptolemo, *in qua fabula,* Dionysio *teste,* Ceres *induci tur, ante mortem* Alex. Magni *annis ferè* C. XLV. *ante cuncta laudauit.* Ad *verbũ à* Plinio *libro decimoctauo translata sententia.* Et *fortunatam* Italiam *frumento canescere candido.* Et Dionysius Halicarnaseus *libro primo.* Verum *siquis fabulosum illud à sermone auferens, vim regionis et naturam perscrutari velit, ex quo genus hominũ à principio plurima statim perceperit oblectamenta, siue ex terra ipsa vti priscus habet sermo, siue alio quouis modo nullam certe inuenias* Italia *cõmodiorem.* Sicut *enim vna regio ad aliã comparatur, tantã magnitudinem, non* Æuropæ *modo, sed orbis quoq; reliqui, mea quidem sententia, est optima omniũ* Italia. Quanquã *nõ me latet, multis me visum iri incredibilia dicere, confide*

rantibus Ægyptum, & Africã, & Babylonem, & si qua alia fortunata sunt loca. Verum ego diuitias ex terra, non in vno pono fructuum genere, neq; me capit habitationis cupido, in qua pinguia sint tãtum arua, aliorũ aũt nulla sit, aut parua aliqua vtilitas, sed quæ satis sit sibi per se, neq; multum aduentitijs indigens, hanc ego esse optimã iudicabo. Hanc vero rerum omnium vbertatem, & emolumenta plurima, non aliam magis terram quàm Italiam habere credo. Non enim pingues habens agros multos caret arboribus, sicuti frugum fertilis. Neq; rursus ad alendas plantas idonea, paucarũ frugum est ex satione, sicut arborũ referta. Neq; adhæc vtraq; potens, minus est pecori idonea, neq; eam dicet aliquis frugũfertilem, fœcundam arborum, bonamq; pecori inesse autẽ hominibus sine gratia stationem. Immo vero ea omnis, vt ita dicã, est voluptatis, vtilitatisq; plenissima. qua. n. caret fertilitate? Non fluuijs, sed cœlestibus hymbribus irrigatus is, qui Campanus ager dicitur, vbi ego triũ fructuum culturas vidi, æstiuum quidem, post hybernum, autumnale post æstiuum semen nutrientes. qua enim caret olearũ vbertate Messapiorum, et Dauniorum, & Sabinorum, multorumq; agricolatio? quibus caret vinetis Hetruria? Albanaq;, & Salernã regio? Mirum est profecto quàm diligat vites, et quàm minimo labore facilis sit ad ferendum plurimos simul & optimos fructus. Præter arua autem, quàm multã inuenies dimissam ouibus regionem, quam multam capris, maiorem autem admirabilioremq; bobus & equis. Palustris enim & pratorũ herbã

copiosissima, nouales roscidæ, & campi perflui, ita vt sint etiam æstate pascui, exhibeantq; greges semper perficientes. Inter cætera autem, querceta sunt & syluę mirabiles circa rupes, saltusq; & incultos colles, ex quibus multū quidem cū sit ad fabricandas naues materiæ & facultatis, multum quoque ad reliqua opera opportunitatis, nulla pars harum neque inuia est, neque ab vsu hominum procul posita, sed operosa sunt omnia, & aduectu facilia propter fluminum multitudinem, quæ regionem permeant, faciuntq; inuectiones fructuum, & commercia percomoda. Habet quoque regio ipsa latices aquarum callidarum in multis repertos locis balneas præbere suauissimas atque morbis diuturnis sanandis optimas. Habet omnis generis metalla, & ferarum venationes copiosas, & naturam maris piscosam. Aliaq; habet innumera, alia percomoda, alia mirabilia. Verum omnium pulcherrimum eam habet aeris temperiem, ad tempora proporcionabiliter, vt nec excessu frigoris, nec caloribus intensis fructuum prouentum lędat, neue animalium propagationem, vt minime mirum sit opinatos priscos hanc terram Saturno sacram, cum hunc diuum putarent esse hominibus felicitatis omnis & largiorem, & perfectorē, siue cronon vocari oportet ipsum, vt Græci volunt, siue cronum vel Saturnum, vt Romani, omnem mundi comprehendentem naturam, vtrouis nomine quis eum uocet. Videntes autem homines regionem plenam omnis copiæ, gratiæq; quam appetit mortale genus, volentesq;, oblationem diuinoq; & humano generi esse locorum

omnium aptissimam, montes & saltus dicarunt Pani, prata nymphis, & loca virentia, littoraq; & insulas dijs marinis, & alia quoq;, vt erat cuiq; deorum & geniorũ congruum. Item Strabo libro quinto de Italiæ forma plura, aitq;, præter cætera. Vt autem summatim dicam Italia cuncta pecorum & frugũ præstantissima nutrix est: Et libro sexto. Huius generis, huiusq; magnitudinis Italia est, cũ multa à nobis disputata sint, nunc amplissima significamus, quibus hoc tempore ad tantum maiestatis fastigium res Romana cõscenderit. Vnum quidem quòd instar insulæ tutam in circuitu maria custodiant, paucis exceptis partibus, quæ tamen inaccessis, vti muro, montibus vallatæ sunt. Secundũ est maxima ex parte ipsius importuositas, & quòd siculi portus existunt magnitudine & excellentia mirabiles astant aduersus externorum impetus commodi. Nec minus ad inferẽdas incursiones, quàm ad ipsam mercaturæ commoditatem & abundantiam. Tertium aeris vniuersi temperies, cui subiacet. Ad quam varietatem animalia, arbores, et, vt paucis simpliciter dicam, cuncta, quibus vtilissimus mortalibus victus suppeditatur, plurimam diuersitatẽ habẽt, siue bonũ siue malũ dixeris, Ipsius longitudo à septentrione in meridiem vt plurimum extenditur. Cuius longitudini additamentum est Sicilia, talis & tanta perinde ac eius pars esset. Aeris temperies, & intemperantia, pro caloris et frigoris, & horum medioeritatis cõditione diiudicatur. Itaque cũ tanta longitudine, qua nũc est Italia, eam in amborum excessuum medio iacentem, plurimã tẽperatẽ

conditione continere necesse est, modisq; plurimis : Id etiā alio ibi pacto cōtigit, nā cum montes Apennini perpetua longitudine porrigantur, cumq; latus utrunq; campos & colles frugiferos emittat, nulla pars extat, cui non montanis & campestribus bonis frui cōtingat. Adde fluuiorum magnitudinem & copiā. Adhæc & frigidarū et callidarum scaturigines aquarum, quas ad mortalium salutem parens natura compluribus in locis comparauit: quid diuersorum facultatis metallorū? quid materiā atq; escas hominibus, ac pecoribus attributas? Quis fructuū vbertatem, atq; bonitatem pro dignitate differat? Inter gentes quidem amplissimas, & Græciam ipsam, et excellentissimas Asiæ partes, media consistens, virtutis præstantia & amplitudine ad circumstantibus imperandum nata est, ex vicinitate subiugandorum facultatē nacta. Proinde vel prouinciales scriptores & quidem magnæ auctoritatis uiri ab Italiæ laude cōtinere se haudquaquā valentes id eius laudis testimonium perhibent. Et non solum hæc, quæ ab his commemorata sunt, vbertim gignit Italia, sed alia quoq; pleraq;, nam saccaro, & croco, & coliandro, & sisama, item gossipio, quod xylon etiā vocant, & serico, & ys optimis abundat Italia. Marmor etiam nō ignobile, gypsum, & alabastrum, & sal fossile candidissimum multis in locis effodiuntur. Nec caret corallo & eo probatissimo, quod pluribus in locis maris Italici nascitur. Et super hæc aëreus ille sudor, quod māna vocant, cæleste alimentum pluribus in locis decidit ac legitur. Habuit & latium suum Herculem et Achillem,

nam Ruticellus quidam ob prodigiosas uires Hercules est appellatus. Is, ait Varro apud Pliniũ libro septimo, mulum suum tollebat. Lacinius Sicinius Dentatus, vt auctor est Gellius libro secũdo, ingentis fortitudinis vir fuit, qui centies & vigesies cum hoste congressus est, & nec vllum vulnus auersum accepit, quare Romanus Achilles est nuncupatus. quot etiam alios Hercules & Achilles geniat Itala tellus? Vt Ægonem, vt Milonem, vt Asylum, vt Euthymum, vt alios multos. Hæ sunt Italiæ laudes. quæ felicissima regio naturæ manibus fabricata est & ad imperandum alijs, & ad eos adiuuandum. quare meminisse perquàm velim Italos meos se eos esse, qui romana virtute duce & auspice barbaris gloriosè imperare, non turpiter seruire soliti sint. Quòd siquid horum, quę humanæ vitæ sunt necessaria, deesse nobis uidetur, id non Italo felici & perbeato solo quasi infrugifero & infœcundo, cum sit feracissimum, attribuendum est, sed incuriæ potius nostræ & inertiæ. Nam agricultura veluti vile & sordidum opus adeo negligitur, vt parum operæ ei insumatur, Non enim, ait Columella, ex agrorum infœcunditate, aut cœli per multa iam tempora noxia frugibus intemperie, nec quòd vbertate nimia prioris æui defatigati & effœti nequirent pristina benignitate præbere mortalibus alimenta. Cum neq; fas sit existimare humi naturam, quam primus ille mundi genitor perpetua fœcunditate donauit, quasi quodam morbo sterilitate affectam, neq; prudentis est credere tellurem, quæ diuinã & æternam iuuentam sortita cõmunis omnium parens dicta

ſit, quia & cuncta peperit ſemper, & deinceps paritura ſit, velut hominē conſenuiſſe. Nec *poſt hæc reor intemperantia cœli nobis iſta, ſed noſtro potius accidere vitio, qui rem ruſticā peſſimo cuiq; ſeruorum uelut carnifici noxiæ dedimus, quam maiorum noſtrorum optimus quisq; optime tractauerit.* Cum *fine dubitatione proxima & quaſi conſanguinea ſit ſapientiæ, ac ſine agricultoribus mortales conſiſtere aliq; nequeant.* Nunc *quaſi ſordidum opus tam diſcentibus eget quàm magiſtris.* Et, vt M. Varro *conqueſtus eſt, omnes patresfamiliæ falce & aratro relictis intra murum correpſimus, & in circis potius ac theatris, quàm ſegetibus, & vinetis manus mouemus.* Attonitiq; *miramur geſtus effeminatorum, quod à natura ſexum viris denegatum muliebri motu mentiantur; decipiantq; oculos ſpectantium.* Mox deinde vt *apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem laconicis excoquimus, & exuſto ſudore ſitum quærimus noctesq; libidinibus, & ebrietatibus, dies ludo vel ſomno conſumimus.* Ac *noſipſos ducimus fortunatos, quòd nec orientem ſolem videmus, nec occidentem, itaque iſtam vitam ſocordem perſequitur valetudo.* Nam *ſic iuuenum corpora fluxa & reſoluta ſunt, vt nihil mors mutatura videatur.* At *mehercule vera illa* Romuli *proles aſſiduis venatibus, nec minus agreſtibus operibus exercitata, firmiſſimis præualuit corporibus, ac militiam belli, cum res poſtulauit, facile ſuſtinuit durata pacis laboribus, ſemperq; ruſticam plebem præpoſuit vrbanæ.* Et *nonis tantum*

modo vrbanæ res agebantur, vnde & ob id nundinarum conuentus instituti sunt, reliquis rusticæ administrabantur. Et segniores habebantur ij, qui sub vmbra ciuitatis intra mœnia desides cunctabantur. Contra qui rura colebant & colonorum opera administrarent, quibus temporibus proceres ciuitatis in agris morabantur. Et cum consilium publicum desiderabatur, à villis accersebantur in senatum. Ex quo qui eos euocabant, viatores nominati sunt. Isq; mos dum seruatus est perseuerantissimo colendorum agrorum studio, veteres illi sabini quirites, atauiq; Romani, quanquam inter ferrum, & ignes, hosticisq; incursionibus vastatæ fruges, largius tamen condidere, quàm nos, quibus diuturna permittente pace prolatare licuit rem rusticam. Itaque in hoc Latio & Saturnia terra, vbi dij cultus agrorum progeniem suam docuerunt, ibi nunc ad hastam locamus, vt nobis ex transmarinis prouincijs aduehatur frumentum, ne fame laboremus, et vindemias condimus ex insulis & Cycladibus, ac regionibus Ibericis, Gallicisq;. Et libro octauo, magni enim æstimabat vetus illa Romuli & Numæ rustica progenies, si vrbanæ vitæ compararetur villatica, nulla parte copiarum defici. Varro quoque rei rust. libro secundo queritur q patres familiæ relictis falce & aratro manus mouere maluerunt in theatro ac circo, quàm in segetibus ac vineis, & frumentum locarent, qui eis adueheret, qui saturi fierent ex Africa & Sardinia, et nauibus vindemiã cõderẽt ex,

insula Coa & Chia. Itaq; in qua terra culturam agri docuerunt pastores progeniem suam, qui condiderunt vrbem, ibi contra progenies eorum, propter auaritiam contra leges, ex segetibus fecit prata, Ignorantes non idem esse agriculturam, & pastionem. Et quidem Romulus, ait Dionysius Halicar. libro secundo, sedentarias & sordidas cupiditatumq; adductrices artes tanquam dirumpentes delentesq; corpus & animum exercentium, seruis & aduenis tractandas exhibuit: Duo vero tantum studia reliquit liberis, agriculturam, & belli artes. Hæc pauca de laudibus Italiæ dicenda mihi visa fuere:

Romæ apud D. Hieronymũ de Cartularijs idibus sextilibus à partu Virgineo anno M.D.LIIII.

